www.e-rara.ch

In Davidis Psalterium sacrosanctum commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, [1618]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: FNP II 27:1

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-61094

Psalmus XI. - [psalmus XX.]

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

A tes, vocans eos אנשים: id est, *miseros & calamitosos homines*, & מן־הארץ *de terra*: id est, *terrenos*. Deinde improperat illis terribilem violentiam, qua sic se gesserint, vt facti fuerint miseris terribiles, quâ iniquitatem Deus iudicio suo sit terminaturus, Vtinam tales esse se cogitêt & agnoscant vniuersi potentes in hoc seculo. Terribilem esse, conuenit etiam magistratui, fateor: sed ijs qui malè faciunt, non insontibus & miseris. Deinde non animo tyrannidem spirante, sed vindictam malorum exercente. Detestabilis est tyrannis, etiamsi angeli hanc exerceant. at multò est detestabilior, si exerceant illam homines de terra, ipsi quoq; miseri & calamitosi, quos ipsa mortalitas & originis humilitas modestè debebat & humanitatis admonere, perinde ac si superbiam execrabilem quidem in se esse dicas: at multò execrabiliorem, si videantur pauperes & egeni superbire & insolescere, vel ferocire, & bellicis motib. gaudere, rem esse culpabilem & alienam à mente humana: præsertim verò, si hoc animo prædiæ sunt mulierculæ. Omne vitium hoc est detestabilius, quo minus habet occasionis vel à natura, vel à conditione hominis.

4. Quartò, obseruemus etiam, quòd non simpliciter dicit, *Ad iudicandum pupillo & oppresso, ne terreat homo de terra*: sed, *Vt non terreat vltrà homo de terra*. Si confestim exerceret iudicia sua Deus, non esset locus homini mortali aliquandiu tyrannidem exercendi. Verùm quoniam iudicia sua plerunq; differt, fit vt ad tempus aliquod reprobi vim inferant insontibus. Vbi verò tempus aduenerit iudicij, simul aduenit & finis improbæ tyrannidis, vltra quem non permittatur reprobis pro libidine sæuire in innoxios. Cogitas, quando tandem finis erit maliciæ reproborum? Habes hîc responsum: Vbi ad iudicandum sederit Dominus, non addent vltra terreni homines terrorem incutere mortalibus. Interea parienter ferenda est reproborum violentia.

PSALMVS XI.

Ad Præcinendvm, Davidis.

ARGVMENTVM PSALMI.

Apparet hunc Psalmum à Dauide contra eos factum, à quib. Sauli prodebatur, cùm in montibus latibula quæreret: id quod à Ziphæis factũ, 1. Sam. 23. & 26. legimus. Opponit autem fiduciã suam, quam in Dominum habet, nequitiæ proditorum: quibus eam iniquitatem exprobrat, quòd se ne in montib. quidẽ quiescere sinant, sed instar auiculæ abigant, cùm in necem suam parati sint impij. Deinde de Deo gloriatur, qui cœlitus filios hominum despiciat. Et quoniam iustos diligit, impios odit, punit etiam impios: ideoq; huic se omnia committere, atq; etiamsi ipsa fundamenta diruantur, securum fore significat.

B IN Domino confido, *quomodo dicitis animæ meæ, vt fugiat à montib. vestris velut auicula?* VERS. 1.

2. *Quoniam ecce impij intendunt arcum, parant sagittas suas ad neruum, vt sagittent in obscuro rectos corde.*

3. *Et si fundamenta destruantur, iustus quid faciet?*

4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius: oculi eius despiciunt, palpebræ eius probant filios hominum.*

5. *Dominus iustum probat: impium autem, & qui diligit iniquitatem, odit anima eius.*

6. *Pluit super impios laqueos ignis, sulphuris ac spiritus tempestatum: quæ pars fuit calicis eorum.*

7. *Quoniam iustus Dominus, iustitias diligit: rectum videt vultus eius.*

Vt fugiat à montibus vestris.] Ebr. נדד הרכם. Græc. μετανάστευσον εἰς τὰ ὄρη. Vulg. Lat. *Transmigra in montem.* Hieron. *Transuola in montem.* Felix: *Transmigra ex monte vestro.* Et arbs legit: *Ad montem.* Sunt ex recentioribus qui legant: *Abi hinc protinus in montes tuos* Alius: *Deuola è monte vestro.* Pagninus nobiscum legit: *Vt transmigret à monte vestro*: quæ lectio mihi magis arrisit, maximè cùm Ebræa dictio נדד sic posita sit, vt aliquid desideretur, quod tàm infinitiuum, quàm imperatiuum formare possit: ac tam rectè legatur, *Vt fugiat*, quàm, *Fuge.* LECTIO. *Verſ.* 1.

Et si fundamenta destruantur, iustus quid faciet.] Ebr. כי חשתרת יהרסון צדיק בה פעל. Græcus sic: ὅτι ἃ σὺ κατηρτίσω, οὐδὲν κακὸν ὁ δίκαιος τί ἐποίησεν; Vulg. Lat. *Quoniam quæ perfecisti, destruxerũt: iustus autem quid fecit?* Hieron. *Quia leges dissipatæ sunt, iustus quid operatus est?* Pagn. *Quoniam retia destruentur:* &c. Felix: *Quoniam fundamenta destruentur,* &c. Ex recentioribus alius sic: *Vt funditùs perdant, iustus quò se vertet?* Alius ad hunc modum: *Nam nusquam est consistendi locus, at iustus quid commeruit?* *Verſ.* 3.

Rectum videt vultus eius. Ebr.] ישר יחזו פניהו. Græc. sic: εὐθύτητας ἴδοι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Vulgata Latina: *Aequitatem vidit vultus eius.* Hieronym. *Rectum videbunt facies eorum.* Pagnin. *Rectum videbit facies eius.* Chald. סבר אפוי חקנוא המיין: id est, *Rectum videbunt iocunditatem facierum eius.* Iustinianus Genuen. legit: *Recti videbunt facies eorum.* *Verſ.* vlt.

In Domino confido.] Significat hoc versu Propheta, fiduciam se coniecisse in Dominum, essèq; spe bona præditum, vanos fore proditorum conatus, quibus se Sauli tradere moliebantur. EXPLANATIO.

Quomodo dicitis animæ meæ.] Hoc est: Quare insidiamini animæ meæ, & contra illam conspiratis? vt dicere animæ, idem hic sit, atque, consultare aduersus animam, illique insidiari. *Verſ.* 1. 2. & 3.

Vt fus-

Vt fugiat a montibus vestris velut auis.] Non leguntur Ziphæi hoc iussisse verbis, sed proditione sua, quantum in ipsis erat, id effecisse, vt tutus in montibus ipsorum non fuerit, sed necessitate coactus fit, vt tandem ex illorum montanis fugeret. qua de re videre est 1. Sam. 27. initio capitis. Nam posteaquam ipsorum iud cio aliquoties proditus esset, sicut patet cap. 23. & 26. tandem dicebat: Aliquando incidam vna die in manus Saul. Nonne meliùs est vt fugiam, & saluer in terra Philistinorum, vt desperet Saul, cesseteq; me quærere, &c. Hoc scilicet erat quod hîc dicit: *Quoniam dicitis animæ meæ, vt fugiat ex montibus vestris velut auis?*

Vers. 2. *Quoniam ecce impij intendunt arcum.*] Metaphora sagittandi non modò necis periculum ab impijs Saulis satellitibus intentatum, sed & irremissam persequendi sedulitatem, quam videlicet ad perdendum parati, & iamiam intenti fuerint, exprimit. Quod ergo dicit: *Quoniam ecce impij intendunt arcum*; idem est ac si diceret, Quoniam ecce impij hostes mei, qui me persequuntur, perinde in necem meam inhiant, & armis suis ad perdendum me præstò sunt, ac si arcu quisquam ad sagittandum parato & instructo ad sternendam auiculam iamiam collimet. Meminit autem huius ob eam causam, vt crudelitatem ipsis exprobret: qua fiebat, vt cùm scirent impios Saulis satellites totos in hoc esse, vt se ad occidendũ caperent ac perderent, nihilo tamen minus in illorũ se manus tradere satagerẽt.

Illud, *Vt sagittent in obscuro rectos corde*: non est ad impios sic referendum, quòd illi Dauidi obscurè: id est, tectè & occultè insidiati sint, cùm illum palàm ac manifestè ad necem quæsierint: sed quod Dauidem ac socios illius ad declinandum Saulis maliciam obscuris montium ac vallium locis abditos studiosè ad perdendum quæsierint.

Vers. 3. *Et si fundamenta destruantur, iustus quid faciet?*] Versus hic magnę fidei est. Tantundem est quod dicit: Insidientur quantum volent homines impij, me non mouebunt. Quid homo innocens faciet, etiamsi cœlum ruat, & Orbis fundamenta concutiantur? Securus erit in Domino Deo suo. Hoc sensu videtur mihi positus hic versus, atq; ita respicere ad versus sequentes. Videtur enim dicere: Quid iustus faciet aliud, quàm vt à Domino pendeat, qui iudex est omnium, cuius oculi filios hominum cœlitùs despiciunt, qui osor est omnis mali, &c.

OBSER. *Vers. 1.* *In Domino confido.*] Notemus hîc, quare fiduciam suam in Deum mox initio Psalmi præmiserit Quod primarium in corde Prophetæ, veluti omnium actionum fundamentum erat, id mox initio erupit. Admonemur itaque hoc loco, quo loco pijs sit fiucia in Deum, si per impios adfligantur.

Quæsit animæ angustia, cui impiorũ malicia loquitur: vide Gen. 42. in verbis fratrũ Iosephi. *Quomodo dicitis animæ meæ.*] 2. Obseruemus hoc genus dicendi, quo vel impij malicia & insidijs suis, vel pij bonitate & beneuolentia sua mentibus nostris, illi anxia, isti læta & iucunda loquuntur. Vtinam & Deum sic loqui nobis sentiamus, siue irascatur, siue beneuolentiam factis erga nos declaret.

Vt fugiat à montibus vestris velut auicula.] Expendamus hîc, quanta sit inhumanitas & crudelitas impiorum hominum erga pios, qui sunt veluti passerculi in oculis Mundi huius. Profligant pios, vt reddantur vagi & errabundi, quæ miseria dictione *fugiendi*, deinde & *auiculæ* similitudine notatur, quæ sic fugatur, vt nusquam tutum ac certum consistendi locum inueniat. Ipsa historia Dauidis satis indicat, quàm nusquam tutus fuerit. Vide à c. 19. vs. 1. ad 27. 1. Samuelis. B

Sic Dauid, cum esset inunctus ad regem, primùm fugere, & crucis formam gestare coactus est. Imago Christi. *Quoniam ecce impij intendunt arcum.*] Notemus hîc insignem inhumanitatem impiorum. Si humanum est, hominem qui etiam sua ipsius culpa mortem commeruit, fuga elapsum celare ac seruare, quod boni facere solent: quomodo non est inhumanissimi pectoris, non modò non celare, nec seruare, sed prodere etiam illis, qui ad necem inferendam iamiam instant & vrgent, idque non reos & noxios, sed insontes ac pios?

Vt sagittent rectos corde.] 1. Notemus hac imagine, quanta sit crudelitas, hominem rectum corde, perinde atque auiculam sagitta ad mortem petere. Quid aliud sunt pij in hoc seculo, coram impijs, quàm velut auiculæ quædam omnium libidini expositæ? Sic audimus hodie Hispanos, egregium illud Christianorum genus, in hisce motib. bellicis, quos Romanus Antichristus anno hoc 1546. excitauit, Germanis minitari, velle se illos perinde atque auiculas bombardis suis sternere. Tam abest vt impiam crudelitatem suam agnoscant, vt de illa etiam nondum perfecta glorientur.

OBSER. *Vers. 2.*

Expẽde quid causæ dederit Dauid, ad istam crudelitatem. *In obscuro.*] 2. Et hanc particulam notemus. Per se miserum est, locis obscuris esse abditum. Iam ne in illis quidem securum esse sed ad mortem quæri, & miserrimum est, & maximæ immanitatis hominum impiorum iudicium habet: qui sic exacerbati sunt contra pios, vt non sustineant, eos ne in tenebris quidem in hac vita consistere. Sic Dauid in abruptissimis petris, etiam ne ibicibus quidem peruijs, quærebatur, 1. Sam. 24. Sic Saul dicebat: Etiamsi se in terram abdiderit, perscrutabor eum, 1. Sam. 23. Sic Christiani ad latebras adigebantur, & tamen ne sic quidem securi erant.

OBSER. *Vers. 3.* *Et si fundamenta destruantur, iustus quid faciet?* 1. Notemus hic, quàm nihil debeat adeò graue & horrendum videri, quod hominem insontem concutiat, etiamsi totus Orbis in ima considat. Notum est illud Poëtæ:

Si fractus illabatur orbis, Impauidum ferient ruinæ.

Iustus quid faciet?] 1. Admonemur & hinc, colligendam esse iusto fiduciam in Deum suum, quòd per se nihil potest. Quid refert esse anxium in re, quam nullis nostris vel consilijs vel viribus auertere possumus? An non ipsa necessitas cogit, vt omnia aduersa Deo committamus.

EXPLANATIO. *Vers. 4.* *Dominus in templo sancto suo,*] Commodùm ista præcedentibus subiecit. Dixerat: *Et si fundamenta destruantur, iustus quid faciet?* Consequenter, vt in eo se abundè animatum esse significet, quòd sciat Dominum esse in cœlis, cuius oculi non sunt ad facta mortalium clausi, sed intentissimè cuncta cœlitùs despiciant, ista subiungit, dicens: *Dominus in templo sancto suo.* & Ebr. est בהיכל קדשו: id est, *In regia*

sancta

A *sancta sua.* Loquitur enim de Deo tanquam rege quodam & potentissimo & iustissimo. *In cœlo sedes eius.* Exponit quid dictione *regiæ* intelligat, cœlum videlicet. *In cœlo*, inquit, *sedes eius*: id est, in cœlis habitat, velut rex quidam in regia sua. *Esa. 39: Et erūt eunuchi in palatio regis Babel.*

Oculi eius despiciunt, palpebræ eius probant filios hominum.] Quoniam filij huius seculi ob id Deum facta mortalium non videre putant, quòd in cœlis habitare dicitur: affirmat Propheta contrarium, dicens: *Oculi eius despiciunt*, &c. & significat, hac se fide confirmatum, non futurum animo deiecto, quicquid impij moliantur, etiamsi ipsa Orbis fundamenta diruantur.

Dominus iustum probat.] Quoniam dixerat: *Palpebræ eius probant filios hominum*: consequenter etiam de discrimine filiorum hominum subiungit, quorum alij sunt iusti, alij impij: canitque, quomodo inter vtraq; genera etiam ipse Dominus discriminet. *Iustum*, inquit, *probat Dominus.* Intelligit autem *probandi* dictione, non eam inquisitionem, qua mẽtes mortalium cognoscendi gratia explorantur: sed potiùs eam probationem, qua sicut aurum igne, sicut iusti tribulationibus probantur & purgantur. *Impium autem*, inquit, *& eum qui diligit iniquitatem, odit anima eius.* Hæc discriminis altera pars est. Eosdem per impium & diligentem iniquitatem intelligit, reprobos videlicet, timor Dei vacuos, & malis gaudentes. Intensionem odij habet, quòd non simpliciter odit, odio habet: sed, *Odit anima eius.* *Verſ. 5.*

Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.] 1. De eo quòd Dominum *sedem*: id est, habitationem in cœlis habere canit Propheta, vide quæ suprà Psal. 2. vers. 4. sint notata. Deinde & illud expendamus, quòd cœlum vocat *templum Dei sanctum.* Admonemur hîc, quò debeamus oraturi, cor, manus & oculos dirigere: nempe ad cœlos. Huc tendantur vota fidelium. Si legerimus, Dominus in regia sancta sua: admonemur de amplitudine D. maiestatis. Etenim secundum splendorem & amplitudinem regiæ, æstimari solet & maiestas & amplitudo regis. Cœlum hoc, regia Dei nusquam terrarum non incurrit oculos mortalium. Ergo maiestas Dei vbiuis terrarum omnium oculis consideranda exponitur. OBSERV. *Verſ. 4.*

Oculi eius dispiciunt, & palpebræ, &c.] 2. Notandum hîc est, quòd non simpliciter dicit, *Videt filios hominum*: sed, *Oculi eius* יחזרו: id est, *contemplantur & considerant*: vt diligentem animaduersionem exprimat, qua mortales Deus in terris repentes oculis intentissimis obseruet. Deinde non solùm hoc dicit, sed addit: *Et palpebræ eius probant filios hominum.* Non solùm, *inquit*, contemplatur & videt, sed exactè etiam intima mortalium probat & explorat. Mirabiles sunt oculi Dei, qui non solùm externa facta vident, sed intima cogitata filiorum hominum explorant. Magna reuera fiducia conscientiæ rectæ, & integræ, posse ex eo erigi, quòd omnium mortalium cogitata oculis Dei patent.

Filios hominum.] 3. Ebræ. בני אדם: id est, *Filios Adæ.* Notemus hîc neminem viuere in hac terra, quem oculi Dei non contemplentur & probent. Nemo cogitet, Nullius sum momenti in hoc seculo, contemptus sum, & despicatus, pauper, vilis, indoctus, &c. putâsne oculos Dei in te esse intentos? Quam putas tui rationem habere Deum? Quisquis sis, ex illis es, quos hîc Propheta per *oculos Dei* videri ac probari dicit.

B

Adhæc, cogitemus hîc quæ sit illorum stultitia, qui de nescio quàm sublimi ac vetusto maiorum suorum stẽmate gloriantur, quasi non sint & ipsi filij Adæ, & omnium eorum fratres, qui vnà cum ipsis ex Adamo primo omnium parente sunt prognati.

Dominus iustum probat.] 1. Notanda est hæc intelligentia piorum, qua quod in oculis carnis appareret, putatur esse ipsissima perditio, interpretantur esse opus Domini ad probãdum iustos. Carnales hominẽs iudicant adflictiones piorum indicium esse, quòd Deo displiceant: sicuti amici Iob de adflictionibus illius iudicabant. Et nonnunquam accidit, vt & ipsi pij sub cruce constituti, iuxta sensum carnis dicant: Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Et: Deus meus, quare dereliquisti me? Verùm pij crucem, nec perditionem, nec odij Dei signum, sed probationem esse norunt. OBSERV. *Verſ. 5.*

2. Deinde notemus etiam verbum *probandi.* Sensus illius geminus est: vnus ad cognoscendum, alter ad purgandum & comprobandum. Probantur primo sensu, ea quæ nondum sunt cognita. Sic Paulus dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Gen. 27, dicebat Isaac ad Iacob: Accede huc, vt tangam te, fili mi, & probem, an tu sis filius meus Esau, an non. Altero sensu probantur etiam cognita, vt vel purgentur, sicut aurum purgatur igne. Prou. 17. vel recta, solida, & firma reddantur. Sic Paulus Rom 5. dicit: Tribulatio patientiam, patientia probationem parit. Prior sensus Deo non competit, sed mortalibus. Non est enim illi opus, vt nos ad cognoscendum probet, cùm nihil illum lateat. Alter sensus illi competit, & nobis vehementer est necessarius. Etenim nemo tam iustus est, qui non habeat opus vt adflictionibus probetur, purgetur, & confirmetur. Iohan. 15. dicit Christus: Et eum qui fert fructum, purgabit, vt plus fructus adferat. Exercebatur Abraham peregrinationum molestijs & fame, sicut & Isaac post ipsum, & Iacob, & Ioseph, & filij Israël in Ægypto, in deserto, & ipsi quoque Apostoli &c.

Impium autem, & qui diligit iniquitatem, odit anima eius.] Secũdo loco notanda est etiam hæc particula. Primùm obserua verborum ordinem. Præmittit impietatem, deinde subiungit dilectionem iniquitatis. Rectè. Nam ex impietate nascitur ista iniquitatis dilectio, sicut ex pietate originem habet dilectio iustitiæ & probitatis.

Deinde notandum est, quod non dicit, *Peccatorem autem, & quæ iniqua sunt facientem*: sed, *Impium & qui diligit iniquitatem, odit anima eius.* Peccant subinde & iusti, & quæ iniqua sunt committunt: verùm ob id non sunt confestim coram Deo detestabiles, quoniam non sunt impij: nec diligunt iniquitatem, sed illam ex animo detestantur. Omnino aliud est, peccare & iniquè agere, quod ex infirmi-

tate carnis fieri potest: & aliud, esse impium, & diligere iniquitatem: quod non infirmitati, sed malitiæ carnis deputari debet. Faciebat malum & Paulus, sed malum non diligebat, imò odio habebat. Vnde & contra vim peccati, quam in carne sua sentiebat, conquestus est, & lege Dei in interiore homine delectatum esse se scribit. Qui tales sunt, quoniam corde diuinę voluntati coadunantur & consentiunt, licet adhuc per carnis infirmitatem peccent, Deo tamen propter Christum sunt accepti, non inuisi.

EXPLANATIO. *Pluit super impios, laqueos ignis.*] Quoniam Dominum impios iniquitate gaudentes, vehementi odio prosequi dixit, visum est illud exemplo memorabili & insigni, velut ob oculos exponere: ideoque exitium illud Sodomæ Gomorrhę, &c. admodum horrendum in medium adducit, in cuius mentione pleraque satis emphaticè ponuntur. Primùm, quòd *ignem cœlitùs super impios deriuatum*: deinde *sulphur* etiam *immixtum*, fortissimum scilicet ad ardendum incitamentum: tertiò *spiritum tempestatis adiectum*, quo incendium illud exagitatum sit, dicit: quartò, quòd *igni, sulphuri, & spiritui tempestuoso laqueos* tribuit, quibus videlicet impij velut intricati sint in eo incendio, & ad perditionem detenti: quintò, quòd *laqueos istos deplutos* dicit, vt abundantiam illorum exprimat. Talis erat etiam plaga septima ex illis, quibus à Deo punita est Ægyptus. Vide Exod. 9. Huiusmodi plaga non castigantur & probantur iusti, sed puniuntur impij. Habet enim declarationem furoris Dei, & maximi odij aduersum reprobos. Sic Deut. 29. Sodomam & Gomorrham à Domino in ira & furore subuersas esse legimus. Volens itaque Propheta ostendere, quantum discriminis sit inter id quòd iusti tribulationibus à Domino probantur, & id quòd impij ab illo insigni odio perduntur & horribili exitio traduntur, horrendum illud Sodomæ & Gomorrhæ incendium ad memoriam reuocauit.

Quæ pars fuit calicis eorum.] *Calicis* metaphora nota est in Scripturis. Sumitur pro mensa vel supplicij quo puniuntur impij, sicut hoc loco & plerisque alijs videmus: vel tribulationis qua probantur iusti, vt Matth. 20. & 26. vel felicitatis, qua inebriantur iusti, sicuti videre est infrà Psal. 23. Singulis Deus certam mensuram de vino vel iræ vel gratiæ suæ infundit. Vt itaq; Propheta dicat, exitium illud horrendum Sodomitis diuinitùs fuisse tanquam insigniter impijs destinatum, & velut admensuratum, vtitur hac calicis metaphora, dicens: *Quæ pars fuit calicis eorum.*

Vers. vlt. *Quoniam iustus Dominus.*] Psalmum insigni sententia, vice ἐπιφωνήματος posita concludit. Quare probat Dominus iustos? Quare impios, & iniquitatem diligentes ex animo detestatur, ac laqueos ignis, sulphuris, &c. super illos pluit? respondet: Quia iustitias diligit, & quod rectum est, diligenter obseruat. Quare & hoc? Quia iustus est. Qualis quisq; est, tales etiam diligit ac diuersos aduersatur.

OBSER. *Vers. 6.* 1. Principiò notandum est, quòd his quæ versu præcedenti dixit, nempe: *Impium autem & qui diligit iniquitatem odit anima eius*: exemplum hoc de exitio Sodomitarum subijcit. Vnde admonemur, B quàm graue sit, odio Dei esse obnoxium. Sic enim comparata est odij natura, vt quoscunque odit quisque perisse velit. At velle Dei, pro sua efficacia operis est loco. Ipse namq; dicit: Voluntas mea fiet. Non possunt ergo non perire, quotquot odio Dei sunt obnoxij.

2. Deinde obseruandum est hîc, quis vsus nobis esse debeat iudiciorum Dei, quæ olim declarata in Scripturis sanctis leguntur. Legenda sunt & memoranda non simpliciter tanquam res semel gestę, sed tanquam exempla vel gratię Dei erga pios, vel iræ contra impios: vt cogitemus eadem, aut certè grauiora expectanda esse omnibus illis, qui impiè agunt. Sic 2. Pet. 1. legimus: Si Deus angelis peccantibus non pepercit, &c. & si originali Mundo non pepercit &c. & ciuitates Sodomorum & Gomorrheorum in cinerem redigens euersione damnauit: exemplum eorum qui impiè acturi erunt ponens, &c. Et Lucæ 13. Christus consimili modo contra impœnitentes ex perditione quorundam arguit. Vide locum. Ad eum modum & Propheta hoc exemplo Sodomiticę subuersionis exitium minatur impijs iniquitate gaudentibus: simul admonens, quàm odiat Deus homines impios, & iniquitati studentes. Quæ fuerit autem impietas & iniquitas Sodomitarum, Gen. 19. & Ezech. 16. videre licet.

3. Tertiò, ex eo quod dicit, *Quæ fuit pars calicis eorum*: notandum est, admetiri Deum cuiq; suum calicem ebibendum: hoc est, suam vel tribulationis vel exitij mensuram, genus & modum. Quapropter cogitet quisque in tribulatione constitutus, id quod patitur, esse calicem à Deo sibi infusum & destinatum. Deinde esse illi additam certam mensuram, ne putet nullum illi fore modum, nullum finem.

4. Consideremus etiam qualitatem calicis huius impiorum, vt inter calices iustorum & impiorum discernamus. Punit impios Deus, castigat pios. Genus hoc perditionis, qua perit Sodoma, non est piorum, sed impiorum. Ideo Prophetæ similes plagas minati sunt Babilonijs, Esa. 13. Idumæis, Hierem. 49. & Moabitis & Ammonitis, Zeph. 2. Quapropter curandum nobis est, ne participes calicis impiorum reddamur. Reddemur autem, si pares illis impietate & impœnitentia fuerimus. Ezech. 23. contra Iudam minatur, dicens: In via sororis tuæ (*id est, decem tribuum Israëlis*) ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua, &c.

OBSER. *Vers. vlt.* *Quoniam iustus Dominus.*] 1. Notandum est, quomodo Propheta certis illis ac indubitatis de Deo prolepsibus vtatur, quæ sic omnium mentibus insident, vt nemo sit qui illis sine manifesta impudentia & impietatis nota contradicere sustineat: vtpote quòd *iustus* dicitur, bonus, omnipotens, omnia sciens, &c. Colligit hic ex eo quòd iustus est Deus, nō posse eum diligere impios & iniquos, odio habere iustos & pios: sed necesse est vt diligat iustos, & detestetur iniquos. Etenim qualitas odij & dilectionis qualitatem etiam odientis ac diligentis declarat.

2. Notabis autem quod dicit: *Iustitias diligit.* Certè qui iustitiam diligit, propter hanc diligit etiam iustos

Iustos ipsos. Sic est dilectionis ingenium cōparatum. Qui diligit venustatem, venustatis gratia
A diligit etiam venustos: qui diligit eruditionem, propter hanc diligit & eruditos. Sic viceuersa, qui odit superbiam, odit etiam superbos: qui detestatur impietatem, detestatur simul & impios. Itaq; duorum hic admonemur. Primum, vt si diligi à Deo voluerimus, studeamus iustitiæ, vt illius nomine diligamur à Deo. Alterum, vt ex genere dilectionis & odij obseruemus quales simus. Sentis in te amorem rerum iniquarum & secularium cogitate esse iniquum & secularem: contrà si diligis iustitiam, & odio iniquitatem prosequeris, agnosce donum Dei, & per gratiam illius propaga illud, & auge.

3. Tertiò & illud notandum est quod dicit: *Rectum videt vultus eius.* Non est simpliciter, יראו, *vident*: sed, יחזו: id est, *contemplantur & obseruant.* Quod quisque diligit, hoc studiosè obseruat. Sic colligitur ex studio obseruandi & contemplandi dilectionis affectus. Rectum vident subinde & impij, sed non quærunt, non obseruant, non diligunt rectum. Vbique iustus, quicquid faciat, studiosè quod rectum est obseruat, & vnicè spectat.

PSALMVS XII.

AD PRÆCINENDVM SVPER OCTAVA,
Psalmus Dauidis.

ARGVMENTVM PSALMI.

Titulus nihil habet, quod ad argumentum Psalmi facit. Illud enim, Super octaua, *meo iudicio, ad instrumentum Musicum pertinet: hoc forsan nomine sic dictum, quòd octo chordas habuerit.*

Quæritur autem hoc Psalmo Dauid, & iustitiam & fidem inter mortales esse diminutam: ac vicissim fastum, hypocrisim, mendaciū, fraudulentiam, & pauperum oppressionem, fastigia rerum occupasse. Ideoq; imprecatur superbis, dolosis ac perfidis diuinam vltionem & exterminium: ac simul pios & afflictos solatur, non deserturum ipsos Dominū, sed salutem missurū, & à generatione praua conseruaturū.

Potest verò hic Psalmus in tres partes diuidi, sic, vt duo primi versus querimoniam de iustitia & fide diminuta, tertius & quartus imprecationem exterminij, reliqui ad calcem vsque consolationem & diui-
B *ni auxilij pollicitationem contineant.*

VERS. 1. SERVA Domine, *quoniam defecit sanctus: quoniam diminuti sunt fideles à filijs hominum.*

2. *Vana loquuntur vnusquisque ad proximum suum: labijs dolosis in corde & corde loquuntur.*

3. *Excindat Dominus vniuersa labia dolosa, linguā magna loquentē.*

4 *Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus, labia nostra nobiscum sunt: quis noster Dominus est?*

5. *Propter deuastationem adflictorum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: feram salutem, (sic) loquitur apud se.*

6. *Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum in fornace terreo, purgatum septies.*

7. *Tu Domine custodias eos: serues nos à generatione hac in æternum.*

8. *Circumquaque impij ambulant, cùm exaltantur vilissimi filiorum hominum.*

LECTIO.

Diminuti sunt fideles.] Ebr. כי פסו אמונים. Græc. ὅτι ὠλιγώθησαν αἱ ἀλήθειαι. Vulg. Lat. Quoniam diminutæ sunt veritates. Hieron. *Quoniam imminuti sunt fideles.* Arabs: *Et diminuta est veritas à filijs carnis.* *Vers. 1.*

Vana loquuntur. Ebræ. שוא ידברו Græc. μάταια ἐλάλησαν. Vulg. Lat. *Vana loquuti sunt.* Hieron. *Frustrà loquuntur.* Felix: *Vana loquentur.* *Vers. 2.*

Qui dicunt.] Ebr. אשר אמרו. Græc. τὰς ἀποῤῥήσεις. Vulg. Lat. *Qui dixerunt.* Sic legit & Hieron. Chald. ראמרין: id est, *dicentes.* *Vers. 4.*

Labia nostra nobiscum sunt.] Ebr. שפתינו אתנו. Græc. τὰ χείλη ἡμῶν παρ' ἡμῖν ἐστί: id est, *Apud nos sunt.* Vulgat. Lat. *A nobis sunt.* Sic legit & Arabs. Hieron. *Nobiscum sunt.* Sic & Chald. עמנו: id est, *Nobiscum.*

Feram salutem.] Ebr. אשית בישע: id est, *Ponam in salute.* Ebraismus est, pro, *ponam salutem.* Græc. θήσομαι ἐν σω]τηρίῳ. Vulg. Lat. *Ponā in salutari.* Sic legit & Hier. Chal. אישוי פרקן: id est, *Statuam redemptionē.* *Vers 5.*

Loquitur apud se.] Ebræ. ירפיחלו. Græc. παῤῥησιάσομαι ἐν αὐτῷ. Vulg Latina: *Fiducialiter agam in eo.* Hieron. pro hac particula legit, *Auxilium eorum.* Chald. *Impijs verò testificabitur malicia.* Felix: *Loquetur pro ipso.*

In fornace terreo.] Ebr. בעליל לארץ Græc. δοκίμιον τῆς γῆς. Vulgata Latina: *Probatum terræ.* Hieronym. *Separatum à terra.* Chald. בכורא על ארעא id est, *In fornace è terra.* *Vers. 6.*

Custodias eos.] Ebr. תשמרם. Græc. φυλάξεις ἡμᾶς. Vulgata Lat. *Custodies nos.* Sic legit & Arabs. Hier. *Custodies ea.* Chald. legit: *Conseruabis iustos.* Et Felix: *Custodies eos.* *Vers. 7.*

Cùm exaltantur vilissimi filiorum hominum.] Ebr. כרום זלות לבני אדם. Græc. κατὰ τὸ ὑψ[ος σοῦ ἐπολυάρυ- *Vers. vlt.*
ξες τὸς υἱὸς τῶν ἀνθρώπων. Vulg. Lat. *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Hieron. *Cùm exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.* Chal. *Circumeuntes impij ambulant tanquam sanguisuga, quæ sugit sanguinem filiorum hominum.* Felix: *Cùm exaltabuntur opprobria filijs Adam.*

EXPLANATIO. *Verſ. 1.*

Serua Domine.] Nihil obſcuri habent hi verſus. Exclamatio eſt, quod in hãc vocem, *Serua Domine,* erumpit Propheta Velut enim diu cogitabundus, & dolore cordis ex intenta mali huius conſideratione intra ſe preſſus, tandem ſic prorumpit & clamat animus pius, vt dicat: *Serua Domine quoniam defecit ſanctus.* חסיד eſt, quod plerunque *ſanctus* redditur. Significat virum probum, & beneficentiæ ſtudentem. חסד enim *beneficentiam & bonitatem* ſonat. Quæritur paucos ſupereſſe bonos & fideles, vel ſi mauis, veraces. Vtrunque enim Ebræa vox אמונים ſignificat. A

Vana loquuntur.] Exprimentum eius quòd primo verſu conqueſtus eſt, ſecundo hoc verſu ſubijcit. Etenim ex eo quòd paſsim obtinuerãt fraudes ac doli, ita vt nihil veri, nihil ſinceri in ore mortalium volueretur, facilè colligi poterat, numerum proborum ac veracium eſſe diminutum. Generalem fuiſſe hanc corruptionem, ex eo indicat, quòd non ſimpliciter dicit, *Vana loquuntur*: ſed addit, *Vnuſquiſque ad proximum ſuum.* Illud, *Labijs doloſis*, vel vt in Ebræo eſt, *Labio blandiciarum, in corde & corde loquuntur*: nihil aliud eſt quàm quod dicit, eos duplici corde locutos, ita vt aliud interne cogitauerint, & aliud protulerint. Illis enim qui tales ſunt, velut aliud cor in ore eſt, & aliud in pectore. Et quoniam hoc genus hominum blandicijs vtitur, vt fallat, tribuit illis labium blandiciarum. Poteſt autem illud שבחל קרח etiam ſic legi, *Labio diuiſo.* Nam חלק etiam *Diuiſit & partitus eſt*, ſignificat. Atque hoc ſenſu relinqueretur ſubdolis & mendacibus hominibus nec cor, nec labium ſimplex, ſed diuiſum & duplum. Labium diuiſum eſt, quando aliud in faciem, & aliud à tergo & ſeorſim dicitur, quando in faciem laudamus, & à tergo vituperamus.

OBSERV. *Verſ. 1.*

Serua Domine.] Notemus hanc exclamationem. Qui orat vt à Domino ſeruetur, vtiq; periculum ſentit, vel de futuro ſibi malo timet. Senſit ergo Propheta, bonis ac pijs hominibus periculoſum eſſe, ſi viuendum ſit inter impios, mẽdaces ac ſubdolos, paſsim obtinentes. Ideo orat hîc, vt à Domino ſeruetur: ſicut & infrà Pſalmo 119. dicit: Libera me Domine à labijs iniquis, & lingua doloſa. Et reuera impoſsibile eſt, laqueos talium hominum effugere, niſi quis diuinitùs ſeruetur. Et enim ſicuti cor hominis peruerſi inſcrutabile eſt, ita enim fraudes illius vitari nequeunt, niſi ſolo diuini ſpiritus ductu. Magi fraudes Herodis non euaſiſſent, niſi angelica acceſsiſſet admonitio. "

Quoniam defecit ſanctum & diminuti ſunt fideles.] Duo ſunt hîc notanda. Vnum quorum ſit huiuſmodi querimonia. non eſt reproborum, ſed piorum & iuſtorum, qui probitatis ac veritatis amore tenentur. Reprobi, vt nulla veritatis ac probitatis cura tenẽtur, ita non admodum de eo dolẽt, quòd numerus bonorum ac veracium diminuitur, niſi quãtum is defectus damni aliquid rebus ipſorum allaturus videtur. Licet enim veritatis amici non ſint, moleſtè tamen ferunt, ſi decipiantur: idque non odio mendacij, ſed ſtudio res ſuas promouendi. Alterum, quòd non dicit, *Quoniam prorſus nulli ſuperſunt ſancti & fideles*: ſed, *Quoniam defecerunt, diminutiq; ſunt.* Donec hic Mundus durat, perpetuò reperiuntur aliquot boni ac veraces, vtvt pauci. Et ipſe Propheta infrà ſatis declarat, ſuperfuiſſe adhuc bonos & inſontes: de quorum oppreſsione & gemitu mentionem facit. B

Expende, quòd populũ Dei vocat filios Adæ ad vitã illorũ, non ad ceremonias reſpicit.

A filijs hominum.] Particula hæc notanter eſt poſita. Non dicit, *In populo Dei in domo Iſraẽlis*: ſed, *A filijs*, vel *inter filios Adam.* Rariſsimus prouentus eſt bonorum in filijs Adæ. Es hat dieſe frucht nicht ſonders guten platz in Adams garten.

Vana loquuntur.] Quod mendacibus & ſubdolis admodum aſtutum, & rebus ipſorum ſummopere profuturum videtur, id vocat Propheta *vanum.* Talia ſunt omnia mendacia. Etenim veritas ſoliditatem habet, mendacium verò vanitatem. Iam quæſo quis profectus eſſe poſſet è re vana? quæ fertilitas è re ſterili? Ingens eſt aſtutorum & ſubdolorum hominum inſania, quòd rebus ſuis incrementum ac ſucceſſum è mendacio ſperant.

OBSERV. *Verſ. 2.*

Vnuſquiſque.] 1. Vniuerſalis hæc nota non ſic quidem accipienda eſt, vt intelligamus neminem prorſus ſuperfuiſſe veracem inter filios hominũ, ſed quòd malũ hoc paſsim obtinuerit. Notemus igitur hîc, licet ſcriptum ſit, omnem hominem eſſe mendacem, fieri tamen nonnũquam vt mendacium inter homines magis quàm antea incaleſcat: ſicut etiam nationes reperiuntur, quæ reliquis ad mentiendum ſunt procliuiores: quales erant Cretenſes, Tit. 1. Totus Mundus, *inquit Ioannes*, in maligno poſitus eſt. attamen mala aliquo tempore & in aliqua gente conſueto magis inualeſcunt. "

Ad proximum ſuum.] 2. Habet & hæc particula mali exaggerationem. Minus eſt decipi à peregrino, ab hoſte, ab inimico: maius verò, ſi id fiat ab amico, proximo, vicino, cognato, fratre, ſorore, cõiuge, &c. Quis hîc fallaciam mendacis linguæ effugiet, vbi ne proximo quidem fidere tutum eſt? Quomodo commercia proximorum declinabimus? Non patitur hoc humani conuictus neceſsitas Quomodo ſecurè illis vtemur? Reuera, non fruſtrà exclamauit, dicens: *Serua Domine.*

Labijs doloſis in corde & corde loquuntur.] 3. Notandum hîc eſt, quid in mendacibus & ſubdolis reprehendatur, inſinceritas videlicet labiorum, & duplicitas cordium. Exempla ſunt innumera, quibus iſta malicia prodita eſt, & hodie quoque proditur. Notus eſt hoc nomine Cain erga fratrem Abelum, Saul erga Dauidem, Ioab erga Amaſam & Abnerum, Iudas erga Chriſtum. Quæ noſtro hoc tempore à magnis ac nominatis committantur, ſine meo indicio patet.

Si legerimus illud שבחל קרח, *labio blanditionum*, pulchrè innuitur hinc plerunq; decipi credulos, quòd malunt ſibi blanda quàm vera dici, diligunt aſſentatores magis quàm increpatores. Etenim veritas auſtera videtur, & inamabilis nõ ſuo, ſed noſtro ipſorum vitio quemadmodum ægroto cibus amarus & iniucundus apparet quantumuis in ſe bonus ſit, & iucũdus ſanis. Affectus noſtri ægroti ſunt & corrupti, illisque cupidè obſecundamus, & eam ob cauſam moleſtè ferimus, ſi quis illis aduerſetur: placidè verò & cùm voluptate, ſi ſit qui obtẽperet Blandus eſt ac ſuauis, quiſquis laudat, & extollit: ſumus enim φιλόδοξοι. Blanda vox erat ſerpentis cùm diceret: Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Hinc morbus iſte vſq; adeò communiter omni-

ter omnibus Adę posteris adhæsit, vt nemo sit mortalium, qui non blandicijs ac laudibus emolliri
A posse speretur. Hinc est quòd potentes ac diuites, vnde aliquid emolumenti ambitur, blandicijs passim palpantur. Cùm itaque ad hoc potissimùm seruiant blandiciæ & assentationes, vt decipiamur, nec sit quisquam qui cupiat decipi: quæ demum ista est in nobis peruersitas & obcæcatio, vt potentissimum hoc decipiendi instrumentum, linguam videlicet blandiloquam, non detestemur, sed cupidè amplectamur?

Excindat Dominus.] Considerationē mali huius: quod passim obtinere cernebat, ad hanc diuinæ vltionis imprecationē rapitur Propheta. Et vt exprimat, quàm sint detestabiles viri dolosi, & præ nimio fastu insolentes, imprecationem hanc sic profert vt conspicuū sit, insperſam esse vehemen. tibus & acribus emphasibus. Primùm enim non dicit, *Cohibeat Dominus*: sed, *Excindat Dominus labia dolosa*. Deinde non simpliciter dicit, *Excindantur*: sed, *Excindat Dominus*: vt malum hoc vsqueadeò inualuisse significet, vt nisi excindantur prorsus, idq; nō humanitùs, sed diuinitùs, cohiberi nequeat. Tertiò non solùm dicit, *Excindat Dominus labia dolosa*: sed addit, *Vniuersa*. qua dictione multitudinem & abundantiam hominum subdolorum notat. Quasi dicat: Simul vniuersa quotquot fuerint dolosa labia, excindat Dominus, sic vt nullum omnino supersit. EXPLANATIO. *Vers.* 3.

Addit, *Linguam magna loquentem.* Hac particula satis aperitur, quod genus hominum notet Propheta. Tribuit illis magniloquentiam, quæ certè inferioris subsellij hominibus tribui non potest, sed eorum est, qui in aulis principum primas habent: quales erant aulici sub regno Saulis.

Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus.] Non loquitur de oris, sed de cordis verbis, quibus superbiam & præsumptionem mentis illorum exprimit. Sentiebant impij nihil se non posse, ideoque in omnibus insolescebant, & magno cum fastu quæuis intonabant, sibique regnum quoddam linguę magniloquæ vendicabant. *Vers.* 4.

Labia nostra nobiscum sunt.] Hoc est, Potestatem habemus quęuis dicendi, siue iusta, siue iniusta, siue vera, siue falsa.

Quis noster Dominus est?] Quasi dicat: Neminem habemus, cui verborum nostrorū rationem reddere cogamur: sumus ipsi Domini, quem metueremus? hic animus omnino eorum est, qui nullo sunt nec Dei nec mortalium timore prędíti, sed propter acceptam potestatem, gloriam & maiestatem securè insolescunt, & quæuis dicunt & faciunt.

Excindat Dominus.] 1. Notanda est Prophetica hæc imprecatio, quæ omnino vim habet prophe-
B tiæ. Non orat spiritus Prophetæ zelo gloriæ Dei commotus, nisi ea quæ prorsus sunt alioqui futura. Orat hîc, vt labia dolosa excindantur: excindentur igitur. Etsi non sit nostrarum virium, vt excidium hoc perficiamus: notandum tamen est, quod id à Domino fieri petit. Itaq; primùm terreat nos hæc imprecatio hactenus, ne dolosi simus: deinde consoletur hactenus, quòd viri dolosi excidioni diuinæ sunt obnoxij, quales tandem quantíque sint in hoc seculo. OBSERV. *Vers* 3.

Labia dolosa.] 2. Quòd labijs & linguæ excisione imprecatur, cùm tamen malum hoc reuera non sit labiorum, nec linguę, quæ sunt instrumentum, sed cordis, tanquam ipsius fontis, cui labia & lingua ministrant. Sic igitur detestabile est hoc malum, vt non solùm cor vnde fluit, sed & labia & lingua, quibus velut instrumentis dispensatur, rectè detestationi & excisioni subijciantur. Sic Pro-
" uerb. 8. dicit Salom. Os bilingue detestor. Speciosi sunt pedes euangelizantium bona: Rom 10. Contrà horribiles sunt mortis nuncium adferentium. Sic comparati sumus, vt membra benedictionis ministra exoſculemur, maledictionis verò detestemur.

Linguam magna loquentem.] 3. Notanda hîc est miserabilis coniunctio blandiloquentiæ & magniloquentiæ. quare vna humilium ac deiectorum, altera verò magnatum ac potentum esse videtur. at hîc à Propheta vtraque potentibus in aula Saulis tribuitur. Mirabile prorsus est huiusmodi hominum ingenium. Vt fallant, ſicubi aliud nequeunt, blandicijs vtuntur: vbi deceperunt, tum primùm horrendum minantur, & magna loquuntur.

Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus.] 1. Expendendū hîc est, quid sit *roborare linguam.* Primùm est, reipsa præstare quod verbis fueris pollicitus. Sic solent viri veraces. De hoc genere roborandi linguam, non loquitur hîc Propheta. Deinde est, cum violentia præter ius & æquum quiduis libere pronunciare, nec vllam ferre resistentiam, etiamsi mendacissima sint quę proferas. Ista violentia impiorum est, qui in hoc seculo prędualent. Putant diuinum quiddam esse, si quod ore protulerunt, in effectum ducatur, siue id iustum sit, siue iniustum. Sic roborauit linguam suam Herodes vsq; ad occisionem Ioannis Baptistæ. Sic linguas suas roborarunt Romani Antichristi, dicentes: Vbi est maioritas, ibi est mandandi autoritas. OBSERV. *Vers.* 4.

Labia nostra nobiscum sunt, quis Dominus noster est?] 2. Videmus hoc loco, quantam insolentiam, tyrānidem & violentiam generet animus nullo timore superioris potestatis coercitus. Ista ἀφοβία quasi radix quædam est tyrannidis ac violentiæ. Hinc est quòd Spiritus sanctus principes ac iudices terræ suprà Psalmo 2. hortatur, vt Domino seruiant cum timore. Reuera tempestiuum est, vt qui tales sunt, excindantur: quo conspicuum fiat, habere eos Dominum in cœlis, quem, si sapuissent, meritò timuissent.

Propter deuastationem adflictorum.] Ab hoc versu, ad finem vsque Psalmi, Propheta adflictos ac deuastatos consolatur. Consolatur autem eos consolatione omnium certissima & fortissima, non ex humanis vel casibus vel euentibus, aut viribus: sed ex indicibili bonitate, fide ac veritate Dei, cui impossibile est gemitus insontium & adflictorum contemnere, & obdurato pectore transire. Itaque cùm dixissent: *Excindat Dominus vniuersa labia dolosa*, &c. ne videretur huiusmodi imprecatio nudum & inefficax habere indignantis animi votum, induxit Deum, deuastationem adflictorum & EXPLANATIO. *Vers.* 5.

gemitus pauperum ampliùs ferre non valentem, secum de iuuandis adflictis statuentem, sicuti so- A
lent potentes, aduersariorum improbitate post longam patientiam ad vindicandum excitari. An-
thropopathiam habet, quòd nō simpliciter dicit: *Propter deuastationem adflictorum exurget Dominus*: sed
Deum inducit veluti commotum & indignantem, ac patientiæ vincula abrumpentem, secumque
ad hunc modum inmurmurantem: Nunc surgendi tempus est, vastantur inopes, & insontes va-
stati ad me ingemiscunt. Gemitus & vastationem eorum ferre nequeo. Adferam illis salutem. Da-
bo illis virum secundum cor meum, per quem eos manibus impiorum eripiam, & bona fide re-
gam ac protegam.

OBSERV. Verſ. 5. *Propter deuastationem adflictorum.*] 1. Principiò notandum est, quòd vastationem adflictorū & pau-
perum impijs illis tribuit, qui linguam habent subdolam, nunc blandientem, nunc magna & super-
ba intonantem. Poterat dicere: *Propter adflictionem pauperum, nunc exurgam*: verùm vt quantitatem ma-
li huius velut ob oculos visendam exponeret, dixit: *Propter deuastationem adflictorum. Vastatio* autem
est, cùm non solùm spoliantur ac diuexantur miseri, sed cùm ita cuncta pessundantur, proteruntur,
ac perduntur, vt nihil spei de futura restitutione remaneat: vtpote cùm ædificia incenduntur, di-
ruuntur & solo æquantur, agrorum fruges obteruntur, in apothecis exuruntur vineta, & arbores
amputantur & exciduntur, & cuncta ad eum modū vastantur, vt nihil reliquum sit miseris, quàm
vt nudi aliò migrare cogantur. Sic vastabantur miseri sub Saule, vt relictis sedib. suis ad Dauidem
exulem fugere cogerentur. Discamus hac imagine, quantum malum sit, si dolosa & magniloqua
hominum impiorum labia supremas obtineat.

2. Deinde & hoc est expendendum, quòd non dicit, *Propter fraudulentiam, superbiam & insolentiam
impiorum*: sed, *Propter deuastationem adflictorum, & gemitum pauperum*. Ergo quamuis impiorum superbia
& insolentia ex diametro gloriæ Dei repugnat, & in se Deo vehementer est detestabilis, ac digna
cui ille resistat: videmus tamen hoc loco minus à Deo fieri posse si pauperes & inopes vastantur,
& vastati ingemiscant, quàm quòd impij superbiunt & insolescunt. Ergo minus tolerabilia sunt
quæ bonitatem, quàm quæ gloriam Dei offendunt. Non tàm est ad vlciscendum seipsum, quàm ad
iuuandum pauperes & inopes propensus. Principibus huius seculi non est tanta pauperum cura,
quanta est propriæ gloriæ & maiestatis conseruendæ. Non solent tàm moueri pauperum gemiti-
bus quàm crimine læsæ maiestatis.

Et gemitum.] 3. Obserua hìc quàm commodè gemitum pauperum subijciat vastationi. Signifi-
cat adflictis & vastatis nihil licuisse aliud, quàm tacitè intra se ingemiscere: vt improbam & ingen-
tem tyrannidis violentiam notet, cui nemo fuerit ausus occurrere & contradicere. Est autem ge- B
mitus eorum, qui id quo permuntur tollere, vel quorum ipsos pœnitet, mutare nequeunt. Consti-
tuerant sibi regem, qui more regio bella pro ipsis gereret, sicuti in alijs nationibus fieri videbāt. Ex
suo ipsorum gremio præter diuinæ beneuolentiæ sententiam in regiam maiestatem Saulem euexerant, cuius postea tyrannidem cum gemitu ferre cogebantur. Dabant igitur pœnas temeritatis,
& contemptæ propheticæ admonitionis, de qua 1. Sam 8. legimus. Prælusum est hac imagine ec-
clesię Christianorum: quę posteaquam auditum à veritate auertit, & ad fabulas conuerti cœpit, lo-
cum dedit lupis grauibus gregi non parcentibus, secundum prophetiam Apostolicam, Actor. 20.
Pulchrum & magnificum videbatur, habere Episcopos, Principes, & Pontificem coronatum, non
spirituali modò, sed & seculari gladio terribilem, vt Ecclesia non solùm verbo & gratia Christi, sed
mundana quoque potentia esset instructa: contra manifestam Christi Seruatoris nostri denuncia-
Luc. 22. tionem qua dixit: Reges gentium dominantur illis, vos autem non sic, &c. Temeritatis huius pœ-
nas luit Ecclesia iam multos annos, vt contra manifestam superbiam, contumeliam, tyrannidem
Romanorum Pontificum, Card. & episcoporum, & vastationum Ecclesiarum adflictis nihil liceat
aliud, nisi tacitè ingemiscere. Sic quod putabatur facturum ad defensionem religionis, diuino iu-
dicio ad illius oppressionem & fastationem fecit.

Pauperum.] 4. Non dicit, *Magnorum, nobilium, neque iustorum & perfectorum*: sed, *Pauperum & adflictorum*.
Longè aliter animati sunt principes huius seculi. Ad hos vel nullus, vel sanè perquàm difficilis ac-
cessus est inopibus, miseris & pauperibus. Omnino diuersum est ingenium Dei, qui potentes &
sublimes fastidit, pauperum verò & calamitosorum gemitus admittit. Pudeat eos vanitatis, imò
potiùs maliciæ, qui vt mortuorum sanctorum intercessionem, quam sibi ad quæstum confinxerūt,
contra manifestas Scripturas & Christianæ fidei puritatem defendant, similitudinem inducunt
eorum principum, qui pauperes sine magnatum patrocinio & intercessione ad se non admittunt:
quasi eodem ingenio & contemptu præditus sit Deus erga pauperes, quo prędi ti sunt huius secu-
li principes. Sic impijssimi homines, dum sanctorum gloriam prætexunt, & turpem quæstum se-
ctantur, intolerabili contumelia Deum afficiunt.

Nunc exurgam.] 5. Primùm expende, quòd nō simpliciter dicit, *Exurgam*: sed, *Nunc exurgam*. Sic ex-
primitur, quando tempestiuum sit Deo contra impiorum superbiam & insolentiam exurgere: tum
videlicet, quando ingemiscunt pauperes vastati. Ingemiscunt autem illi tum primùm, quādo cun-
cta videntur desperata, nec aliquid spei reliquum apparet. Also ist Gott ein nothelffer. Expende
hîc bonitatem Dei. Suo ipsorum vitio patiebantur istam calamitatem Israëlitę, & tamen nihilomi-
nus gemitibus illorum ad succurrendum excitatur.

Deinde cogita, quid expectandum sit, quando Dominus cœli ac terræ & Rex regum surrectu-
rum se dicit. Videmus in hoc seculo, quàtum terroris incutiatur aduersarijs, & quàm exultent sub-
diti & adflicti, si quando rex quidam potens, & ad res bellicas instructus expeditionem contra
hostes suos molitur.

Dicit

A *Dicit Dominus*: item, *Loquitur apud se.*]6. Consideremus hîc mentem Prophetę, qua ratione non solùm Deum ista secum loquentem inducat, sed adijciat etiam hæc verba: *Dicit Dominus*: & *Loquitur apud se.* Omnino voluit hæc verba nobis tanquam non humanitùs, sed diuinitùs prolata, omnium haberi certissima. Quare? Quia caro nostra difficillimè in rebus aduersis hanc fidem diuinæ bonitatis admittit, vt credat Deum gemitibus pauperum excitari. Ideo particulam hanc ingeminat, non contentus semel dixisse: *Dicit Dominus*: nisi adijciat, *Loquitur apud se*, verboque אמר vtatur: quod significat non simpliciter, sed cum quadam animi commotione loqui, ad morem eorum qui vel irati vel arrogantes loquuntur.

Feram salutem.]7. Notanda est hîc Ebræa phrasis, quæ sic habet, אשית בישע: id est, *Ponam in salute*, pro, *Ponam salutem*: quod meo iudicio plus est, quàm si dicat: *Feram salutem.* Etenim ponere salutem, non simpliciter est ad tempus præsenti succurrere necessitati, sed firmam & continuam salutem, ad futurum etiam sese extendentem constituere ac firmare. Sic non solùm Saulem cum suis è medio sustulit, sed Dauidem dedit, fidelem pastorem, qui populum Israëlis iudicio & iustitia pasceret ac moderaretur: denique contra vicinarum gentium violentiam defenderet. Volebant ipsi Israëlitæ salutem sibi ponere, cùm regem petebant. Verùm vastatorem Seruatoris loco repererunt, donec Deus ipse Dauidem daret, qui ipsos seruaret, ac ritè regeret. Ergo solius Dei est, sicuti saluare, ita & saluatores ponere.

Eloquia Domini, eloquia munda.] Quoniam versu præcedenti Dominum ipsum induxit, qui se iam surrecturum, & salutem populo suo adflicto, vastato ac pauperi allaturum dixerit: iam consequenter hoc agit, vt admoneat, verbo Dei, omni dubitatione reiecta, quàm firmissimè ac securissimè esse credendum & innitendum. Et quamuis hoc ipsum verbis non exprimat: id tamen disertè pronunciat, quod fidei huius & fiducia vnicum est fundamentũ: nempe, eloquia Dei omnium esse verissima, firmissima, & certissima, nec vnquã irrita facta, sed perpetuò veracia inuenta: quòd certè nulla alia ratione cauit, quàm vt quosuis ad credendũ eloquijs Dei hortetur. Dicit itaq; *Eloquia Domini, eloquia mũda*: hoc est, nullo mẽdacio obnoxia. Et addit; *Argentum ign. examinatum*, &c. Non solùm dicit, eloquia Domini in se esse veracia, sed etiam hoc illis tribuit, quòd sint probata & veracia inuenta. Et vt hoc exprimat, vtitur simili admodum commodo & perspicuo, argenti videlicet: quod non solùm in se sit purum ac sincerum, sed igne etiam examinatum & probatum: idq; non semel tantùm, sed septies: hoc est, abundè satis, & sufficienter, vt nulla superst dubitandi ratio. EXPLANATIO. *Vers.6.*

Eloquia Domini.]Primùm poterat dicere, Voluntas Domini mũda & firma: verùm vt mẽtes nostras non simpliciter voluntate Dei, quæ sine verbo est occulta, sed verbo quod voluntatis declaratione ac manifestatione habet, consoletur & confirmet, maluit dicere, *Eloquia Domini*, quàm, *Volũtas Domini.* Deinde poterat dicere, Quod hic loquutus est Dominus, Mundũ est & certum: verùm maluit veritatis ac certitudinis encomium, nõ solùm isti eloquio Dei, quo adflicto populo succurrere statuerit, sed in genere quibuscunq; eloquijs illis tribuere. Ideo dicit: *Eloquia Domini, eloquia munda.* Sic Prouerb. 30. Salomon dicit: Omnis sermo Dei igne probatus. OBSER. 1.

Eloquia Munda.] Notandum hîc est, quòd eloquijs Dei loco veritatis mundiciem tribuit. Ergo quòd puritas est in argento, id veritas est in eloquio: quod impuritas est in argento nondum purgato, id mendacium est in eloquio falso & corrupto. Cùm itaq; mendax sit omnis homo, eloquiũ hominis, vt hominis impurum esse necesse est: vt soli Deo, qui mentiri nescit, istud maneat puri eloquij encomion. Quapropter quicquid illi humanitùs assuitur, impurum sit oportet. OBSER. 2.

Argentum igne examinatum.] 1. Notandum hîc est, quòd eloquia diuina comparantur argento: videndumq; quomodo id faciat. Bifariã in Scripturis comparatur eloquium argẽto. Primùm ęstimatione & valore, vt Prouerb. 10: Argentum electum lingua iusti. Loquitur enim illic Salomon de vtilitate oris & linguæ hominis iusti sicut ex præcedentibus & sequentibus patet. Deinde non æstimatione, sed puritatis & probatæ certitudinis similitudine, sicut hoc loco fieri videmus. Etenim sermo Dei, si vtilitatem illius æstimes, & argentum & aurum & lapides precioſos, & omnia superat: vt Psalm. 119: Melior mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Ergo duo dat eloquijs Dei hoc loco Propheta: vnum quòd sint *pura*: id est vera: alterum, quòd sint *probata*. OBSER. 3.

2. Deinde & hoc notandum est quòd non simpliciter dicit, *Argentum examinatum*: sed, *Argentum igne examinatum.* Sic eloquia Dei igne: id est, cruce, rebus aduersis velut igne probantur. Experti sunt hoc Abraham, Isaac, Iacob, Israëlitæ in deserto, & hîc Dauid. *Expende & illud:* In fornace terreo. *Sic sunt homines pij, in quibus eloquia Dei probantur.*

Tertiò obserua, quòd non semel tantùm, sed sæpenumerò, imò quod satis sit, eloquia Domini probata esse dicit non enim simpliciter dicit. *Purgatum*: sed addit, *Septies.* Sic Spiritus S. omnem nobis incredulitatis excusationem adimit. Huc etiam facit quod Psalm. 119. dicit: Igne conflatum eloquium tuum vehementer.

ANNEXA. 1. Expendamus hîc primùm, quàm oporteat nos cordibus esse corruptis & peruersis quibus opus sit, ista de verbo Dei inculcare. Etenim si tam essemus ad credendum diuinis atq; humanis eloquijs parati ac prompti, nõ fuisset necesse ista nobis de eloquiorum Dei veritate ac certitudine inculcare. Alius vilitate ministri offenditur, sic vt verbum Dei non vt verbum Dei, sed vt verbum hominis audiat. Alius spectris huius Mundi, alius iudicio rationis humanæ retrahitur, ne verbo Dei firmiter credat. 2. Deinde quàm sit contemptus iste verbi Dei, qui postremo hoc seculo obtinet, execrabilis & inexcusabilis. Non enim tam est enorme illorum peccatũ, qui olim antequã eloquia Dei toties atq; nunc certis experimẽtis confirmarẽtur, de veritate illorum dubitarunt: quàm est eorũ, qui post tãta veritatis Dei experimẽta, etiamnũ eloquijs Dei ex animo cedere detrectãt. Itaq; & deploremus ingenij nostri corruptionem, qua fit vt tam ægrè loquenti Deo credamus:

& simul Deum oremus, vt fidei nobis spiritũ largiatur, cuius ductu cunctis eloquijs ipsius quàm firmissimè adhæreamus. Etenim sicut beati prædicantur, qui ipsi credunt: ita reuera miseri & infelices sunt, qui non credunt. A

EXPLANATIO. *Vers. 7.* *Tu Domine custodias eos.*] Habet hic versus orationem, qua petit Propheta, vt adflictos Deus à generatione impiorum custodiat. *Tu Domine*, inquit, *custodias eos*: id est, adflictos & pauperes de quibus ipse loquutus es, quòd propter vastationem & gemitum eorum exurgere, salutemque ponere velis. Non dubito quin sis eos secundum veritatem eloquiorum tuorum, quæ fallere nequeunt, custoditurus: ideoque hac fide oro, eos conserues. Adijcit: *Serues nos à generatione hac in æternum.* Et seipsum pijssimus rex adflictis & pauperibus auxilio Dei opus habentibus adnumerat. Illud, *A' generatione hac in æternum*, bifariã accipi potest. Aut de ętate illa in qua viuebat Dauid: vt idẽ sit quod, Ab hoc tempore in sempiternum, aut de generatione impiorum, de quibus versu sequẽti memini: qui sensus & Ebræis & nostris placuit, & mihi quoq; menti Prophetæ conuenientior videtur.

Vers. vlt. *Circumquaq; impij amb.*] Generationem eam, cuius versu præcedenti mentionem fecit, à qua Dominus suos sit seruaturus, hoc postremo versu qualis fuerit describit: ac simul ad eam querimoniã respicit, quam contra corruptionem eius ętatis initio Psalmi effudit. quasi dicat: Seruabis nos à generatione hac impiorum pessima, quæ sic obtinuit in populo tuo, vt passim & circumquaque ambulet, sic vt impossibile sit maliciam eius euadere, nisi tu nos serues & custodias. Illud, *Cùm exaltantur vilissimi filiorum hominum*: aulicos illos præfectos & iudices respicit, qui sub Saule in Israële homines impij tyrannidem exercebant. Et illis malum hoc adscribit Propheta, quòd impij passim in populo Dei obtinere cœperant.

OBSERV. *Vers. 7. Exemplum charitatis, quæ pro aliòrum custodiã orat.* *Tu Domine custodias eos.*] Notandum est hoc orationi sgenus, quod certo verbo Dei nititur. Non ideo orat, vt adflictos Deus custodiat, quòd de eloquijs Dei dubitet, quæ omnium dixit esse certissima & probatissima: sed quòd id, quòd Deum sciebat certò facturum, ex animo vt fiat petit. Eã demum bona fiducia peti possunt, de quorum certitudine ex verbo Dei constat, quæ non facit securos & negligentes, sed ad orandum sedulos & intentos.

II. *Serues nos.*] Considerandum hîc est modestũ ac pium regis huius pectus. Coniungit se adflictis & pauperibus, qui sub Saulis tyrannide vastabantur: simulque cum illis à Deo seruari petit, quamuis exul esset, & è medio eorum profligatus. Erat adflictis istis destinatus, seruator. attamẽ non dicit, *Ego custodiam eos, & seruabo à generatione hac impiorum*: sed, *Tu Domine custodias eos*: & ne seipsum videatur eximere, addit: *Serues nos*: vnum seipsum ex illis constituens, quibus opus sit, vt diuinitùs seruẽtur. Sit hoc exempli loco omnibus principibus & capitibus populi Dei prefixum. Poterat hîc Dauid vnus esse ex primoribus Saulis, sicut & gener illius erat. Verùm malebat cum populo adflicto periculis ac libidini impiorum exponi, quàm numero impiorum accensi. Tale quid & Moses fecisse Ebr. 11. scribitur. Et Ester, cùm esset inter reginas assumpta, vnam tamen seipsam ex illis fecit, quibus per Aman exitium intentabatur. B

III. *A' generatione hac.*] Obseruãdum hîc est, quòd non simpliciter dicit, *Ab impijs istis*: sed, *A' generatione hac.* Tribuit impijs generationem. Generatio includit propagationẽ, ab origine aliqua velut radice quadam deductam, & posteritatem consequutam. Sic impij inde ab initio impię radicis, quam humano generi satan inseruit, crescunt, & ad finem vsque Mundi propagantur: sicut contrà piorum generatio, cuius initium ex semine Dei est, & ipsa ad finem Mundi vsque extenditur. Et istę generationes piorum & impiorum haud pariformiter propagantur. Etenim impiorum generatio per peccatum, quod ex traduce primi nostri parentis carnalem nostri natiuitatem inficit, & impiam reddit, propagatur: piorum verò, non carnali natiuitate sed per semen illud Dei, quo originalis macula in electis repurgatur, cõseruatur & extenditur. Vnde fit, vt eodem parente oriatur & electus & reprobus sicuti est videre in Adamo & Iacobo. Nemo parens, quantumuis pius, liberos suos generationi piorum: ac rursus nemo parens, quantumuis impius, prolem suam generationi impiorum inserere poterit: sed vtraque generatio à iudicijs electionis ac reprobationis pendent, quæ omnium sunt occultissima.

IIII. *In æternum.*] Expendamus & hanc particulam. Erãtne ea impiorum generatio, de quà loquitur hoc loco, duratura in æternum? Atqui nec impij nec pij vllius temporis tales in sempiternum esse possunt, vt illi perpetuò nocere & opprimere, isti perpetuò adfligi & opprimi possint. Quid est igitur, quòd hic non solùm dicit, *Tu Domine custodias eos, serues nos à generatione hac*: sed addit, *In æternum*: quasi illius temporis impij in æternum vastare, & pij perpetuò vastari potuerint, vt necesse ipsis fuerint in sempiternum ab impijs custodiri? Primùm illud לעולם id est, *In seculum*, non ponitur hoc loco pro alia æternitate, quàm quæ præsẽtis est seculi, in quo pij adfliguntur ab impijs. Deinde non solùm pro sui temporis adflictis ac pijs, sed pro tota generatione piorum ad finem vsque Mũdi, contra generationem impiorum orat, vt donec hoc seculum durat, pij custodiantur à generatione impiorum. Sic se Dauid non modò sui seculi, sed in vniuersum omnibus pijs adflictis & pauperibus, qui ad finem vsq; Mũndi futuri erãt, associat, & conseruationem illorum exoptat. Admonemur igitur, perpetuam hanc esse impiæ generationis maliciam, vt pios & innoxios adfligãt & vastent, ac si possint, prorsus perdant: vt necessaria sit pijs perpetua custodia, & cõseruatione. A' quo autem illa rectiùs petetur, quàm ab eo, qui vt sempiternus Deus est & rex, ita suos etiam in sempiternum conseruare potest?

OBSERV. *Vers. vlt.* *Circumquaq; impij ambulant.*] Notandum hîc est, quòd non dicit, *Circumquaque sunt impij*: sed *Circumquaque ambulant impij.* Verbum *ambulandi* duo complectitur. Primùm, passim regnasse ac floruisse impios. Est enim *ambulare* hoc sensu, proficere, ac successum habere. Sic Esa. 40. de pijs:

Ambula-

A Ambulabunt, *inquit*, & non deficient. Et Psalm. 73. de impijs: Et lingua eorum, *inquit*, ambulat: id est, regnat super terram. Sic & Hierem de impijs, cap. 12. queritur, quòd plantati proficiant. Deinde intentissimos fuisse impios ad persequendum pios. Etenim, circumquaq; ambulare impios, præsertim in hac causa quam Propheta hoc Psalmo versat, non solùm est regnare impios, sed etiam instar leonum & luporum circuire, & quærere quos deuorent ac perdant. Vnde & Ebræus Kimhi sic hoc loco dicit, לחרוץ לחם: id est, *Ad affligendum eos*, pauperes videlicet. Sic diabolus ipse ab apostolo Petro circuire, & quos deuoret quærere dicitur. Itaq; hoc loco Propheta queritur, & multos
B fuisse impios, ac circumquaq; dispersos: deinde regnum eos in populo Dei obtinuisse, & ad affligendum pauperes fuisse intentissimos. Quid igitur hic aliud obseruandum est, quàm sicubi multiplicentur impij, passimq; regnent, & pauperes opprimant, orandum esse Dominum, vt suos ipse custodiat & conseruet? sicuti versu præcedenti Propheta orauit. 1. Pet. vlt.

Cùm exaltantur vilissimi filiorum hominum.] Obseruandum hîc est, quam causam mali huius assignet Propheta. Poterat inducere peccata populi, & iustum Dei iudicium: verùm vt notet regni Sauliticì corruptionem, culpam ijs tribuit, qui ad gubernacula rerum fuerant euecti. Magistratus potestatem, quæ à Deo est, non culpat. Neq; enim dicit: *Cùm exaltantur homines.* Culpat verò leuitatem ac vilitatem eorum, quibus potestas superior fuerat concredita. *Cùm exaltantur*, inquit, *vilissimi filiorum hominum.* Viles ex filijs hominum sunt, homines plebeij & infimæ sortis nulla rerum gerendarum dexteritate præditi: ideoq; ad assentandum & obsequendum tyrannicæ libidini parati ac prompti. Notandum itaq; hîc est, hinc maximam esse corruptionem etiam in populo Dei, quòd homines viles & leues, magistratus potestati administrandæ admouentur: vt non frustrà sit, quòd principes populi, Num. 25. propter populi corruptionem iussu Domini patibulis appensi fuisse leguntur. Est igitur orandus Dominus, vt det magistratus graues, sinceros, probos, & iustitiæ amantes. Deinde, ministros verbi quoque tales Ecclesiæ suæ præficiat, de quibus dici nequeat quòd sint לבני אדם דרללות: id est, quisquiliæ vulgi, homines leues, viles & inanes. Interim non est cogitandum contemnere Prophetam filios hominum, vulgus ac plebem in populo Dei. Absit. Non contemnit eos: sed id culpat, quòd qui vilissimi in illis erant, ad fastigia gubernandarum rerum euehebantur, vt essent tyrannidis mancipia, & viam cuiuis impietati vilitate ac leuitate sua aperirent. Omnino heroicus animus grauis ac fortis, ad magistratum gerendum requiritur. Virum enim, *vt ille ait*, probat magistratus. Præsens hoc seculum cùm in ecclesiasticis, tùm profanis rebus, hinc potissimùm corruptum est, quòd vilissimi homines exaltantur.

PSALMVS XIII.

AD PRÆCINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

EXprimitur hoc Psalmo animus primùm grandi tentatione, simul & mœrore cordis in rebus aduersis affectus: deinde ad Deũ orando cõuersus, ac tandẽ bona fiducia erga bonitatẽ Dei recreatus, futurũq; sperans, vt breui propter acceptam diuinitùs salutem exultaturus sit, ac Domino gratias acturus.

Sunt itaq; tres huius Psalmi partes. Prima querimoniam habet, versibus duobus, 1. & 2. Secunda orationem, versu 3. & 4. Tertia, versu vltimo, fiduciam in bonitatem Dei, de futuro auxilio.

SQVEQVO Domine obliuiscéris mei penitùs? Vsquequò abscondis faciem tuam à me? VERS. 1.

2. Vsquequò ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me?

3. Respice, & responde mihi, Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne obdormiam in morte?

4. Ne dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum: ne, qui tribulant me, exultent, si motus fuero.

5. Et ego in bonitate tua confido, exultabit cor meum in salute tua: cantabo Domino, quòd rependerit mihi.

Ne qui tribulant me.] Non est hoc loco in Ebræo illud *Ne*, si verba penses: verùm si sensum consideres, apparet esse repetendum quod initio versus est positum: nec aliena est ista repetitio à loquutionibus Dauidicis. Alij legunt, *Qui tribulant me, exultabunt*, &c. dempto Campensi, qui vertit, *Et hostes mei exultent*: & Luthero, Bucero, ac Zuinglio, qui voculam *Ne* repetierunt. LECTIO. *Vers. 4.*

Quòd reprehenderit mihi.] Ebr. בי גמול עלי. Græc, ὅτι ἀνταπέδωκέν μοι. Vulgata Latina: *Qui bona tribuit mihi.* Chald גטיל עלאי טבאתא: id est, *Quia benignè mecum egit.* Hieron. *Qui reddidit mihi.* Felix: *Quoniam tribuit mihi.* In Ebræo non est illud: καὶ ψαλῶ τῷ ὀνόματι Κυρίου τῷ ὑψίστῳ: id est, *Et psallam nomini Domini altissimi.* quam particulam & Græcus & vulgata Latina habent. Chaldæus vero non habet, nec Hieron. Et rursus hoc loco apparet, Arabicam versionem compositam esse secundum Septuaginta interpretationem. Nam & ipsa Psalmum hunc sic claudit: *Et laudabo nomen Domini excelsi.*

Vsquequò Domine obliuiscéris mei.] Queritur hisce duob. versibus pientissimus Dauid, primùm de eo, quòd videatur Deus sui esse oblitus. Obliuio quidẽ in Deum nõ cadit prorsus alicuius rei, nedum eorum qui in ipsum sperant, & toti ab eo pẽdent: verùm quoniã persequutio illa quã Saul impius in- EXPLANATIO. *Vers. 1.*

pius innocenti pertinaciter inferebat, inualescebat, & frustrà adflictus ad Deum clamare videbatur, nihil poterat in huiusmodi tribulationibus cõstitutus aliud cogitare, quàm nullã superesse sui apud Dominum memoriam. Hinc est quod dicit: *Vsquequò Domine obliuisceris mei penitùs.* A

Vsquequò abscondis faciem tuam à me?] Habet hæc querimonia tentationis auxesim, Etenim grauius est auersionem faciei sentire, quàm obliuionem. In obliuione remissio est beneuolentiæ & curæ, in auersione verò faciei indignatio & odium. Itaque quasi non satis magnitudinnm tentationis huius per id expresserit quod dixit: *Vsquequò Domine obliuisceris mei penitùs*: querimoniam hanc adiecit dicens: *Vsquequò abscondis faciem tuam à me?* Habẽt huiusmodi loquutiones ἀνθρωποπάθειαν: de Deo, perinde atque homine quodam loquuntur: humanum siquidem obliuisci, & faciem ab eo quem odias, auertere.

Vers. 1. *Vsquequò ponam consilia in anima mea?*] *Consilia in anima ponere*, est consilia de liberanda vita in adflicto & anxio captare. Significat ergo se varijs consilijs æstuasse: & primùm de eo queritur, quòd frustra toties secum consultarit: deinde per auxesim adijcit.

Dolorem in corde meo per diem.] Quibus verbis queritur non modò inania fuisse omnia consilia, sed dolorem cordis sui per illa auctioré etiam & intẽtiorem singulis diebus fuisse redditũ. Quid enim consilia toties frustrà capta aliud efficerent, quàm vt anxietatem animi adflicti intenderent.

Vsquequò exaltabitur inimicus, &c.] Hæc est quarta querimonia. Hinc erat grauitas tentationis huius, quòd hostem cernebat inualescere contra se, non solùm perseuerare in malicia. Etenim vsq; adeò inualescebat Saulis contra Dauidem malicia & tyrannis, vt non solùm domo eum & cognatione, sed & tota prorsus Iudæa persequendo eiecerit. Queritur igitur animus anxius & graui tentatione pressus, in summa de istis, quòd Deus sui sit oblitus, imò quòd faciem suam à se auerterit, quòd nulla succedant consilia, quòd dolor cordis non modò minuatur, sed etiam augeatur. & quòd interea inimicus contra se magis atq; magis inualescat. Et quoniam horum nõ videbat vllum finem, impatiens moræ, illud *Vsquequo*, quarto repetit: non solùm dicens, *Domine obliuisceris mei, abscondis faciem tuam*, &c. sed, *Vsquequò Domine obliuisceris mei? Vsquequò abscondis faciem tuam à me? vsquequò ponam consilia*, &c. *vsquequò exaltabitur inimicus meus super me?*

OBSER. *Vers. 1.* *Vsquequò?*] 1. Videmus hîc etiã sanctos impatiẽtia morę in rebus aduersis cruciari, si paulò sint diuturniores. Cõmuniter hoc accidit omnibus adflictis, vt finem rerũ tristium impatienter suspirent, & de diuturnitate maliquerãtur. Quapropter cauendum, ne quem hoc nomine damnemus.

Obliuisceris mei penitùs.] 2. Notanda est hæc tẽtatio. Tentationẽ fuisse, non rem veram, ex eo satis patet, quòd nec obliuio in Deũ cadit, nec Deus Dauidis huius oblitus fuit, quem ex omnib. periculis eripuit. Tentatio hęc grauis est pijs, qui qua sunt in Deum fide, sperant se ab illo nunquã fore deserendos. Cùm ergo deseri videtur adfliguntur hac tentatione, qua putant Deum sui esse oblitũ. Grauitatẽ huius tentationis non sentiunt illi, qui nulla sunt in Deũ fide, spe ac dilectione prædi-ti: sentiunt verò soli pij. Etenim quemadmodum magnam habet consolationem, si sentias tui apud Deum esse memoriam: ita grauis est hæc tentatio, qua caro adflicta dicit: *Oblitus est tui Deus.* B

Vsquequò abscondis faciem tuam à me?] 3. Notandum hîc est, quomodo adflictorum tentationes augescant. Vbi tentatio obliuionis Dei locum reperit, mox ista quæ grauior est, & irati Dei sensum obijcit, subsequitur. Quàm autem graue sit sentire Deum sic iratum, vt faciem suam auertat, nõ experiuntur, nisi quibus sensus beneuolentiæ Dei tanti est momenti, vt gaudium ex eo conceptum exprimere nequeant. Itaq; orandus est Deus, vt largiatur nobis priores ac leuiores tentationes sic vincere, vt grauioribus non sit locus.

OBSER. *Vers. 2.* *Esa. 11.* *Vsquequò ponam consilia mea.*] 1. Videmus hîc, nullis nos posse consilijs mederi rebus adflictis, si desit auxilium Dei. Dicit quidem Salomon, in multis consilijs esse salutem: Prouerb. 11 Verùm id locum habet, vbi consilia proueniunt ex spiritu Dei, qui spiritus est consilij. Quid igitur restat, quàm vt omnia nostra committamus Domino, nullisq; nostris consilijs nitamur, sed oremus, vt ipse nos Deus spiritu suo gubernet?

Dolorem in corde meo per diem.] 2. Notemus hanc inuersionem. Vsus consilij est instar medicinę. Sicut enim medicina ad tollendum morbum, sit consilium ad tollendum pericula, dolorem & anxietatem vsurpatur. Itaq; sicut inuersio est, si medicina morbum augeat: sic etiam hîc inuersio est si consilium dolorem animi anxij auctiorem reddat. Si cæci sumus, deserente nos Deo, vt dum malis nostris mederi volumus, magis illa intendamus. Huius rei innumera sunt exempla.

Esa. 54: Inpuncto dereliqui te. Luc. 18. Citò faciet vindictam. *Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me.*] 3. Si consideremus, quomodo ista præcedentibus subijciantur, notandum erit hoc loco, exultationem hostium contra pios esse non aliunde, quàm ex patientia Dei, qua suorum ad tempus obliuiscì, ac faciem suam ab illis abscondere videtur. Hinc consequitur, non posse impios diutiùs contra pios exaltari, quàm ista patientia Dei duret. Durat autem illa ad momentum. Quia non potest sperantes in se diutiùs deserere. sic infrà Psalm. 34: Vidi impium, *inquit*, exaltatum & elatum sicut cedrum Libani: transiui, & ecce non erat, & non est inuentus locus eius. "

Deinde & illud fuerit obseruandum. Si expendas historiam eorũ quæ Dauid huic acciderunt, manifestum erit, non Saulem ipsi, sed ipsum Sauli reuerà præualuisse, atq; ideo etiã hanc querimoniam, tentationem habuisse, non rei veritatem. In oculis Mundi & sensu carnis videbatur Saul super Dauidem exaltari: verùm coram Deo in veritate Saul decrescebat, Dauidem persequẽdo: Dauid verò crescebat, persequutionem Saulis ferendo. Saulem Deus proiecerat, ac regnum eius ruperat, 1. Sam. 15. & 16. Dauidem verò per Samuelem, vt Rex fieret, vnxerat. Ergo coram Mundo regnabat Saul, exulabat Dauid: coram Deo Rex erat Dauid, & proiectus Saul. Admonemur igitur

hoc

A hoc loco, tentationem hanc etiam sanctis euenire, qua qui impij sunt, & innoxios opprimunt, potentes esse & regnare: pij contrà qui opprimuntur, quotidie infirmari, imò prorsus perire videtur: cùm tamen reuera impij pereant, opprimendo pios: & pij vincant, oppressionem ferendo.

Sic Ioseph exulando & seruiendo exaltabatur, fratres eius contrà persequendo & opprimendo inferiores reddebantur. Et Pharao rex Aegypti filios Israël opprimendo opprimebatur, & Israëlitæ oppressionem ferendo crescebant & vincebant. Sic enim de illis scriptum est: Quantò magis opprimebantur, tantò magis crescebât & multiplicabantur. quod & postea reipsa est declaratum. Tale est etiam quod Christo accidit inter Iudæos. Coram Mundo exaltatus erat Caiaphas, tanquam summus sacerdos, super Christum: Christus verò depressus & proiectus: at coram Deo decrescebat Caiaphas, & crescebat Christus. Coram Mundo rex in populo Dei erat Herodes, exaltatus & elatus etiam super Christum: Christus verò vulgaris & abiectus. Interea coram Deo rex erat super montem Sion constitutus Christus. Herodes persequêdo Christum decrescebat, Christus persecutionem ferendo in regnum exurgebat. Mirabilis est hæc ratio exaltandi ac deijciendi, quam non humana ratio, sed sola fides comprehendit & intelligit.

Respice & responde mihi Domine Deus meus.] Habent hi duo versus, tertius & quartus, orationem ad Deum, quem Propheta, quamuis cùm in tribulationibus & periculis esset, sui oblitum, ac faciem à se auertisse putabat: nihilo tamen minus vt ad se respiciat, sibique respondeat implorat & inuocat, dicens: *Respice & responde mihi.* Addit, *Domine Deus meus.* q.d. Quoniam alium Deum non habeo, ad quem in tribulationibus constitutus confugiam, in quê fiduciam ac spem omnem collocem, à quo totus pendeam, quem etiam solum & verum Deum & omnipotentem, & iustitiæ studiosum, malorumque oppressorem, & innocentum assertorem sciam, quàm te ùnum, non possum, nec debeo etiam inuocare alium, quàm te Dominum Deum meum. Quapropter oro Domine Deus meus respice & responde mihi, *&c.* Quoniam Deum sui oblitum, & à se auersum putabat, orat vt se denuò respiciat, & clamanti ad se respondeat. EXPLANATIO. *Vers. 3.*

Adijcit: *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte.*] Hic verbis consequenter exprimit, qua in re exaudiri se petat, quid à Deo impretrare cupiat, nempe illuminari sibi oculos. Exponitur autem hæc particula bifariam. Primùm, vt illuminari oculos hominis in periculis cõstituti, idê sit quòd reddi prudentem, intelligentem, circumspectum, & cautum, vt videat, & sciat quibus rationibus periculis se eximere queat. Et hic sensus respicit ad præcedêtia, quibus dixit: *Quousq; ponam consilia in anima mea?* Etenim illis, quibus Deus videtur auersus, nihil est consilij, nihil prudentiæ, sed turbatio confusio & caligo mentis, vt alia atq; alia frustra tentando velut in tenebris palpent, *&c.* Contrà quos Deus clementer respicit, horum oculi illuminantur, vt plena fiant omnia consilijs & euadendi rationibus. Deinde sic exponitur hic locus, vt illuminari oculos, sit reddi vigilantem: simul ducto ab oscitantibus & dormiturientibus, præsertim illis qui ita sunt periculosè ægroti, vt si dormiant, dormiendo moriantur: id quod in nonnullis morbis accidere solet. Hinc subditur: *Ne obdormiam in morte.* Non loquitur velut ægrotus, sed simili hoc vtitur, vt significet perinde se comparatum esse, vt nisi diuinitùs conseruetur, mortis somnum excutere: hoc est, exitialia pericula & manus hostiũ euadere nequeat. Non est inter hosce duos sensus tantum discriminis, vt coniungi nequeant, & intelligere nequeamus Dauidem & prudentiam & vigilantiam petijsse à Deo, quò cauere & sciret & posset, nequando in manus hostium incideret. B

Ne dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.] Hoc versu causam exprimit, propter quam conseruari petat, ne in morte obdormiat. Ne quis putet, quòd hac in re seipsum tantùm quęsierit, & solo mortis horrore impulsus, tam anxiè ad Deum orarit subiungit dicens: *Ne dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum,* &c. quibus verbis satis indicat, ob id se deprecari interitum, ne occasio sit impijs de victoria gloriandi: quæ gloriatio in contumeliam nominis Dei cederet, cuius causa in hæc pericula inciderat. Etenim sicut gaudium est pijs, si Deum sperantes in se asserere, & impiorum iactantiã & insolentiam supprimere: sic summus dolor est, si periclitari pios, & impios de victoria gloriari viderint: illud enim ad gloriam Dei, & confusionem impiorum: hoc verò ad gloriam impiorum, & ignominiam nominis Dei facit. *Vers. 4.*

1. Principiò notandum est hoc loco, quid fides tentationibus exercitata possit. Questus fuerat, oblitum sui esse Deum, faciemq; à se auertisse, frustrà se capere consilia, dolorem cordis augeri hostem super se exaltari: & hæc non vno & altero momento, sed sic durare & pergere, vt nullus appareret finis, & tamen quantumuis sensu carnis omnia ad hunc modum videbantur deplorata, nihilo tamen minus orando & inuocando Deum pergit. Admonemur itaq; hoc loco quæ sit vtilitas persequutionum & adflictionum, quàm illæ fidem piorum exerceant, & robustiorem reddant. Deinde quàm debeamus sine intermissione orare, nec vllo modo deficere, etiamsi nostri Deus videatur prorsus oblitus. Vide Luc. 11 & 18. OBSER. *Vers. 3.*

2. Deinde notandum est quid primo, quid secundum loco petat. Primùm dicit *Respice*: deinde addit, *Et responde mihi.* Respicere ad adflictum, est illius miseria tangi, & ad auxiliandum moueri. *Respice & responde mihi.*

» Exod. 2. Respexit Dominus filios Israël & liberauit eos. Et 2. Sam. 16. dicebat Dauid: Si forte respiciat Dominus adflictionem meam. Aliàs respicere ad aliquem, est illi fauere. Sic respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Et Esa. 66: Super quem, *inquit*, respiciam, nisi super humilem & cõtritum spiritu, ac trementem sermones meos.

Respondere Deum ad se clamanti, est non simpliciter exaudire orantem, sed & exauditionis sensum illius cordi inserere, vt sciat se diuinitùs exauditũ, & Deum ad se liberandum conuersum.

Obseruemus itaque hoc loco, quòd primùm dicit, *Respice*: ac tum subijcit, *Et responde mihi.* Ergo necesse

necesse est vt affectus misericordiæ Dei præcedat, antequam clamantibus ad se afflictis auxiliando respondeat. Itaq; nemo speret futurum, vt absq; misericordia Dei, qua respiciatur, orando exaudiatur, & exauditus è periculis liberetur. Interea curandum etiam est, vt & nos vicissim ad Deum respiciamus, & vocanti nos respondeamus.

Domine Deus meus.

3. Tertiò obseruemus & hoc, vnde fides hæc Dauidis in tantis periculis & tentationibus sustẽtata sit & roborata. Non dicit tantùm, *Respice & responde mihi Domine*: sed addit, *Deus meus*. Ergo hinc confirmabatur in fide prouidentię Dei, quòd Dominus ille omnium esset Deus suus. Quid autem sit esse Deum alicuius, infrà Psal. 22. videbimus.

Illumina oculos meos.

4. Quartò: *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte.*] Notanda est hæc similitudo, in qua duorum admonemur. Primum est, hominem in tribulationibus ac tentationibus constitutum, similem esse ei, qui graui somnolentia & sopore adobruitur, vnde se nequeat eripere, nisi aliunde excitetur & adiuuetur: quale est qd' Anno opinor, 1530. in Germania sudore Anglico grassante experti sumus.

Alterum est, neminẽ esse qui nobis huiusmodi somnolentiam excutere, & oculos dormituientes illuminare: hoc est, in periculis constitutos eripere queat, nisi solum Deum: ideoq; constanter ad illum esse orandum, vt ipse oculos nostros illuminet.

OBSER. *Vers. 1.*

1. Primùm hoc versu notandum est, quòd ruinam, interitum & mortem Propheta non simpliciter in se, sed propter accidens quoddam deprecatur. Dixerat: *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte*: hoc verò versu addit: *Ne dicat inimicus, Prævalui aduersus eum*, &c. Ergo mortem deprecatur non tanquam mortem simpliciter, sed tanquam occasionem futuram impijs gloriandi contra se & exultandi. Est quidem mors in se satis horribilis carni: verùm sicut hoc loco videmus, homini pio horribilis est ipsa morte, si quod sit accidens, quod gloriæ Dei deroget.

Ne dicat inimicus.] 2. Secundo loco notemus, quomodo vocet impios illos à quibus profligabatur. Vocat eos *inimicos suos*, & *tribulatores*. Graue est sanctis, si sortiantur inimicos. Etenim, quantum in ipsis est, pacem & amicitiam cum omnibus seruare cupiunt. Verùm quoniam sic accidit, vt propter studium pietatis & zelum Dei impiorum hominum odium & inimicitiam incurrant, malunt hominum quàm Dei inimicitiam sustinere.

Et illud obserua, quòd *tribulationem* coniunxit inimicitiæ, in eo quòd aduersarios, *inimicos suos* & *tribulatores* vocat. Notandum est hîc ingenium inimici. Qui inimicus est, non solùm non benefacit ei cuius est inimicus, sed quouis illum modo tribulat, adfligit, & si fieri queat, perdit. Etenim quem quisq; odit, perisse cupit. Hinc illud est 1. Ioan. 3: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Contrarium est ingenium amici.

3. Tertiò notemus hîc discrimen piorum & impiorum, in eo quòd impij de interitu eorũ quos odio prosequuntur, lætantur & exultant. Etenim non solùm spiritu Dei, qui spiritus est veræ dilectionis, sed humano sensu & affectu destituuntur. Pij contrà, si inimici ipsorum intereãt, lugent, & commiserationis affectu tanguntur: tam abest vt lætentur & dicant: Euge euge, viderunt oculi nostri, &c. Hinc est illud Salomonis Prouerb. 24: Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auertat ab eo iram tuam. Notum est exemplum Dauidis 2. Sam. 1. quomodo interitum inimicorum suorum, Saulis & aliorum deplorarit: & 2. Sam. 3. quo planctu necem Abneri luxerit: & 2. Sam. 4. quàm non lætatus sit de occisione Isboseth filij Saulis aduersarij sui, sed authores necis illius occidi iusserit.

Est ergo geminum discrimen hac in re piorum & impiorum. Primùm in eo, quòd impij de ruina eorum quos odiunt lætantur, pij verò nec odiunt proximum: nec si quos inimicos habent, de interitu illorum gaudent, sed lugent. alterum in eo, quòd impij dum cadunt ac pereunt, commiserationem & luctum piorum inueniunt: pij verò vbi opprimuntur, lætitiam, subsannationem, & illusionem impiorum ferre coguntur.

4. Quartò, & illud obseruemus, quòd Propheta illusionem hanc impiorum, lætitiam & gloriationem auersatur & deprecatur. Non sunt sancti propiæ gloriæ auidi, nisi quando eo loco sunt & conditione, vt ipsorum ignominia cum ignominia nominis Dei sit coniuncta. Itaque si quando accidit, vt ipsorum ruina simul & nominis Dei gloria corruat, nequeunt huiusmodi lapsum & ignominiam non ex animo deprecari. Hinc est quòd Propheta non hoc tantùm sed & alijs Psalmis huiusmodi lætitiam hostium suorum prohiberi petit. vt Psalm. 35. cùm dicit Ne gaudeant de me, qui mihi inimici sunt falsò, &c. Et Psalm. 38: Ne fortè lętentur propter me, &c. Sic erat affectus Iehosua, cap. 7. cùm diceret: Audient Chananæi & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, & delebunt nomen nostrum de terra. Et quid facies nomini tuo magno? Sic Christus Psalm. 22. in cruce: Omnes videntes me, *inquit*, derident me, &c. Ezechias sic affectus erat 2. Reg. 19 contra blasphemias Assyriacas.

Hactenus igitur pij nominis sui honorem affectant & ignominiam molestè ferunt, quatenus in ipsis nomen Dei vel glorificatur, vel probro afficitur. Exod. 33. petebat Moses à Deo, vt vnà cum ipsis ambularet. & causam adijciebat, dicens: Vt glorificemur ego & populus tuus præ omnibus populis qui sunt super faciem terræ. Non petebat hoc tàm proprij quàm diuini nominis glorificandi studio. Et apostolus Paulus ignominiam & contemptum, quem inferebant pseudapostoli sine vlla dissimulatione molestè ferebat, dubio procul non suo, sed Euangelij Christi nomine.

5. Quintò, nec illud transeamus, quòd hanc vocem dat impijs, vt gloriando & exultando dicãt: Prævaluimus aduersus eum. Hæc est superbia cordis impij. vincere gaudet, & hoc nomine super ruina eorum quos impugnat lętatur & exultat. Glorioſum est, vincere aduersarios. Hinc à victoribus trophęa eriguntur. Hèc gloriam vehementer appetunt filij huius seculi, etiamsi illa multorum

millium

A millium occisione sit acquirenda. Contrà pij tum gaudent & exultant, quando non ipsi, sed Deus viuit: nec vincuntur priuati ipsorũ, sed Dei inimici, quorũ ruina nõ ad ipsorum, sed diuini nominis gloriam faciat. Hinc etiam est, quòd pij principes, si quãdo victoria contra hostes potiuntur, nõ sibi illam, sed Deo deputant: non modò ob id, quòd sciunt illam non esse in multitudine exercitus, sed à Deo, 1. Mach. 3. sed ob eam quoq; causam, quod gloriæ Dei magis quàm propriæ student.

Et ego in bonitate tua confido, exultabit cor meum in salute tua.] Hoc versu Propheta fiduciam suam in bonitatem Dei exprimit: significans, quamuis ille sui oblitus, ac faciẽ suã abscõdisse videatur, haud quaquam tamen desperare se de futuro auxilio, sed bona spe duci, futurum aliquando vt liberetur, deq; salute diuinitùs collata toto corde exultet, ac Domino cantet, quòd se liberârit. Arbitror itaq; hunc versum sic intelligendum: *Et ego in bonitate tua confido, exultabit cor meum.* id est: Et ego bonitate tua confisus, futurum spero vt aliquando exultet cor meum in salute tua: hoc est propter salutem abs te acceptam. Vocatur enim salus Dei, non qua ille saluus sit, sed qua nos ab illo saluamur: sicut & vocatio Dei, non qua ille, sed qua nos ab eo vocamur, & ab Apostolo nonnunquam iustitia Dei ea dicitur, non qua ipse iustus sit, sed qua nos in Christo per fidem iustos reddit. EXPLANATIO. *Versus vlt.*

Illud, *Cantabo Domino, quòd reprenderit mihi*, variè exponitur. Aliqui sic, vt vocula כי idem sit quod, *cùm*, vel *quando*: legamusq; ad hunc modum: *Vt tibi canam, cũ eam mihi largitus fueris*: intellige salutem. Alij sic: *Materiam habebo cantandi laudes Domini, vbi vltus fuerit iniuriam, qua affecerunt me hostes mei.* Isti mouentur per id, quod in Ebræo non est כי גמל לי id est, *quòd reprenderat mihi*: sed, כי גמל עלי: id est, *quòd reprenderit propter me, super me, meo nomine.* Alij exponunt de retributione, qua iustitiæ Dauidis reprenderit Deus, liberando eum è manibus inimicorum. Alij simpliciter intelligunt de beneficẽtia Dei, qua Dauidi benefecerit. Verbum גמל licet reddere, *reprendere & retribuere* significet, sæpenumerò tamen in Scripturis pro impẽdere aliquid vsurpatur, vt videre est. Gẽ. 50. in verbis fratrum Ioseph, quibus dicebant: Fortasis odio habebit nos Ioseph, & reddendo reddet omne malũ, quod impẽdimus vel intulimus ei. Hoc loco verbo שרבב Scriptura vtitur pro *reddere & impendere.* Significat aũt reducere aliquid ad eum locũ, vnde fuerat profectum. Et verbo נתל vtitur pro *inferre & impendere.* Sic enim in Ebr. legitur ויהשבו יושיבנו את כל הרעה אשר גתלנו לתו Metuebant ne malum, quod Ioseph olim intulerant, in caput ipsorum reduceretur. Et huiusmodi loci multi sunt in Scripturis: vtpote Iudicum 9. 2. Par. 32. infrà Psalm. 116 ס c. quibus verbum גמל simpliciter pro *inferre & impendere* vsurpatur: vt non sine ratione quidam hîc legant, *Quòd benefecerit mihi.* verùm quoniam nõ dicit כי גמל לי טוב vel כי גמל אתי טוב sed כי גמל עלי: arbitror legendum esse, *Quòd reprenderit mihi*, vel *super me*: & intelligendum de eo, quòd fiduciæ ac spei ipsius Deus respondent, ipsumq; liberauerit: vt חגבורות sit hîc, quod alicui certa quadam ratione rependitur siue id iustitiæ, siue præcedentium meritorũ, siue fidei respectu fiat: non quòd de meritis suis loquatur Propheta, quibus Deus repẽ-
B derit, sed quòd se non frustrà auxilium à Deo sperare sentiat, cuius bonitatem olim hoc nomine sit prædicaturus, quòd sibi pro spe ac fiducia sua rependerit.

Et ego in bonitate tua confido.] 1. Notemus hoc loco primùm, vnde in tam graui tentatione, cuius versu primo & secũdo meminit, ad orandũ Deũ motus sit Propheta, vt se respiceret & exaudiret, oculosq; suos, ne in morte obdormiret, illuminaret: ex fiducia scilicet & spe, qua futurum sperabat, vt aliquando liberatus exultaret. OBSER. 1.

2. Deinde notemus quod obiectum ponat suæ fiduciæ. Non dicit, *Et ego in iustitia & meritis meis*: sed, *Et ego in bonitate tua confido.* Verę fidei obiectum est bonitas Dei, qua pius animus in adflictionibus nititur. Et hæc est fidei natura, vt à bonitate Dei, non à nostris meritis pendeat: sicut patientiæ ingenium est, vt in rebus tristibus, non prosperis locum habeat. Hæc fides omnia vincit.

Hanc fiduciam in bonitatem Dei parit doctrina gratiæ Dei, Euangelium scilicet, quo bonitas Dei Mundo per Christum oblata prædicatur. Doctrina meritorum humanorum dicit: *Et spes ex meritis quæ venit, æqua venit.* At ea omnium facillimè vincitur, vbi conscientia peccati sensũ tangitur.

Exultabit cor meum in salute tua.] 1. Nota quòd non simpliciter dicit, *Gaudebo*: sed, *Exultabit cor meum.* Loquitur de vero & pleno gaudio: *vero*, quòd cordis sit: *pleno*, quòd exultationem cordis generet. Tale est gaudium piorum in Domino, cuius collatione gaudium carnis in rebus terrenis prorsus inane est & vanidum. OBSER. 2.

2. Deinde obserua, quòd non dicit, *Exultat cor meum*: sed, *Exultabit cor meum.* Insignis est hic prospectus in futurum gaudium, & mirè efficax ad alendam patientiam in rebus tristibus. De hoc loquitur Apostolus Ebr. 12. cùm Christũ proposito sibi gaudio crucem sustinuisse dicit. Hic prospectus in gaudium quod firma fide expectatur, omnino sensum quendam futuræ lætitiæ præcipit, quem Christus intelligit, cùm Matthæi quinto dicit: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

3. Tertiò, & illud notemus, quòd non dicit, *In salute mea*: sed, *In salute tua.* Non tàm ob id exultant sancti, quòd saluantur, quàm quòd per bonitatem Dei saluantur, à qua in omnibus angustijs firma fiducia pependerunt.

Cantabo Domino quòd reprenderit mihi.] 1. Notandum hîc est, quid Domino pro accepta salute Propheta rependere velit. *Cantabo*, inquit, *Domino.* Laudem & canticum promittit. Et quid aliud vel homo egenus & omnium inops præstare potest, vel Deus ille nullius egens exigeret, quàm de accepto beneficio gratiarum actionem, laudem & canticum? Hinc Moses Exod. 15. Dibborah Iudicũ 5. Dauid hîc, & Ezechias diuinis beneficijs affectu, canticum Domino cecinerunt. Hinc obtinuit in Ecclesia Christianorum mos ille cantandi & psallendi Domino. OBSER. 3.

2. Deinde obserua, vnde affectus hic cantandi Domino oriatur: ex corde scilicet, vero gaudio

ac sensu beneficiorum Dei tacto. Dixerat: *Exultabit cor meum in salute tua*: & confestim adiecit: *Cantabo Domino, quòd rependerit mihi*: vt intelligamus canticum diuinæ laudis in ore piorum, esse exultationem cordis, in salute Dei gaudentis, & benefactori gratias agentis. Non dicit, *Cantabo Domino, vt rependat mihi*: quo proposito, qui optimi sunt inter Papistas, in templis cantant: sed, *Cantabo Domino, quòd rependerit mihi.* A

PSALMVS XIIII.

AD PRÆCINENDVM DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

NEque ex epigrapha Psalmi, neque ex ipso Psalmo liquet, quando compositus sit à Dauide, quod si sciretur, plurimum illi lucis adferret. Vtut sit, videtur habere increpationem eorum qui populũ Dei impiè opprimebant & vorabant, cuius tyrannidis radicem notat, nempe impietatem cordis, & simul exemplo ab ea generatione sumpto, quæ diluuium præcessit, vltionem à Deo cominatur, & salutem Israëli ex Sion apprecatur.

Diuisio Psalmi.

Partes illius sunt quatuor. Prima, versu primo, reprehensionem habet impietatis & vitæ corruptæ. Secunda exemplum iudicij Dei contra primam Mundi ætatem inducit, versu 2. 3. Tertia comminationem habet Vltionis diuinæ vers. 4. 5. 6. Quarta habet votum & apprecationem salutis, quæ Israëli contingat ex Sion: versu vltimo.

VERS. 1. *DIXIT insipiens in corde suo, Non est Deus: corrupti sunt, abominando sunt studio, non est qui faciat bonum.*

2. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ad videndum num esset intelligens qui quæreret Deum.

3. Num omnes declinassent: simul abominabiles facti erant: non erat qui faceret bonum, ne vnus quidem.

4 An non cognoscent omnes operatores iniquitatis, vorantes populum meum, (veluti) vorant panem, Dominum non inuocant.

5. Ibi pauore consternabuntur: quoniam Deus est in generatione iusta. B

6. Consilium adflicti contemnitis, quòd Dominus est spes eius.

7. Quis dabit è Zion salutem Israëli? Dum conuertet Dominus captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israël.

LECTIO. *Dicit insipiens.*] Et Græcus & vulg Lat. & Hieron. legunt in præterito: *Dixit insipiens*, vel *stultus*, &c
Vers. 1. verùm pro argumento Psalmi placuit in præsenti vertere.

Abominando sunt studio.] Ebr. התעיבו עלילה Græc. ἐβδελύχθησαν ἐν ἐπιτηδεύμασιν. Vulg. Lat. *Abominabiles facti sunt in studijs suis.* Hieron. *Abominabiles facti sunt studiosè.* Chald. sic: *Corruperunt opera sua, reiecerunt bona, adimuenerunt excusationes.* Felix: *Abominabile fecerunt studium.*

Non est qui faciat bonum.] Hìc vulg. Lat. adiecit: *Non est vsq; ad vnum.* quam particulam habet & Arabs, dicens: *Et non vnus*: cùm nec in Ebræo sit hoc loco, nec in Græco, nec in Chaldaica paraphrasi.

Vers. 3. *Num omnes declinassent.*] Ebr. הכל סר Græc. & vulg. Lat. & Hieron. & Chaldæus simpliciter legunt: *Omnes declinauerunt, omnes recesserunt*: vel, *Omnes conuersi sunt retrò*: quasi sine litera ה scriptum sit, כל סר: id est, *Quisque declinauit*, sicut & Felix reddidit. At meo iudicio particula hæc הכל סר ad præcedentem versum pertinet, vt legamus, *Ad videndum, num esset intelligens qui quæreret Dominum, num omnes declinassent*: ac tum subijciatur, quales Deus de cœlo prospiciens filios hominũ inuenerit: nempe tales, qui simul fuerint abominabiles facti, ita vt ne vnus quidem fuerit, qui quod bonum esset, faceret.

Ne vnus quidem.] Ebr. אין גם אחד Græc. οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός. Vulg. Lat. *Non est vsq; ad vnum.* ad quẽ modũ & Hieron. legit. Chald. *Non est vel vnus* Arabs legit sicut antea: *Et non vnus.* Fœlix: *Non est etiam vnus.* Habet hoc loco vulg. Lat. sicut & Arabs, tres versus, quos nec Ebr. habet, nec Chald. nec Græcus. Apparet esse desumptos ex cap. 3. epistolæ ad Rom. vbi eos Apostolus induxit, non ex hoc Psalmo, sed aliunde decerptos. vtpote ex Psalm. 5. 140. 10 Es. 59 Psam. 36.

Vers. 4. *Annòn cognoscent.*] Ebr. הלא ידעו Græcus: οὐ γνώσονται. Vulg. Lat. *Nonne cognoscent?* Sic legit & Hieron Felix: *Nonne cognouerunt?*

(*Veluti*) *vorant panem.*] Ebr. אכלו לחם Græcus: ὡς βρῶσιν ἄρτου: id est, *In cibo panis.* Vulg. Lat. *Sicut escam panis* Hieron. *Vt cibum panis.* Chald. simpliciter, vt in Ebræo est: *Comedunt panem.* Felix: *Comederunt panem.*

Vers. 5. *Ibi pauore consternabuntur.*] Ebr. שם פחדו פחד Græc. ἐκεῖ ἐδειλίασαν φόβον. Vulg. Lat. *Illic trepidauerũt timore.* Chald. *Ibi timore timuerunt mendacium, quod non decebat timere.* Et Felix in præterito legit: *Ibi timuerunt timore.* Hieron. in futuro: *Ibi timebunt formidine.* Græcus, vulgata Latina, & Arabs addunt: *Vbi non erat timor.* Et Chaldæus hoc innuit, cùm dicit: *Quod non decebat timere.* Verùm non est hæc particula ex præsenti, sed ex Psalm. 53. desumpta. Illud: *In generatione iusta*, Ebr. est בדור צדיק quod aliqui, *In generatione iusti*: aliqui, *In generatione iustorum*, reddunt. Reliqua ferè conueniunt.

Dicit

A *Dicit insipiens in corde suo, Non est Deus.*] Habet hic versus, sicuti iam memini, repensionem impietatis eorum qui athei sunt, & studijs planè corruptis & abominandis. Erant tempore Dauidis plurimi tales in Israële: quorum impietate motus Psalmũ hunc cõposuit. Visum est in prẽsenti reddere, *Dicit insipiens*: propterea quòd perpetua est impijs hęc cogitatio, qua in corde dicunt, *Non est Deus*: adeoq; studia sua sic corrumpunt, vt prorsus sint abominabilia, nec illius boni obeundi desiderio teneantur. Nihil obscuri habet hic versus, quòd latiorem explicationem desideret. EXPLANATIO. *Vers.* 1.

1. Principiò notandum est, quòd eos quos arguit, vocat נבלים: id est, *insipientes & stultos*. Nota est hæc dictio נבל: id est, *Nabal*, in Scripturis. Loquitur autem non de fatuis illis, qui vulgò pro stolidis habentur: sed de filijs huius seculi omnium astutissimis & malicioſissimis. Etenim populum vorare, non est hominis fatui & mente moti, sed omnium versutissimi & nequissimi. Vnde & נבלה non simplex *stultitia*, sed *malicioſum facinus* in Scripturis significat. Admonemur itaq; hoc loco, nihil minus esse quàm sapientes: qui cùm sint impij & malicioſi, pro sapientibus habentur in hoc seculo. OBSER. *Vers.* 1.

» Etenim vera sapientia, imò caput sapientiæ est, cognitio & timor Domini. Sic Herem. 4. legimus:
» Stultus est populus meus, me non cognouit, filij insipientes sunt. Sapientes sunt vt faciant mala,
» bene autem facere nesciunt. Quis namq; sapientiam esse dicat, ad malum & perditionem sapere, ad
» bonum verò & ea quæ Dei sunt stulteſcere?

2. Deinde obseruemus quid de stultis illis Propheta prædicet. Hoc de illis prædicat, quòd dicant in corde suo, *Non est Deus. Dicere in corde, Non est Deus*: est, omnem numinis religionẽ & obseruãtiam, qualiscũq; sit in toto Orbe & animo ridere, & stultitiæ damnare, quòd vanum sit credere aliquem esse Deũ. Meminit & Cicero lib. 1. de Nat. deor. quorundam opiniones, qui prorsus aliquem esse Deũ negarunt. Et circa calcem eiusdẽ libri de quibusdã scribit, qui dixerint, totam de Dijs immortalibus opinionẽ fictã esse ab hominibus sapientibus R. P. causa: vt quos ratio nõ posset, ad officium religio duceret. Gemina est hæc impietas. Vna eorũ, qui prorsus negãt esse Deũ. Altera eorum, qui licet fateantur esse Deũ, omnẽ tamen illi curã & prouidentiã rerũ humanarum adimunt, taleq; Deũ constituunt qui res nostras nec videat, nec audiat, nec curet: susq; deq; ferat iustitiæ vel nequitiæ studeamus: & interim in cœlis cum cœlestibus spiritibus delicietur. Peiores istis sunt, & prorsus diabolici, qui Deo maliciam quoq; mendacium & perfidiã tribuunt. id quod satan ad Euã faciebat, dicens: Nequaquã moriemini, sed eritis sicut Dij, scientes bonũ & malũ, & scit hoc Deus,
» &c. quod nihil aliud erat, quàm: Inuidet vobis Deus hunc honorem, ideoq; vetuit, ne ex hoc lignò
» edatis. Hęc impietas, vel Deum esse, vel rerum nostrarum negligentem, vel mendacem perfidum, inuidum, superbum, & tyrannum esse dicens, in cordibus est filiorum hominum, nisi spiritu Dei
B eliminetur. Rectè autem stultitia vocatur, quòd non solùm esse Deum, sed & gubernatorem rerũ humanarum veracem, fidum ac bonum esse, sole clarius toto Orbe reluceat.

3. Tertiò, & illud notemus, quòd non simpliciter ait: *Dicit insipiens, Non est Deus*: sed, *Dicit insipiens in corde suo, Non est Deus*. Rarissimus quisque inuentus est qui ore rotundo diceret, *Non est Deus*, præsertim in populo Dei. impietatem hanc per hypocrisim palliant impij, multa de Deo ore falsò garri-
» entes, cum corde intrà se dicant: *Non est Deus*. Sic Christus Iudęorum primores redarguit dicens:
» Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et hoc genus hominum plerũque religionem Dei vsque adeò simulat, vt ad fastigia moderandæ religionis subuehatur. Tandem eò deuentum est in Ecclesia, vt palàm impij omnem religionem ex animo ridentes, gubernaculis rerum admoueantur.

4. Quartò, obserua quòd subijcitur: *Corrupti sunt, abominando sunt studio non est qui faciat bonum*. Vide hîc quomodo post notam cordis impietatem ad externa studia & facta progrediatur. Nequeunt integrè ac piè viuere, qui corde sunt impio. Etenim ex cordis qualitate, qualitas oritur vitæ Matth. 15. Ideo cognita vitæ qualitate, facilè peruenitur ad cognitionẽ cordis. Sic Apostolus Tit. 1. dicit:
» Dicunt se nosse Deum factis autem negant. Et Dauid ex adulterij sui facinore cordis sui impuri-
» tatem cognoscens, dixit: Cor mundum creà in me Deus, Psalm. 51.

5. Quintò, notemus etiam metaphoras corruptionis & abominationis, omnium aptissimè hoc loco vsurpatas. Notum est, quid sit rerũ vel corporũ corruptio, quid sanitas & integritas, & quàm abominabiles sint res corruptę, Sumpta est hinc metaphora qua cordium & vitę corruptio, quàm coram Deo & pijs omnibus sano olfactu prędĭtis abominabilis sit, exprimitur. Sanitas est & summa iucunditas, in fide, pietate, religione & cultu Dei, in bonitate, humanitate, mansuetudine, & vitæ sanctimonia: contrà corruptio est in impietate, contemptu & neglectu Dei, in malicia, versutia, mendacijs, fastu, perfidia, & vitæ impuritate, quæ omnia abominationi sunt Deo ac pijs. Cogita hîc de pulchritudine virtutum & turpitudine vitiorum.

6. Sextò, etiam hoc expende, quòd dicit: *Non est qui faciat bonũ. Bonum facere*, est bonitati studere: quod impij facere non possunt. Alioqui reperias etiam impios, qui faciant quod malum dici nequeat, nisi propter sinistram animi intentionem malum dicatur. Adde & hoc: Si impietas cordis, qua dicunt, *Non est Deus*, & mentem & vitam hominis corrumpit, abominandamq; reddit, & eò ducit, vt bonum facere nequeat: sequitur ergo, fidem hanc qua in corde dicitur, *Est Deus*, isq; iustus, & remunerator quærentium se, cor hominis purificare, & vitam reddere planè iucundam: idq; conferre, vt malum non faciat: id est, facere nesciat.

Dominus de cœlo prospexit.] Quanta sit ista impiorum hominum stultitia, qua in cordibus suis Deũ non esse dicunt, exemplo prioris seculi eãdem impietate corrupti & excæcati, notat, dicens: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum*. Quasi dicat: Erat aliquando, nempe ante diluuium, Mundus vniuersus pari impietate perditus & abominabilis factus, & ipse in corde dicens: *Non est Deus*: EXPLANATIO. *Vers.* 2. & 3.

vnde & omnis caro viam suam corruperat, & cuncta mortalium cogitatio prona erat ad malum. A Verùm quàm stultè & impiè prior ille Mundus egerit, reipsa cœlitùs declaratum est. Etenim Dominus de cœlo prospexit super filios hominũ, vt videret num esset intelligens quisquam, qui quęreret Deum: hoc est num esset aliquis cognitione ac religione Dei præditus. Non dicit, *Num omnes*

Vers. 3. *essent intelligentes, & Deum quærentes*: sed, *Num esset intelligens, & quærens Deum*: id est, num aliquis saltem esset, qui Deum cognosceret ac coleret. Et hoc est, quod versus tertius habet, *Num omnes declinassent*, intellige, ad istam insipientiam & impietatem à vera cognitione ac religione Dei. Sed qualem tum Mundum illum Deus cœlitùs prospiciens inuenerit, subijcit, dicens: *Simul abominabiles facti erant, nõ erat qui faceret bonum, ne vnus quidem*, quasi dicat: Tales erant omnino illius temporis homines impij, quales iam multos esse videmus. Erãt omnes què abominabiles, corrupti ac perditi, ita vt nemo, quod bonum esset, faceret. Hac de re Genes. 6. legimus ad hunc modum: Videns autẽ Deus, quòd " multa malicia hominum esset in terra, & cũcta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tem- " pore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra &c. Item paulò pòst: Corrupta autem erat ter- " ra corã Domino, & repleta iniquitate. Cumq; vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quip- " pe caro corruperat viam suam super terram) dicit ad Noẽ: Finis vniuersæ carnis coram me, reple- " ta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra, &c. Hanc Historiam inducit " hîc Propheta, tanquam omnibus notissimam: vt clarissimo exemplo impietatem & stultitiã eorũ damnet, qui pristini seculi corruptionem amplexi, in corde dicũt: *Non est Deus*: & hac impietate excæcati, securè in omne genus flagitiorum ruunt.

Quòd autem dicit: *Non erat qui faceret bonum, ne vnus quidem*: ei non repugnat, quod Noë dixit Deus: Te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Loquitur enim Propheta non de iustorum ac piorum, sed de impiorum generatione, in qua sic omnes deflexerant & corrupti fuerãt, vt ne vnus quidem esset, qui bonum aliquid faceret. atque ita illud exprimere voluit, quòd Scriptura omnem carnem viam suam corrupisse, & cunctã cogitationem hominum ad malum intentam fuisse dicit.

OBSERV. *Vers. 2.* *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum.*] 1. Principiò notandum est, quòd non dicit, Dominus in cœlo erat, cùm filij hominum in terra ad vnum omnes essent corrupti: cùm tamen ad propositum satis fuisset, admonere, Deum in cœlo esse, quantumuis id negent impiorum corda quam impietatem primo versu notauit, dicens: *Dicit insipiens in corde suo, Non est Deus*. Iam cùm non subiungit, *Dominus in cœlo erat*: sed, *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videret si esset intelligens*, &c. nõ solùm eam impietatem iugulat, quæ in corde dicit: *Non est Deus*: sed & eam, quæ licet non neget esse Deum, negat tamen eum curare res mortalium. Hanc impietatem his verbis planè retundit, cùm B Dominum de cœlo super filios hominum prospexisse, ac num quisquam intelligens, ac Deum quærens inueniretur, vidisse dicit. Cur hoc Propheta faciat: primùm in causa est, quòd posterior hæc impietas, si fuerit imbibita, locum priori facit. Etenim qui prouidentiam Dei negat, talemque Deum constituit, qui sic in cœlis delicietur, vt Mundum hunc non gubernet, res humanas fastidiat, & quæque temerè ferri sinat, facilè eò deueniet, vt tandem & ipse in corde dicat: Non est igitur Deus aliquis, sed omnia ab æterno sic feruntur, nec vllum sunt habitura finem. Deinde & hoc accedit, quòd posteriore hac impietate repressa, quæ prouidentiam Dei negat, simul & prior Deum esse negans reprimitur. Etenim vbi constat Deum curare res humanas, & gubernare Mũdum, simul constat etiam, esse Deum: perinde ac si quis probet, diabolum turbare omnia: is eãdem opera probauerit, esse diabolum. Prius enim est, esse Deum, quàm Deum curare res mortalium: & prius est, esse diabolum, quàm diabolum turbare quicquam. Prudenti ergo consilio, & ob has causas Spiritus sanctus priorem impietatis speciem repressurus, posteriorem retundit, dicens: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum*.

2. Deinde & hoc obseruemus, quòd non dicit, *Dominus de cœlo prospicit super filios hominum*: sed, *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum*. Quid est quod in præterito loquitur? Annon etiamnum Deus & semper de cœlo super filios hominum prospicit? plane. Quid enim est de cœlo prospicere super filios hominum, quàm res humanas obseruare, & vel dirigere, vel reprimere? At hoc Deus indesinenter facit. Poterat igitur dicere, *Dominus de cœlo prospicit super filios hominum*. poterat sanè, Verùm maluit prisci seculi historiam adducere, non Iudæis modò, sed & gentibus vsque adeò cognitam, vt & poëtarum fabulis celebrata: & per hanc tanquam omnibus indubitatam probare: nõ

Ouid. Metã. libro 1. modò esse Deum in cœlis, sed & talem esse, qui res mortalium obseruet & iudicet. Est hic vsus sacrarum historiarum omnium accommodissimus, ad conuincendum eos, qui iudicia Dei suis temporibus Mundum corripientia non obseruant, vt vel ex sacris historijs ad cognitionem diuinæ prouidentiæ inducantur. Per has enim veluti ob oculos exponitur, qualis sit Deus, quidq; de illo sentiendum, quid non. Nam qualem se olim declarauit, talis etiamnum credi debet. Hinc est, quod 2. Pet. 2. legimus: Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, &c. & originali Mundo non pepercit, &c. & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, &c. Vide locum Sic & Paulus ad Rom. 11. arguit dicens: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.

Etiam illud notandum est, quòd non dicit, *Dominus obseruauit filios hominum*: sed, *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum*. Mẽtes nostras ad cœlos tanquam sedem Dei, erigit: admonetq;, vt quoties illos suspexerimus, speculam nos diuinæ animaduersionis videre cogitemus.

3. Tertiò, notemus etiam illud, quod dicit: *Super filios hominum*. Non dicit, *Super potentes, principes, opulentos*; vel, *Super doctos, sapientes & prudentes*; aut, *Super iustos ac pios*; vel, *Super illam* vel *illam generationem*

sed, *Super*

A sed, *Super filios hominum.* Subijcit ergo Propheta vniuersum genus humanum diuinæ prouidentiæ, curę & animaduersioni, neminem eximens, qualicunq; sit conditione, nullam totius Orbis regionem excludens. Quis enim mortalium est, qui non sit ex filijs hominum?

4. Quartò, perpendum est, quòd dicit: *Ad videndum.* Loquitur quidem Propheta humanò more de Deo, dans illi prospectum ad videndum: cùm non sit illi opus, vt ad videndũ res nostras prospiciat. Est enim vbique pręsens, nec potest eum quicquã latère, ne cogitationes quidem cordium nostrorum. At interim vtitur hac loquutione Spiritus sanctus, vt Dominum de cœlo super filios hominum ad vidẽdum prospexisse dicat. Significat huiusmodi loquutione Propheta, certò cognoscere Deum res nostras perinde ac si quisquam res suorum ipsis oculis inspiciat, & liquidò
„ cognoscat. Sic Gen. 6 dicit: Videns autem Deus, quòd multa malicia hominum esset in terra.
„ Et cap. 11. de turri Babel. Descendit Dominus, *inquit*, vt videret ciuitatem, & turrem quam ædifi-
„ cabant filij Adam. Et Gen. 18: Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere cõ-
„ pleuerint, *&c.* Quæso quis mortalium erit, & vbinam terrarum consistet, qui oculos Dei super filios hominum prospicientis latère possit?

5. Quintò, obseruemus, quod subijcit: *Num esset intelligens, qui quæreret Deũ* Duæ sunt partes diuinæ prouidentiæ & curæ. Vna qua res nostras curat & moderatur. Altera, qua vicissim exigit, vt à nobis agnoscatur ac quęratur. Ad posteriorem hanc partem pertinet, quod dicit: *Num esset intelligens, qui quæreret Deum* Hanc partem plurimùm deficere videbat Propheta, non in Deo, in quo perpetuò est integra, sed in filijs hominum: qui quamuis quotidie diuina prouidentia conseruentur, illi tamen ægerrimè intelligentia & religione Dei respondent. Ob hanc causam non solùm talem Deũ inducit, qui res nostras cœlitùs consideret: sed & quid ille à nobis exigat, disertis verbis commemorat, dicens: *Num esset intelligens, qui quæreret Deum.*

6. Sextò, consideremus etiam hæc duo: primum, quod dicit: *Num esset intelligens*: alterum, quod subijcit: *Qui quæreret Dominum.* Breuiter exprimitur, & perspicuè, quid à nobis requirat Deus. Primum est, vt simus intelligentes. Condidit nos ad imaginem sui, ratione ac intelligentia prædditos, qua separaremur à bestijs brutis, & ratione carentibus. Intelligentiam hanc ob id dedit, vt se cognosceremus, & toti ab ipso penderemus. Nec ita se abscondit, vt cognosci nequeat: sed inuisibilem potentiam, bonitatem, ac sapientiam suam, innumeris modis ob oculos vniuersæ carnis exposuit. Meritò igitur cum primis hanc à nobis intelligentiam requirit, vt se cognoscamus. Hoc autem non intelligendum est de cognitione essentiæ & secretorum iudiciorum eius, de quibus Apostolus Rom. 11. loquitur, dicens: O altitudinem diuitiarũ, sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? sed de ea, cuius Heremias cap. 9. meminit, dicens:
B„ In hoc glorietur, qui gloriatur, quòd me sciat, & cognoscat, quòd ego sum Dominus, qui facio mi-
„ sericordiam, & iudicium & iustitiam in terra. Hæc enim mihi placent, ait Dominus. Ad hæc, intelligentia per carnis corruptionem, quasi quandam nebulam, sic obscurata fuit, vt factus sit homo similis iumentis insipientibus. Quapropter missa est lux illa cœlestis Christus, datusq; Spiritus sanctus, qui corda nostra scientia & cognitione Dei imbueret. cuius promissionem vides Hier. 24: Ego, *inquit*, dabo eis cor, vt me cognoscant, *&c.* Et cap. 31: Omnes cognoscent me, *&c.*
„ Et propter hanc intelligentiam vocamur ab Apostolo filij lucis: & gentes incredulæ, filij tenebrarum, propter ignorantiam Dei, quæ est in cordibus eorum.

Alterum est, quòd dicit: *Qui quæreret Deum.* *Quærere Deum*, est illius tanquam Dei veri & vnici habere rationem in omnibus, illum vnicè colere, timere, & inuocare. Non dicit, *Qui se quæreret*: sed, *Qui quæreret Deum.* Non hoc à nobis requirit, vt se simpliciter, sed vt Deum quæramus, tanquam Deum, ob id quòd Deus est, idque vnicus. Aliud est, si vxor maritum suum diligit vt maritum, idque suum: & aliud, si diligat eum vt virum, & benefactorem. Aliud est, si filius patrem, propterea quòd pater est, in honore habeat: & aliud, si eum tanquam nutritorem obseruet. Sic aliud est, Deum vt Deum quærere: & aliud, si eum vt potentem ac diuitem, qui vel perdere vel seruare possit, quæras.

7: Septimò, consideremus & illud, quàm sint hæc duo commodè coniuncta, *intelligentia* videlicet & *religio Dei.* Admonemur hac coniunctione, non hoc tantùm à nobis requiri, vt simus intelligentes ac sapientes, sed coniungendam esse simul & religionem Dei. Imò scientia Dei voluntatis sine religione Dei, ad augmentũ condemnationis facit, teste Christo, qui dicit: Seruus sciens,
„ & nõ faciens, vapulabit multis. Rursus, non posse Deum ritè quæri & coli, sine vera illius cognitione & intelligentia. Vt meritò desipiant, qui se Deum quomodolibet & quibuscunq; ceremonijs ac cultibus humanitùs excogitatis, colere posse putant: quo errore falsi sunt & Gentes, & Iudæi. Optandum itaq; fuerit, vt qui diuinæ sunt voluntatis intelligentes, Deum etiam religiosè querant: & rursus qui illum religiosè quærunt, id cum vera ac legitima scientia Dei faciant, ne similes sint Iudæis, quibus Apostolus zelum Dei sine scientia tribuit.

Num omnes declinassent.] 1. Expendamus primùm, quòd non dicit, *Num aliquis declinasset*: sed, *Num omnes declinassent.* Intuetur quidem Deus singulorum consilia & facta: nec est tam vnicus quisquam priuatus ac solitarius, cuius vitam non inspiciat, Verùm quod attinet ad suprà dictam historiam Gen. 6. vigilanter à Propheta non est dictum, *Num aliquis declinasset*: sed, *Num omnes declinassent.* Non enim propter vnius aut alterius, imò ne propter multorum quidem corruptionem & impietatem, Orbi diluuium illud induxisset: verùm quia videbat omnem carnem corrupisse viam suam dicebat: Finis omnis carnis venit ad me: & ob eam causam exitium intulit Orbi vniuerso. Nec Sodomitas penitùs deleuisset, nisi in vniuersum abominabiles factos vidisset: quibus pro-

OBSERV. *Vers.* 3.

bus propter decem iustos fuerat parsurus, si quidem illos inter eos reperisset. A

2. Deinde notanda est declinationis, ac defectionis metaphora. Declinare à Deo, est eò proclabi, vt nec agnoscas, nec quæras Deum: sed vel dicas, Non est Deus, vel alienis dijs adhæreas. Hęc defectio gradibus quibusdam absoluitur. Primùm remittit in corde fides & obseruantia Dei. Deinde, illa remissio foris ostenditur in negligentia cultus, & audiendi verbi Dei. Tertiò, paulatim etiam ab externo cultu Dei ac cœtu piorum discedit. Quartò, vbi sic discessum est: vel contemnitur in vniuersum omnis religio, vel ad falsorum deorum cultus deficitur. Perinde habet hęc defectio, ac si vxor legitima deficiat à marito suo, & vel sola virorum omnium contemptrix seorsum sedeat, vel amatoribus iungatur. Sic Israëlitæ à Deo vero & vnico, ad alienos deos defecerunt: vnde & à Prophetis ad conuersionem vocabantur, & nos Christiani, à Christo sponso nostro, cui desponsati sumus, ad Antichristum & mortuos sanctos, & impuros magistros defecimus, à quibus hodie ad Christum sponsum ac Dominum nostrum per Euangelij prædicationem reuocamur. In hac causa idem accidit Euangelij præconibus, & ministris resipiscentiæ ac reconciliationis, quod olim prophetis inter Israëlitas apostatas vsuenit.

3. Tertiò, cogitandum & hoc est: Si declinarunt omnes à cognitione & obseruantia Dei, ergo illum olim cognouerunt & coluerunt. Etenim fieri non potest, vt à Deo declinent, qui illi nunquá adhæserunt: à cognitione & obseruantia eius deficiant, qui eum nunquam cognouerunt, nunquá obseruarunt. In filijs Adam, Cain & Abel, videre est, fuisse in genere humano scientiam & cultum Dei. Verùm paulatim inoleuit ista defectio. Timendum & nostro seculo, ne à scientia Dei, quę iam est data, ad tenebras ignorantię sensim declinet. Notum est illud Iudic. 2. quomodo mortua generatione eorum qui Dominum nouerunt, & opera eius viderunt, surrexerint alij, qui reiecta cognitione Dei, ad alienos deos declinarint.

4. Quartò: *Simul*, inquit, *abominabiles facti erant.*] Expendamus hîc quanta sit vis mali: tanta nimirum, vt integras domos, ciuitates, regiones, totum denique Mundum corrumpat. Incredibile est, quantum possint mutua mortalium commercia ad inficiendum & corrumpendum. Ista defectio primùm modico sumpto initio, eò tandem inualuit, vt totum genus humanum simul abominabile reddiderit. Sic Paulus dicit: Modicum fermenti totam massam corrumpit. Vna ouis morbida totum gregem inficit. Hinc est, quòd populo suo Deus præcepit, ne commercia & fœdera inirent cum gentibus, ne ad deos illorum deficerent. Deut. 7. Multæ sunt causæ huius rei. Primùm ipsa natura mali sic comparata est, vt facilius serpat & extendatur, quàm bonum. Deinde & nostri corruptio accedit, qua fit, vt dociles imitandis turpibus ac prauis omnes simus. Præterea facit huc etiam vis societatis & coniunctionis, administra contagionis. Quapropter qui sapit, coniunctionem malorum studiosè declinet. Ex hoc fonte fluxit in prima Ecclesia vsus excommunicãdorum reproborum, de quo 1. Corinth. 5. cuius oblitio, imò deprauatio, plurimùm ad corrumpendam Ecclesiam fecit. B

Non erat qui faceret bonum, ne vnus quidem.] 5. Propter hanc particulam Apostolus Rom. 3. scripturam hanc proheticam ad hoc induxit, vt probaret & Iudæos & Græcos omnes esse sub peccato, egereq; cunctos gloria Dei: vt omne os obstruatur, nec glorietur apud Deum vlla caro, quæ illic Apostolus ob eam causam disputat, vt euincat, non iustificari Iudæos ex operibus legis, nec esse eos minus corruptos quàm Gentes, ideoq; & ipsis opus esse, vt per fidem in Christum gratis absq; vllis meritis iustificentur. Videbat enim Iudæos opinione propriæ iustitiæ, quæ esset ex operibus legis, à fide in Christum impediri: ideo cogebatur primùm vniuersum genus mortalium peccati & corruptionis arguere, vt locus esset prædicationi gratiæ. Hæc est prædicatio legis, prædicationem Euangelij præcedens.

Expositio Augustini locum hîc non habet, qua particulam hanc, *Ne vnus quidem*, sic legit, *Non est vsq; ad vnum*: & vnum hunc Christum esse putat, qui solus non sit corruptionis huius particeps, id quod in se quidem verum est: verùm hoc loco impertinenter adductum. Ebręus enim non habet, *Non est vsq; ad vnum*, sed אין גם אחד id est, *Ne vnus quidem.*

EXPLANATIO. *Vers. 4.*

Annón cognoscent omnes operatores iniquitatis?] Habet hic versus cum sequenti comminationem diuinæ vindictę, quę factura sit vt impij Deum non agnoscentes, magno cum pauore Deum esse cognoscant. Dicit: *Annón cognoscent omnes operatores iniquitatis?* hoc est, An erit impijs istis perpetuò impunè, quòd operatores sunt iniquitatis populum meum vorant, ac Dominum non inuocant? An nunquam cognoscent, nunquam re ipsa magno suo malo experientur, esse Deum omnis impietatis & iniquitatis iudicem & vltorem? quasi dicat: Reuera omnino aliquando cognoscent & experientur, esse Deum. Habet ista interrogatio fortissimam affirmationem. Sic enim interrogare solemus, quando quæ omnium scimus esse certissima, ac talia quæ nemo in dubium vocare debeat, asseuerare volumus. Sic Apostolus, cùm liberam potestatem Dei quam habet in vniuersum genus mortalium, similitudine aliqua considerandam proponere & asserere vellet, dixit Rom. 9: Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere vas aliud ad honorem, aliud ad ignominiam? Quasi dicat: Vtiq; & absq; vlla contradictione habet. Quod autem verbum *Cognoscendi* plerunq; in Scripturis pro *sentire & aperire* ponatur, notius est quam vt admoneam.

Vorantes populum meum, veluti vorent panem.] Cùm eos vocasset *operatores iniquitatis*: id est, homines iniquitati deditos, & in opere Dei, in populo ipsius obeundo malicioſos, iniquos ac perfidos: quasi specificandi gratia subiecit: *Vorantes populũ meũ, ac si vorent panem*, quibus verbis satis aperitur, quod genus hominum notetur hoc Psalmo: eorum videlicet, quibus erat cura gubernandi populi Dei concredita, quorum erat fideliter operari in vinea Domini exercituum. Erãt illi operarij quidem, sed subdo-

A sed subdoli ac perfidi, res suas, non Domini agebant: nec iudicio & iustitia, sed fraude & violentia populum Dei non regebant, sed vorabant.

Quòd non dicit, *Vorantes populum Dei*: sed, *Populum meum*: causam dat quibusdam, vt hæc verba non Dauidi, sed Deo tribuant. Verùm non debet insolens videri, si pius rex populum à Deo sibi concreditum, quamuis gubernacula rerum nondum esset adeptus, vocat *populum suum*. Illud, *Veluti vorent panem*, non est ociosè adiectum. Significat enim hac similitudine, impios tyrannos populum Dei perinde prorsus, quantum in ipsis erat, & absque vlla peccati conscientia pro libidine vorasse, quomodo panis consumi solet: qui sic voratur, vt nihil illius relinquatur: sic editur, vt qui ad hoc factus sit vt edatur. Ad eum modum opprimebant tyranni populum Dei, quasi illum prorsus perdituri essent, & quasi ea esset illius conditio, & ad id ipsis esset concreditus, vt opprimeretur & perderetur.

Dominum non inuocant.] Notat iterum illorum impietatem, ac redit ad radicem impietatis, de qua initio Psalmi mentionem fecit. Etenim non inuocare Dominum, est illum nec timere, nec colere, nec vlla esse erga eum fide ac religione præditum, sed omnem illius religionem & obseruantiam in corde ridere ac dicere, vel, Non est Deus: vel, non est talis, qualis fingitur.

Annón cognoscent.] 1. Principiò notanda est hæc affirmatio, qua Propheta futurum affirmat, vt impij aliquando Deum esse experiantur & cognoscant. Admonemur hoc loco, vt certò credamus, eos qui Dominum, interea dum impiè viuunt, & per verbum illius emendari non sustinent, agnoscere nolunt, aliquando potètiam & iustitiam illius esse cogniturós: siue id futurum sit ad ipsorum resipiscentiam, siue ad omnimodam perditionem. Manasses, dum adhuc regni gloria & potentia rebus prosperis potiretur, Deum nec timuit, nec agnouit: posteaquam verò per Babylonios esset humiliatus, Dominum esse Deum cognouit. Sic enim de eo 2. Paralip. 22. legimus: Igitur Manasses seduxit Iudam & habitatores Hierusalem, vt facerent malum plus quàm omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israël. Loquutusque est Dominus ad eum & ad populum eius, & attendere noluerunt. Idcirco duxit super eos exercitus regis Assyriorum, ceperuntq; Manassen, & vinctum catenis & compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus esset, orauit ad Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitq; eum Hierusalem in regnum suum. Et cognouit Manasses, quòd Dominus ipse esset Deus Omnino necesse est, vt aliquando Deum cognoscàt quotquot eum iam cognoscere nolunt veritatè cognoscant, quotquot eam iam contemnunt, vituperant, & extinguere conantur: filios Dei cognoscant, qui illos B iam persequuntur. Non simpliciter hîc dicit, *Annón cognoscent omnes operatores iniquitatis*: sed, *Annón cognoscent omnes operatores iniquitatis?*

OBSERV. Versu.

Omnes operatores iniquitatis.] Notanda est hæc loquutio, in Scripturis admodum trita, & in Psalmis iam tertiò repetita. Occurrit enim & suprà Psal. 5. deinde & Psal. 4. & 14. hoc præsenti. Aliquando in genere ponitur pro illis, qui cuilibet iniquitati student. At hoc præsenti loco de illis est posita, qui iniquè agebant in opere Dei, in magistratu videlicet, in quo debebant populum Dei, tanquam vineam eius ritè gubernando, velut fideles operarij, colere & tutari. Hi cùm essent impij, nec vlla religione & fide Dei à prauis studijs cohiberentur, facti sunt operatores iniqui ac perfidi: vastantes, quæ debebant còlere: opprimentes, quos debebant ab aliorum iniuria defendere: lucris suis turpissimis inhiantes, vbi debebant populi Dei commodis inseruire. Tales operatores iniquitatis merentur subinde peccata populi: & nostra secula meliora non sunt, quàm quæ Antichristo, & satellitibus eius regibus, principibus, ducibus, deinde episcopis & monachis, detestandæ iniquitatis operatoribus subijciantur. Significat autem dictio אוך plerunque non *manifestam aliquam iniquitatem, sed, fraude, dolosóq; prætextu tectam.* Sic infrà Psalmo 36. legimus, דברי פיהו און ומרמה: id est, *Verba oris eius iniquitas & fraus.* Et ob hanc causam locus ille, qui dictus fuit בבת אל *Bethel*: id est, *domus Dei*, propter fraudulentum & iniquum consilium Hieroboam, quo vitulos aureos illic Israëli, ne si Hierosolymis Deum adorarent, per eam occasionem ad regnum Iudah redirent, colèdos proposuit, בית און *Bethauen*: id est, *domus iniquitatis* à Prophetis est vocatus. Oseæ 4. 15. 10. nec immeritò. Etenim quæ maior potest esse iniquitas, quàm sub nomine Dei, diabolo: sub specie iustitiæ, iniustitię: sub prætextu religionis, proprio quæstui: sub velamine sancti propositi, spurcitiæ & immundiciæ operam dare? Sic Christus Matth. 7. eos qui sub ipsius nomine miracula operantes, perfidè & iniquè seipsos quæsierunt, his verbis in nouissimo die abiecturum esse dixit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

Vorantes populum meum, velut vorent panem.] 3. Notemus hîc primùm, quòd vocat eos *voratores*. *Vorare* est, non simpliciter edere, sed summa auiditate, lætæ insatiabili ingluuiei quæuis consumenda tradere: sicut solent animalia voracia, canes, lupi, vrsi, leones & dracones. Itaq; hac vorandi metaphora notat in illis insatiabilem & inexplebilem auaritiam. Quantum sit hoc malum, edici non potest: nec opus est vt verbis declaretur, cùm seipsum quotidie satis superque declaret.

Deinde obseruandum est, quòd eos non solùm *voratores*, sed etiam *populi voratores* vocat. Admonemur hîc, quantum referat, qualibus hominibus rerum gubernacula committantur. Si auaris ac voratoribus, nihil expectandum est subditis aliud quàm quod ouibus expectandum esset, si lupis, vrsis, leonibus & draconibus pascendæ traderentur. Vide Hiere. 23. Ezech. 34. de huius generis pastoribus. Et Christus eos notauit Matt. 23. dicens: Qui comeditis domos viduarum. & Vos autem fecistis ex ea speluncam latronum. Et Lucę 11: Intùs autem estis pleni rapina & iniquitate. De illis qui in Ecclesia Christi, secundũ vaticinium Apostoli, Act. 20. & Christi, Matt. 7. lupos rapaces,

& voratores populi Dei agunt, quid attinet multa dicere, cùm cœperint iam omnium esse notissimi? Qui debebant esse episcopi, pastores & doctores, quiq; de vicariatu Christi & successione Apostolorum gloriantur, bone Deus, quàm inpudenter omnia vorarunt, & vorant hodie: id quod primùm fraude per hypocrisim & fictis verbis 2. Pet. cœperunt, iam verò impudenti violentia consummare nituntur. Quis verò enumeret modos vorandi populi? Innumera est exactionũ, innumera ociosorum & voracium hominum, imò bestiarum multitudo. De tyrannis quoq; quos seculares vocant, res ipsa clamat, quàm sint voratores populi. A

Tertiò, notemus, quòd non tantùm dicit, *Vorantes populum*: sed, *Vorantes populum meum*. Significatur hîc, quo affectu pientissimus Dauid erga populum Dei præditus fuerit, etiam antequam regno Israëlis potiretur. Erat inauguratus in regnum per Samuelem: interea antequam regnum possederet, adhuc in exilio constitutus, paternum ac veri regis animum erga populum Dei gerebat: ideoq; tyrannidem impiorum hominum, qui rerum sub Saule potiebantur, ex animo detestabatur.

Quartò, etiam illud obseruemus, quod adijcit: *Veluti vorent panem*. Exprimitur hoc simili ingeniũ tyrannorum, qui perinde subditos premunt, spoliant, vorant absque vlla misericordia & peccati conscientia, ac si ad hoc eos subiectos habeant, vt premantur, spolientur, ac vorentur.

Dominum non inuocant.] 4. Non dicit, *Domino non offerunt*: sed, *Dominum non inuocant*. Verus cultus Dei est, Dominum ex corde in veritate inuocare. At ista inuocatio fidem requirit, quæ & esse Deum credat, & fiducia sincera ab eo pendeat. Quapropter qui vel non credit esse Deum, vel in Deum non credit, Deum non inuocat, sicut Paulus ad Rom. 10. dicit: Quomodo inuocabunt, in quẽ non credunt? & quem non inuocat, non colit, non metuit, non laudat, &c. Accidit etiam cõscientia iniquitatis & tyrannidis, quæ non patitur iuxta se diuini nominis inuocationem. "

EXPLANATIO. *Vers. 5.*

Ibi pauore consternabuntur: quoniam Dominus est in generatione iusta.] Habet hic versus comminationem diuinæ vindictæ, quæ maneat impios. Præcedenti versu dixerat per interrogationem, *Annón cognoscent omnes operatores iniquitatis, vocantes populum meum*, &c. iam hoc sequenti affirmatione eius quod interrogauerat, subijcit, dicens: *Ibi pauore consternabuntur*. quibus verbis futurum cõminatur, vt cum ingenti pauore & consternatione Deum esse, eumque iustum iudicem, & de cœlo prospicientem cognoscant, quòd antea cognoscere noluerint.

Quidam voculam שם: id est, *Ibi*, sic intelligunt, quasi vates non solùm hoc, quòd aliquando puniendi essent impij: sed & ipsum tempus præuiderit, quo id esset futurum, sicuti Psal. 2. dictum est: Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Quidam verò applicant hanc vo- "culam ad id quod præmissum est, *Dominum non inuocant*: quasi hoc in impijs reprehendat vates, quòd Dominum inuocare præ nimio pauore nequeant, eò quòd se illi committere fide destituti non possunt, verentes ne fallantur ac perdantur. Videamus quomodo hæc particula legatur infrà Psalm 53. vbi idem Psalmus ferè habetur ad verbum paucis immutatis. Ibi sic legimus: שם פחדו פחד לא היה פחד: id est, *Ibi pauebunt pauore, vbi non fuit pauor*: quod aliqui exponunt, *Vbi non erit pauore opus*. quem tamen sensum sequentia non admittunt. aliqui sic: *Qualis nunquam fuit pauor similis*. quam etiam expositionem non recipiendam puto, propterea quòd Dauid, licet ingentem pauorem impijs comminetur, necesse tamen non habet cauere, ac similis aliquãdo pauor fuerit vel futurus sit, cùm hæc impietas & fuerit aliquando antea, & futura etiam esset. Quapropter quòd hîc dicit: *Ibi pauore consternabuntur*: & Psalm. 53. addit: *Non fuit pauor*, sic intelligo: Consternabuntur aliquando pauore in illis, in quibus antea non pauebant, sed securè per contemptum Dei impietati ac maliciæ studebant, populum vorabant, ac Deum ridebant. Illic olim pauebant pauore ingenti, reuelante ab illis Deo & suum iudicium, & propriam ipsorum conscientiam feriente, vt de quibus aliquando nec Deum, nec homines veriti fuerant, de illis tum temporis pauore paueant. Est autem *pauere pauore*, ingenti pauore consternari, B

Quoniam Dominus est in generatione iusta.] Hæc est adiecta ratio, quare aliquando consternandi sint impij voratores populi Dei. Quoniam, *inquit*, Dominus, quem ipsi contemnunt, cuius populum vorant, in medio est iustæ generationis: hoc est, non deseret populum suum generationem iustorum, ac posteritatem sanctorum suorum, populum sanctum & iustum, quem ipsi deuorant & opprimunt. Huius aliquando vindictam sentient, & reipsa experientur, quàm nequeat in finem vsq; populum suum deserere, & impios illius oppressores ferre.

OBSERV. *Vers. 5.*

Ibi pauore consternabuntur.] 1. Notemus hîc primùm, quod genus vltioni minetur impijs Propheta. *Ibi*, inquit, *pauebunt pauore*: vel, *Pauore consternabuntur*. Ergo pauor erit vltio impiorum. Dices: Quantulum mali hoc est? Imò terribilissimum vltionis genus est. Etenim nihil potest homini accidere tristius & acerbius, quàm plenus cordis pauor, cordis scilicet, peccati conscientia victi ac pressi. id quod in illis videmus, quibus propter commissa flagitia morienduin est. Mors ipsa tam est dolore suo acerba, quàm horribilis est pauor præcedens, & cor miseri conquassans & enecans. Quàm plurimi sunt, qui timore tyrannorum victi, seipsi, interemerunt? Quid igitur accidet illis, qui conscientia iudicio Domini victa mortem æternam præ oculis videbunt? Vide Sapientiæ 5. item ad Roman. 2. minatur Apostolus impijs iram & indignationem Dei, & simul tristitiam & angustiam.

Quòd autem impijs istis pauorem incomparabilem minatur, pulchrè quadrat incomparabili illorum superbiæ & insolentiæ, qui nec Deum, nec homines verentur, sed miseris sunt pauori.

2. Deinde, quòd non simpliciter dicit, *Pauore consternabuntur*: sed, *Ibi pauore consternabuntur*: admonet nos, vt securitatem peccandi caueamus, ne cum impijs aliquando de illis peccatis, quæ hîc intrepidè ac securè commisimus, in conscientia percussi, pauore consternemur insuperabili.

Quoniam

A *Quoniam Dominus est in generatione iusta.*] 1. Obseruandum hîc est, primùm quòd populum Dei vocat *generationem iustam*, vel *iustorum*. Non dicit, *Quoniam Dominus est in iustis*: sed, *In generatione iustorũ*, vel *iusta*. Loquitur autem de oppressis illis, & voratis, quorum in præcedentibus mentionem fecit. Ergo populus ille quem Deus per tyrannidem impiorum castigabat, ore prophetico vocatur *generatio iusta*, tametsi inter eos innumeri fuerint peccatores & iniusti. Respicitur ergo non tam ad populi huius, quàm ad patrum eorũ iustitiam, propter quam vocatur *generatio iusta* vel *iustorum*.

2. Deinde obseruandum est hoc loco, quòd Dominum esse dicit in generatione iusta. Quærat aliquis quomodo Deus dicatur esse specialiter apud aliquos, cùm vt omnia condidit, ita omnia regat, sustentetque, & in omnibus existat, sicut Apostolus Actt. 17. inter cætera dicit: Quamuis Deus
» non sit longè ab vnoquoque nostrũm, in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Si dixerimus
» eum sic esse apud generationem iustorum vt illi benefaciat, nihil erit hoc præcipui: quandoquidẽ omnibus mortalibus benefacit, Solemq; suum producit super bonos & malos, & pluit super gra-
» tos & ingratos: vt & Dauid hic alibi dicat, bonitate Domini plenam esse terram. Dicemúsne igi-
» tur, Deum esse etiam cum malis? vel in generatione malorum? Oportet igitur præcipui quiddam esse, quòd in generatione iustorum esse dicitur. Respondeo: Dicitur Deus esse in generatione iustorũ singulari fauore, gratia, dilectione, ita vt eam spiritu suo singulariter complectatur, foueat & tanquam populum suum dirigat & gubernet: itaque erga eam afficiatur, vt dixerit hîc Propheta: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Sic Esa. 62: Vocaberis voluntas mea in ea,
» & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te. Et Hierem. 6: Erudire Hierusalem, ne re-
» cedat à te anima mea, &c.

» 3. Tertiò, quæsierit hîc quisquam, si hoc est esse Deum in generatione iustorum, prosequi illam singulari amore, fauore, gratia, & spiritu: quomodo patiatur eam vorari ab impijs? Respondeo: Prouidentia paterna populum suum iam manifesta virtute asserit, sicut asseruit Noah, Loth, Araham, Isaac. Iacob, Ioseph, Mose cum Israëlitis reliquis, &c. iam sub cruce exercet, & velut aurum in fornace probat, & propter peccata ipsorum castigat, vt crescant in fide, spe, charitate, patientia, humilitate, vitæ sanctificatione, timore Dei, sobrietate, modestia & Mundi abnegatione. Hac cruce autem generatio iustorum tam non perditur, vt magis etiam illustretur: cùm interea impij voratores, perinde atque carbones igniti in fornace, perdantur & consumantur.

4 Quartò notandum & hoc est, quòd pro eo quod hîc scriptum est: *Quoniam Dominus in generatione iusta est*, in Psalm 53. legitur: Quoniam Deus disperdet ossa castrametantium aduersum te. Er-
» go tantundem est Prophetæ, esse Dominum in generatione iustorum, atque conterere ossa impiorum. Etenim certò colligit, fieri non posse, vt impunè cedat impijs quòd populum & generationem iustorum vorant, eo quòd in illa sit Dominus: ideoque futurum, vt aliquando conteran-
B tur impij.

Consilium adflicti contemnitis, &c.] Habet hic versus apostrophen ad ipsos impios, quibus versu præcedenti ex eo quòd Dominus in generatione iustorum est, futurum comminatus est, vt pauore consternentur. Exprobrat autem illis hanc impietatem, quòd consilium adflicti: id est, adflictorum, quo spem suam in Deum collocabant, ipsi contemnant, & ignominia afficiant: indeq; causam sumant, illos absque vllo timore Dei vorandi & opprimendi. Omnium autem commodissè præcedenti versui exprobationem hanc subijcit, vt vicissim stultitiæ damnet, & irrideat istam impiorum impietatem & securitatem, qua ipsi adflictorum fidem ac pietatem & consilium ex fide natam, spem scilicet in Deum collocatam, contemnebant & ridebant. Quasi dicat: Ibi pauore consternabuntur impij, qui iam adflictorum consilium contemnunt & rident, quòd Dominus spes eorum est: quando reipsa experientur, & magno suo malo sentient, esse Dominum in generatione iustorum. EXPLANATIO. *Vers. 6.*

1. Principiò obseruemus hoc loco, quòd pijs in adflictione constitutis spem tribuit Propheta. Spes quid sit, notum est. Cicero vocat eam expectationem rerum meliorum: idque illi virtutis tribuit, vt sola in rebus aduersis animos adflictorum consoletur & erigat: & ob hanc causam à Collatino in numerum deorum collocata sit, quòd planè diuinam videatur habere virtutem. Pulchrè est expressa natura spei, quòd ea datur adflictis. Etenim in illis quibus omnia prosperè cedunt, locum non habet. Non enim præsentium sunt ea quæ sperantur, sed futurorum. Sic Paulus ad Romanos 8. dicit: Spes quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, vt quid speraret? Si autem quod
» non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Deinde quòd hoc illi tribuitur, quòd adfli-
» ctos consoletur & erigat. Ergo desperatio animam adflicti deijcit ac turbat. Curandũ ergo nobis, vt animos adflictorum spe rerum meliorum non consolemur & fulciamus. Hac erigebatur, Iob, dicens: Post tenebras spero lucem. Item: In carne mea videbo Deum seruatorem meum, &c. Re-
» posita hæc spes mea in sinu meo. OBSERV. *Vers. 6.* *Spes in adflictione.*

2. Deinde & hoc expendamus, quòd dicit, *quòd Dominus spes eius est.* Necesse est habere spem re-
» rum meliorum aliquid præ oculis vnde expectet quod sperat, in quod continuè & indesinenter prospiciat. Qui spem collocant in hominem aliquem, argumenta sperandi sumunt ex illius vel potentia, vel bonitate ac fide. Quidam inde sperant, quòd aduersarios suos sciunt esse mortales: quidam etiam ex eo, quòd nouerunt omnium rerum esse vicissitudinem. Varia sunt sapientibus huius Mundi spei obiecta, vt incerta, ita plerunq; etiam fallentia. Vnde & prouerbio locus factus est, Hoffen vnd harren/macht manchen Narren. Pij verò omnibus illis relictis, vnde sibi causas sperandi colligunt huius Mundi sapiẽtes, spem suam collocãt in Deum idq; solum. Non potest spes in Deum esse vera & sincera, nisi in solum Deum collocetur. Sic non dicit hîc Propheta, *quòd in* *Dominus spes adflictorum.*

Dominum

Dominus sperat: sed, *quòd Dominus est spes eius.* Si iuxta Deum speras etiam in alios, non poteris verè dicere Dominum esse spem tuam: perinde ac si vxor iuxta maritum suum diligat etiam alios viros, non poterit maritum suum vocare amorem suum. Obseruandum itaque hoc loco est, quomodo pij sperent in Deum: sic videlicet, vt ab illo vno ac solo tota fiducia pendeant. Sciunt enim illum solum verè posse ac verè velle etiam in necessitatibus quibuscunq; succurrere: & sic toti ab eo pendent, vt etiam si possent aliunde seruari, hauquaquà tamen salute aliunde acquisita delectarentur. A

Spes vocatur consiliũ

3. Tertiò, obseruandum hîc est, quòd *spem in Dominum* vocat consilium adflictorum. Consilium in rebus aduersis nihil aliud est, quàm fundamentum quoddam cui innitantur adflicti, & prudens ratio acquirendæ salutis. Ergo sapientia est, sperare in Dominum. Etenim consilium esse non potest sine sapientia. Sic Esa. 11. cùm Propheta dixisset: Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, adiecit: Spiritus consilij & fortitudinis. Vnde perspicuum est, consilium requirere sapientiam, & gignere animi fortitudinem. Habent ergo pij in rebus aduersis consilium hoc ex spiritu sapientiæ, vt in vnum Deum spem omnem collocent. Nec fallit hoc consiliũ. Spes enim non confundit, Rom. 5. Vide Hier. 17: Benedictus vir, *inquit*, qui confidit in Domino, & est Dominus fiducia eius. Et est quasi arbor transplantata super aquas, *&c.* Et Psal. 125: Qui confidunt in Domino, *&c.*

Impij contẽptores spei piorum.

4. Quartò, etiam illud expendamus, quòd impijs contemptum & irrisionem consilij huius tribuit. *Consilium adflicti*, inquit, *contemnitis.* Fit hoc trifariam. Primùm corde, deinde verbis, tertiò opere. In corde rident impij spem piorum in Deum collocatam: quia vel non credunt esse Deum, vel non credunt eum talem esse, qui res mortalium curet: vel non credũt adflictos tales esse, qui Deo sint curæ. Verbis rident piorum spem, cùm dicunt: Sperauit in Domino, eripiat eum, saluet eum, *&c.* quæ irrisio Christo etiam in cruce pendenti contigit. Vide Matth. 27. Opere rident, dum ob eam causam pios securiùs adfligunt & opprimunt, quòd sciunt eos nullo alio subsidio niti, quàm spe in Deum. Est itaque planè diuersum ingenium impiorum ab ingenio piorum. Quod pij summæ sapientiæ loco habent, illoque tanquam salutari consilio vtuntur, hoc illi irrident, & stultitiæ damnant.

5. Quintò, considerandum & hoc est, quòd impijs istum spei piorum contemptum opprobrandi loco obijcit: significans futurum olim, vt sentiant & experiantur, vtri sapuerint, ipsi ne spem piorum irridendo, & innoxios securè opprimendo: vel pij adflictionem patienter ferendo, & spe bona à solo Deo pendendo. Animent ista & erigant adflictorum mẽtes contra impiorum irrisionem, & inania Mundi huius spectra, quibus imperiti subinde turbantur.

EXPLANATIO. *Vers. vlt.*

Quis dabit è Sion salutem Israëli, &c.] Hoc versu Propheta duo facit. Primùm ardẽtibus votis optat, vt salus illa Israëli ex Sion destinata præstetur. Hoc est quod dicit, *Quis dabit è Sion salutem Israëli?* Nõ loquitur ista animo dubitanter interrogandi, quasi impossibille credat, vt Israëli salus contingat è Sion, ideoque neminem esse qui eam dare queat, qualis loquutio suprà habetur Psalm. 4: Multi dicunt, Quis ostendet nobis bonum? sed loquitur animo optandi, vt idem sit, atque, *Vtinam detur Israëli salus ex Sion.* Huiusmodi loquutiones habentur multæ in Scripturis: vt Num. 11: Quis dabit omnẽ populum Domini esse Prophetas? & 2. Sam. 18. dicebat Dauid lugens Absalonem: Quis det mihi vt ego moriar pro te? Et Hier. 9: Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Quis det me in solitudinem, & derelinquam populum meum, quia omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. B

Deinde vaticinatur de ingenti lætitia Israëlis, tum futura, quando captiuitas illius fuerit à Domino sublata & conuersa: *Dum conuertet*, inquit, *Dominus captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, & lætabitur Israël.* Spiritu in eam populi Dei liberationem prospiciebat, quæ futura erat per Christum, cuius portio præcesserit. Quod reliquum est, circa finem Mundi perficietur: qua de re vide Rom. 11.

Exultabit Iacob, & lætabitur Israël.] Rem eandẽ bis dicit. Nam sicut idem est Iacob & Israël, sic idem est exultare ac lætari: nisi quòd sic intensionem lætitiæ exprimere voluit.

OBSERV. *Vers. vlt.*

Quis dabit è Sion salutem Israëli.] 1. Primùm obserua insignem amoris affectum erga Israëlẽ. Non dicit, *Quis dabit mihi salutem?* sed, *Quis dabit salutem Israëli?* Atqui sciebat illam olim futuram, nẽpe sub Messiah filio Dei, cuius habebat à Deo promissionem. Verùm adeò desiderabat eam ardenter, vt quasi moræ impatiens, iam tum eam dari optaret. Hinc illud Christi: Multi reges & prophetæ vo-
luerunt ea videre, & non viderunt. Lucę 10. Vsqueadeò pius rex animum suum terreni regni gloriæ non dabat, & ea rerum prosperitate qua in regno suo potiebatur, contentus non erat, vt oculos mentis magno desiderij ardore ad videndum veram illam salutem extenderet, quam Israel diuinitùs in Christo destinatam esse sciebat. Harum rerum inanis erat Saul, sicut & consimiles alij impij reges. Vides hic exemplum pij ac fidi regis.

2. Deinde, non solùm dicit, *Quis dabit salutem Israëli:* sed, *Quis dabit è Sion salutem Israëli?* E Sion enim illa futura erat per Christum. Sic Psalm. 2: Vnxi Regem meum super Sion montem sanctum meum. Et infrà Psal. 110: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, vt domineris in medio inimicorum tuorum. Et Esa. 2: Qui è Sion exibit lex & verbum Domini è Hierusalem. Huius rei typus sub Dauide in Sion præcesserit. Vide historias sacras. In Actis Apostolorum videmus loci huius impletionem. Hac de causa, si terrenus aliquis locus hoc est honore dignus, vt propter salutis nostræ originem mater habeatur credentium, dignior illo erit Sion quam Roma.

3. Tertiò, & hoc notemus: Si tanto desiderio arsit animus Prophetæ erga salutem Israëli è Sion futuram: quàm debet ardens esse in nobis expectatio salutis eius, quam in fine Mundi cœlitùs futuram Apostolicæ literæ promittunt?

Dum con-

A *Dum conuertet Dominus captiuitatem populi sui.*] 1. Primò obseruandum quòd populo Dei tribuit captiuitatem. Quæ illius sit ratio facilè intelligit vir cordatus. In libertate constituti incressamur, dilatamur, superbimus ingrati, delicijs & voluptatibus carnis corrumpimur, ac Deo nostro rebellamus, & ab illo ad regnum satanæ & seruitutem impiam deficimus. Consulto ergo in captiuitatem tradimur. Exempla sunt in Israële.

2. Secundò, ex captiuitate non nisi Deus liberare potest Non dicit, *Dum conuertetur captiuitas populi Dei*: sed *Dum conuertet Dominus captiuitatem populi sui* Eiusdem est liberare, cuius est tradere in captiuitatem. Non poterimus nos ipsi liberare.

3. Tertiò, obseruandum est, quòd non dicit, *Si conuerteret Dominus captiuitatem populi sui*: sed, *Dum conuertet Dominus captiuitatem populi sui.* Certò futurum sperat, imò nouit, conuersurum Dominum captiuitatem populi sui. Nemo erga de plena & iusta populi Dei liberatione desperet, quantumuis deplorata illius videatur esse captiuitas.

4. Quartò, & hoc notemus, quòd populi Dei liberationem aliquando quidem futuram prædicit: quando autem futura sit, non meminit, contentus ea spe, quòd credit eam certò & indubitatò futuram.

Exultabit Iacob, lætabitur Israël.] Notandum hîc est, quomodo Propheta populum Dei miserè affectum, vaticinio futuræ lætitiæ, quam plena liberatio allatura sit consoletur. Tristitia est in captiuitate, & adflictio conscientiarum: in liberatione verò, gaudium & lætitia. Discamus ergo hoc futuro gaudio proposito quasuis aduersitates non modò patienter, sed & cum gaudio perferre. Sic Christus proposito sibi gaudio sustinuit crucem Ebræ. 12. Hoc scilicet optimum est omnium tribulationum condimentum, ex animo sperare, ac dicere cum Propheta: *Dum vertet Dominus captiuitatem nostram, exultabimus & lætabimur.*

PSALMVS XV.

ARGVMENTVM PSALMI.

B *CAnit hoc Psalmo Propheta, oportere veræ ac solidæ iustitiæ deditum esse eum, qui velit habere commercium cum Deo, & in illius Ecclesia & regno immota sede potiri.*

PSALMVS DAVIDIS.

VERS. 1. *DOMINE, quis commorabitur in tabernaculo tuo: quis habitabit in monte sancto tuo?*

2. Qui ambulat integer, & facit iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo.

4. Qui non detrahit lingua sua, non facit proximo suo malum: & opprobrium non sustinet aduersus vicinum suum.

4. In cuius oculis despicitur abominabilis, & qui timentes Dominum glorificat: iurat proximo, & non mutat.

5. Qui pecuniam suam non dat ad vsuram, & munus aduersus innocentem non accipit: qui facit hæc, non mouebitur in seculum.

LECTIO. *Qui non detrahit lingua sua.*] Ebr. est לא רגל על לשונו. Græc. ὃς οὐκ ἐδόλωσεν ἐν γλώσσῃ αὐτοῦ. Vulg. Lat. *Qui non egit dolum in lingua sua.* Hieron. *Qui non est facilis in lingua sua.* Chald. *Nō facilè detraxit lingua sua.* Felix: *Non detraxit lingua sua.* *Vers. 3.*

Iurat proximo.] Ebr נשבע לחרע Hieron. legit: *Iurat vt se adfligat.* Sic & Chaldæus, & aliquot recentiores. Reliqua nihil habent descrepantiæ. *Vers. 4.*

EXPLANATIO. *Domine, quis commorabitur, &c.*] Apparet Prophetam & regem Dauidem cùm arcæ testaméti Dei tabernaculum in monte Sion parasset, illamque in eum locum, sicut 2. Sam. 6. & 1. Paralip. 16. legimus, trāstulisset, populum Dei hoc Psalmo ad timorem Dei, ac verum solidæ iustitiæ studium adhortari, admonereq; voluisse, vt si gratiam hanc Dei, qua certo loco, nempe in monte Sion, sedem inter eos figere, coli & adorari dignabatur, amittere nollent religiosè, piè & iustè in eo conuersarentur. Canit itaque ad hunc modum: *Domine, quis commorabitur in tabernaculo tuo*, &c. Vtitur in primo hoc versu apostropha interrogatoria ad Deum, non dicens simpliciter, *Quis cōmorabitur in tabernaculo Dei? quis habitabit in monte sancto eius?* sed, *Domine, quis commorabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte sancto tuo?* Vt veluti Deum ipsum tanquam ad interrogationē hanc respondentem inducat, idq; efficiat, vt quæ subijciuntur, religiosiùs audiantur, & memori mente retineantur, tanquā quæ non humano spiritu, sed diuino prolata sint oraculo. Rem autem eandē bis dicit. Etenim idem per *tabernaculum Dei*, quod per *montem sanctum eius*, intelligit. facit hoc ad excitandum animos piorum, vt admoneantur, habitare se non simpliciter Hierosolymis, sed in tabernaculo ac monte sancto Dei. *Vers. 1.*

OBSERV. Primùm illud, expendēdum est, quòd ciuitatem Sion elogijs tabernaculi ac montis Dei sancti eohonestat. Erat ea ciuitas magna & robusta, deinde opera & studio suo illam acquisierat, & Iebusæis primus abstulerat. Verùm nihil huius iactat, nec amplitudinem ac robur ciuitatis huius populo Dei commendat: sed de tabernaculo ac monte sancto Dei canit, vt gratiam Dei prædicet, admoneatque præferendam eam esse vrbis huius robori & amplitudini.

Deinde, quòd *tabernaculum & montem* Deo tribuit in terris, & ipsum est considerandum. Nā habitat

bitat Dominus in manufactis, qui cœlos implet, & terram Voluit tamen nominis sui celebritatem A
certo aliquo loco esse in medio populi sui, quo congregatus in timore, & cultu Dei aleretur, audiret legem Dei sui, admoneretur beneficiorum illius, institueretur sub figuris & vmbris, & in vnũ corpus & coalesceret, à reliquis gentibus totius Orbis auulsus ac diuisus. Ob eam causam promisit ei loco suam præsentiam, supra propitiatorium arcæ. Et hac ratione, quoniam eo loco omnia sub vmbris ac typis agebantur, ne contemneretur, voluit eò vocari domum Dei, ciuitatem Dei, habitationem Dei, sedem Dei, templum Dei, tabernaculum Dei, montem sanctum Dei, &c. Verùm, sicuti plerunq; accidere solet, propter corruptum carnis nostræ ingenium, carnales Iudæi elogijs istis abusi, putabant se Deum habere in arca, in tabernaculo, in templo: eamq; ob causam fieri non posse, vt de statu rerum suarum vllo pacto periclitarentur, propter Dei sui præsentiam, tametsi viuerẽt flagitiosissimè, essentq; populus nullius fidei, nullius iustitię & pietatis. Vide historiã de arca Dei exportata cõtra Philistęos ad castra, 1. Sam. 4. Ideò clamabant Prophetæ, non habitare Deũ in manufactis. id quod & Stephanus Act. 7. non rudi plebi, sed ipsis primoribus, Pharisæis, Scribis, & sacerdotibus, imò illorum concilio, magna fiducia obiecit. Expende hîc, quid illis possit obijci, qui Christum lapideò sacrario includunt, illiq; ad hunc modum subscribunt:

Flecte genu, lapis hic venerabilis hospite Christo.

Audiant saltem Apostolum, Ebr. 9. dicentem non in manufacta ingressus est Iesus, quę sunt exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum & appareat nunc vultui Dei pro nobis. De Sion monte Dei, vide suprà Psal. 2. versu 6.

Tertiò, obseruandum est, quòd Deum ipsum alloquitur, deq; habitatorib. tabernaculi ac montis eius interrogat. Significat ea interrogatione, sic se tabernaculum Dei ac montem sanctum eius magnificare, vt omnino sentiat, non esse cuiusuis in eo commorari, sed pertinere gratiam hanc ad eos, qui illa sint digni, & negari indignis & impijs. Alioqui nulla esset ratio ad hunc modum interrogandi. Quæ triuialia sunt, & vulgaria, de his nemo interrogat quis illis sit potiturus: interrogamus autem de selectis & eximijs, quæ non omnibus temerè contingere scimus.

Quartò, & illud consideremus, quòd non dicit, *Domine, quis ingredietur tabernaculum tuum, quis accedet ad montem sanctum tuum?* sed, *Quis cõmorabitur in tabernaculo tuo? & quis habitabit in monte sancto tuo?* Verbis *commorandi* & *habitandi*, immotam mansionem expressit. Aliud est, semel atque iterum ingredi: & aliud, vbi fueris admissus, constanter manere ac retineri. Illud quorumuis, hoc verorum tantum est ciuium. Cogitemus iam de Ecclesia & regno Christi, cui sumus adiuncti, quàti nobis sit faciendum, quòd in monte sancto Dei datum est commorari: curemusq; sic nos gerere, ne aliquando eijciamur. Quis enim fidelium ignorat, quàm debeat in nobis excellere pietatis & iustitiæ studiũ, qui non in vmbratili monte ac tabernaculo habitamus, sed in regnum filij Dei, inque ipsam veritatem translati sumus? B

EXPLANATIO. *Vers. 2.* *Qui ambulat integer*, &c.] Quæstio admodum necessaria proposita, responsum requirit perspicuũ & luculentum: quod etiam Propheta satis apertum, & paucis verbis comprehensum subijcit. Vtitur autem compositione & ordine, sic vt primùm summatim complectatur rem omnem, deinde distribuat in partes. Summa est, *Qui ambulat integer*: hoc, qui viuit & conuersatur integer. Distributionem habent quæ sequuntur, complectentia in se facta & verba totius vitæ ac conseruationis hominis integrè ambulantis. *Qui ambulat integer*, inquit. Ebraicè est, תמים הלך Significat aũt תמים, quod *integrum* est, & *perfectum*. Sic legimus Exod. 12. שנה תמים זכר בן שה: id est, *Agnus integer, masculus, vnius anni*. Dicitur autem *agnus integer* qui nullũ habeat defectũ: qua de re videre est Leuitic. 22. *Integritatem hanc* plerunq; interpretes S. Scripturarum reddiderunt *simplicitatem*: quæ versio non malè quadraret dictioni תמים, si rectè intelligeretur: nempe, vt *simplex* idem sit quod *candidum, integrum, innocuum*: cuius oppositum est, vafrum, astutum & peruersi cordis duplicitas. quo sensu intelligi debet illud: Qui simpliciter ambulat, bene ambulat: quo dicto abutuntur illi, qui scientiam S. Scripturarum auersantur: quasi simpliciter *ambulare*, sit ignoranter, sine scientia diuinę veritatis ac verę pietatis ambulare.

Et facit iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo.] His verbis, quod dixit: *Qui ambulat integer*, breui distributione in facta & verba partitur. factis enim & verbis constat totius vitæ nostræ conuersatio. Est autem *facere iustitiam*, studere iustitię ac probitati. Sumitur enim hîc צדק *iustitia* pro eo quod nos Germani vocamus Frombkeit, & Latini *probitatem*: vnde viri boni nominantur. *Et loquitur veritatem*, inquit, *in corde suo*. Est hæc altera pars distributionis, concernens iustitiam verborum. *Veritatem* autem *ex corde loqui*, nihil aliud est quàm bona fide & ex animo candidè ac sincerè quod verũ est loqui: cuius contrarium est, subdolè & maliciosè aliud ore loqui, & aliud corde tegere, qua de re suprà Psal. 12 quędam vidimus. Vafricem & maliciam cordis ac linguæ passim inter mortales suo tempore obtinuisse queritur.

Qui ambulat integer.] 1. Principiò obseruandum est hoc loco, quod genus iustitiæ Propheta illis præscribat, qui sint habitatores tabernaculi ac montis Dei sancti permansuri. Eam videlicet iustitiam ab illis requirit, quæ non in cæremonijs tantùm & vmbris legalibus constet, sed quæ omnem vitam complectatur, & veram animi probitatem ac charitatem erga proximum spiret. Sciebat hoc carnis esse ingenium, vt primùm Deo tantùm approbandum sibi esse putet, nulla habita proximi ratione: deinde ei tantùm iustitię studeat, quæ sita sit in externis ceremonijs ac ritibus Ecclesiasticis, & in templis ac sacellis exerceatur: vtpote apud Iudæos, esse circumcisum, immolare pecudes, cibis nonnullis non vesci, lauari aqua, corpus non spiritum purgante, & quæ alia sunt huiusmodi ad ritus Iudaicos pertinẽtia: quibus illi veram pietatem & iustitiam coram Deo metiebantur. con-

tra quatti

A tra quam superstitionem quàm luctati sint Prophetæ, in scriptis eorum videmus. Non dicit igitur: *Qui fuerit circumcisus, qui pecudes in tabernaculo* vel *templo obtulerit, qui frequenter lauerit, qui pollutum non tetigerit.* &c. sed, *Qui ambulat integer, & facit iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo,* &c. Non quidem ea reijcit, quæ lex ad cerimonias pertinentia præcipiebat: verùm interea ab opinione illa & superstitione Iudaica populum Dei auocat, qua veram pietatem & iustitiam sibi ex ceremoniarum obseruantia coram Deo pollicebantur: & ad solidę iustitiæ studium hortatur, ostendens vitam requiri à Deo integram & iustam. Vide Esa. 1. Hierem. 7. Psal. 40 50. 51.

Quid hîc dicemus de superstitione pseudochristianorum, qui se Deum absq; vitæ reuocatione, ac veræ iustitiæ studio, cerimonijs non è verbo DEI petitis, sed humanitùs excogitatis, colere & placare putant? Boant in templis Gentilib. magis quàm Christianis, homines impij, si vitam inspicias, carnales, impudentes, scortatores, simoniaci, eidololatræ, &c. & hunc boatum suum, vnà cum reliqua hypocrisi & scena histrionica, putant esse cultum Dei: imò non putant ipsi, sed vt plebs indocta putet, persuadent, vt turpissimum quæstum venentur, ocioq; ac ventri suo consulant.

2. Deinde expendendum est, quod dicit, *Qui ambulat integer.* Si quæras, quare hoc summatim à ciue regni DEI Propheta requiratur? in promptu causa est, quòd integritate vitæ Deus delectetur, & maliciam ac fraudulentiam auersetur. Sic Prou. 11. Abominatio Domini sunt, *inquit*, profundi corde & beneplacitum illi qui integrè ambulant. Ideo dicebat ad Abrahamum: Ambula coram me, & esto integer. Gen. 17. Et Moses ad populum Dei: Eris integer, *inquit*, cum Domino Deo tuo. Deut. 18. Ideo prædicantur in Scripturis viri תמימים i.e. *integri*, vt Iacob, & Iob, &c.

Breue dictum est: *Qui ambulat integer*: includit autem in se omnia, siue quæ cum DEO, siue quæ cum hominibus sunt agenda. Adhibeat quisque hanc veluti regulam statui suo. Si minister verbi es, vide vt munere illo integrè fungaris, non modò docens quæ vera sunt, sed & corde integro erga Deum & homines: nec gloriam, nec commoditatem tuam, sed gloriam DEI ac salutem mortalium spectans. Item si in magistratu constitutus fueris, cura vt iustè iudices, idque corde integro facias. Sic de singulis cogitandum. Loquor de illis, qui sunt ex Deo. In eo statu qui contra Deum est, nemo poterit integrè ambulare.

Et facit iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo.] 1. Notandum est hîc, quòd *ambulandi* verbum, per cuius metaphoram totam vitæ nostræ conuersationem exprimit, diuidit in facta & verba. *Et facit*, inquit, *iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo.* Admonemur ergo, vt animi nostri integritatem & verbis & factis exprimamus, ne quid faciamus, vel dicamus, quod malicioſum sit, & iniquum.

2. Obseruandum etiam est, quòd quemadmodum verbum *ambulandi* partitus est in facta & verba, sic dictionem *integritatis* diuidit in iustitiam & veritatem: & iustitiam factis, veritatem ori deputat. Est igitur iustitia, integritas operum: & veritas, integritas verborum, & quòd iustitia est in factis, id veritas est in verbis. B

3. Tertiò non dicit, *Et nouit iustitiam*: sed, *Et facit iustitiam.* facilè addiscitur quid iustum sit, quid iniustum, quid fieri debeat, quid non debeat. Verùm studium iustitiæ non est in sola ac nuda scientia, sed in practica situm. Non reprobamus scientiam iustitiæ, sed eam requirimus quæ sit viua & efficax. Homini pio iustitiam scire, non est simpliciter quid illa sit scire, sed eam factis exprimere. Est autem iustitia sic facienda, vt cumprimis vnicuiq; quod suum est præstetur. In genere nemini quicquam debemus, nisi vt nos inuicem diligamus. Roma. 13. id quod non modò Veteris testamenti, sed & Noui lex requirit. Deinde notũ est, quid Ecclesiæ Christi debeant pastores ac doctores, quid viciſsim fidelis pastorib. suis ac doctoribus, quid magistratus subditis, rursus quid subditi magistratib. quid maritus vxori, quid vxor marito, quid parentes liberis, quid liberi parentib. quid herus seruo, quid seruus hero, quid ciuis ciui, vicinus vicino, &c. Quisq; videat, quomodo iustitiam faciat: primùm erga quosuis in genere, deinde erga eos quibus peculiariter est coniunctus.

Et loquitur veritatem in corde suo.

Et loquitur.] 1. Non est præter singularem rationem posita præsens hæc particula. Etenim non dico magnam, sed reuerà maximam & præclariſsimam humanę vitę partem vsus loquendi continet: quo dempto, quid est vita nostra, quàm fabula quędam muta, & tenebris errorum inuoluta? Eximium prorsus est donũ loquendi, inter omnia animantia homini soli diuino munere concessum. Vnde & quidàm illud hominis proprium esse iudicarunt, & hominem animal esse bipes quod loqui sciat, definierunt. Vsus loquendi latè quidem patet, verùm his terminis constringi potest: vt primùm gloriæ Dei, deinde humanis vsib. seruiat. Gloriæ DEI seruit, nomen illius laudando, veritatemq; & gratiam regni eius deprædicando. Humano conuictui seruit, primùm vt necessaria cordium nostrorum cogitata verbis aperiamus, quib. quid necesse nobis sit, quidq; velimus, petamus, imperemus, desideremus, quæramur, &c. significemus.

2. Deinde, vt & proximorum vsib. & necessitati consulamus: quod fit, dum vel ignorantes docemus, & errantes in viam reducimus: vel delinquentes corripimus, vel benefacientes laudamus, vel iratos placamus, vel tristes consulamur & erigimus, & quæ alia conuictus nostri necessitas requirit loquendo expedimus. Præclarum hoc Dei donum, tot nominib. necessarium, sine quo nemo nouit quid sit in homine, partim leuitate, partim malitia & fraude cordis humani peruertitur: vt non sit præter rationem factum, quòd hæc est particula factorum iustitiæ adiecta. Admonemur ergo, quisquis regni Dei ciuis esse cupit, vt cogitet non hoc modò requiri à se, vt factorum suorum rationem habeat, sed vt in verbis quoq; integer & irreprehensibilis reperiatur.

Veritatem.] 1. Primùm consideremus, quòd non dicit, *Et loquitur expeditè, scitè, sapienter, eleganter, ornatè, magnificè*, &c. sed, *Et loquitur veritatem.* Ergo *veritas* est, quæ in verbis eius requiretur, qui ciuis

regni Dei esse cupiat, quomodocunq; illa proferatur verbis siue multis, siue paucis, siue simplicib⁹, siue ornatis & elegantibus: vt non sit quòd rudis quispiam & idiota imperitiam linguæ causetur. Et veritatis hæc est natura & conditio, vt simplici perspicuitate gaudeat, perinde atq; pudica matrona ornatu honesto. Mendacium eget colorib. & fucis, instar scorti impudici & lasciui. Quapropter qui in veritate operosum elegantiæ studium requirunt, nimium delicati sunt: & perinde facere videntur, atq; si maritus quisquam ab vxore sua petat, vt lasciuum & inhonestum ornandi se studium, quo scorta gaudere videmus, imitetur. A

2. Deinde & hoc expendamus, quare Spiritus S. veritatem sermonis à ciuib. regni Dei requirat. Primùm, quia diuinum quiddam est veritas, & Deus illa, qui sic verax est, vt mentiri nesciat, summopere delectatur & mendacium tanquam diaboli inuentum & veritati contrarium detestatur.

Deinde, quia vsus loquendi quo carere nequimus, veritate nititur: quid dempta veritate sic peruertitur & corrumpitur, ac si Soli splendorem, terræ fertilitatem, aquis humiditatem, lapidib. duriciem, igni calorem adimas. Sicut enim singulis creaturis Dei aliquid datum est, quo constet illius vtilitas: & sicut in operibus etiam humanis aliquid singulis ineſse oportet, quo id quod esse debent, constet, siue illvd rectum sive integrum in genere voces, sine quo nequeat illorum esse vsus: vtpote si fundamentum domus non sit firmum, & solido non sic innitatur, vt molem impositarum ædium sustinere queat: si tectum non sit ritè tegulis compactum, si trabes & parietes non ritè collocentur & compingantur: si gladius non sit acutus, sed obtusus: non obduratus, sed plumbeus, &c. ita habet & humani sermonis conditio, qui sic veritate nititur, vt sine illa non modò inutilis, sed & noxius efficiatur, vt non sine ratione in verbis piorum requiratur.

3. Tertio, nec illud transeundum est, quòd non dicit, *Et loquitur omnem veritatem*: sed simpliciter, *Et loquitur veritatem*. Non requiritur hoc à ciue regni Dei, vt omnem veritatem: hoc est, quicquid verum est, loquatur. Primùm enim non est hoc hominis alicuius, sed Dei solius, scire omnem veritatem. Quomodo autem poterit quis veritatem incognitam loqui? Deinde nec conuenit, vt quicquid verum esse nouimus, confestim eloquamur: sed etiam atq; etiam videndum est viro bono, vt sic veritatem vel edicat, vel taceat, sicut proximo conducere iudicauerit. Etenim non veritas sermonis, sed charitas, omnium est cùm faciendorum tùm dicendorum regula & scopus. Quapropter etiam sancti viri veritatem aliquando tacendo aliquando loquendo occuluerũt: vt Ioseph, cùm falsò accusaretur ab vxore heri sui Putipharis, malebat iniuriam patienter ferre, quàm veritatem dicendo, crimen heræ suæ prodere. Gen. 39. Et obstetrices Ægyptiacæ non peccarunt, quòd tyranno Pharaoni veritatem de mulierib. Ebræis, quam vtiq; sciebant, non prodiderunt, sed commento aliquo absconderunt, Exod. 1. Et Michol, 1. Sam 19. non deliquit, sicuti nec Ionathas, 1. Sam. 20. quòd veritatem de Dauide Sauli impio, licet patri, non indicarunt. Talia multa sunt in Scripturis. Verùm de hac quæstione, an liceat viro bono aliquando dicere quod verum non est, & de mendacio, vide in Ioanne nostro, cap. 8. ibi: Quia mendax est, & pater eius. B

In corde suo.] 3. Obseruemus hîc, quòd non simpliciter dicit, *Et loquitur veritatem*: sed addit, *In corde suo*. Primùm potest fieri, vt quis falsum dicat, quod tamen in corde suo putet esse verum: rursus, vt verum dicat ore, quod tamen in corde suo putet esse falsum. Ideo rectè dicit: *Et loquitur veritatem in corde suo*. Non dicit, *In corde proximi*: sed, *In corde suo*. Innocens est, qui quod dicit, ideo dicit, quod in corde suo verum esse putat, etiam si in cordib. aliorum sit falsum, modò contra regulam charitatis non faciat. Falsus est, qui verum dicit ore, quod in corde suo putat esse non verum.

Deinde, fieri potest, vt quod verum est, & verum esse scitur, ore tantùm, & non ex corde dicatur: sicut & econtrariò accidit, vt quod falsum est, & falsum esse scitur, ore tantùm, & non ex corde proferatur: id quod bonis aliquando ex metu contingit. quale est quod Petro accidit, cùm diceret: Non noui hominem: quod falsum erat, & ore tantùm, non ex corde dicebatur. Itaq;, ab eo qui ciuis debeat esse regni Dei, hoc loco requiritur, vt non solùm ore, sed ex corde quoq; quod verum esse scit vel putat, loquatur: vt sit homo non modò vera dicens, sed & veritatis amans & studiosus: idq; non erga Deum duntaxat, sed erga proximos. Etenim quod Deum concernit, quis est à quo falli possit? Imò, quis apud ipsum vsus verborum nostrorum est, qui omnia cordium nostrorum secreta, etiamsi prorsus muti simus, intimè nouit?

EXPLANATIO. *Verſ.* 3. *Qui non detrahit lingua sua*, &c.] Non contentus Propheta summaria operum ac verborum iustitia, descendit ad species quasdam recensendas: quas ex ordine inspiciemus. Inter omnia vitia linguæ, quæ sunt innumera, duo pessima adducit, detractionem videlicet & periurium, cuius versu sequenti mentionem faciet. detractionem priore loco reijcit, quòd illa latiùs regnat, & minus, quantum peccati habeat, agnoscitur. Ebraicè est רָגַל, quod verbum *explorare* significat. vnde מְרַגְּלִים *exploratores* vocantur. Significat ergo Propheta, reprobare se pessimum illud genus hominum, q. blandis ac fictis verbis secreta proximi scrutatur, & more exploratorũ, quę cognouit, lingua sua aliò defert.

Nec facit proximo suo malum] Pertinet hoc ad iustitiam operum & vitæ innocentiam. Hominis iusti & innocui est, proximum nulla in re nec verbis nec operib. lædere: sed sic se erga quoslibet studio charitatis gerere, vt nemini scienter incommodare cupiat. Sic intelligenda est hæc particula quã dicit: *Nec facit proximo suo malum*. vt *malum facere proximo*, idem sit, quòd proximo scienter ac studiò incommodare.

Et opprobrium non sustinet aduersus vicinum suum.] Variè exponitur hic locus, propter Ebræam vocem נָשָׂא quæ aliquando *accipere*, aliquando *ferre*, nonnunquam & *pati* significat. Quidam exponunt: *Et opprobrium non infert proximo suo, non denigrabit famam ac nomen proximi sui.* Quidam sic: *Et opprobrium non adfert ad proximum suum*: hoc est, non committit aliquid quod ipsi proximus probro vertere possit.

Alij,

A Alij, quemadmodum vertimus, sic exponunt: vt intelligendum sit, *non conuenire iusto, vt opprobrium aduersus vicinum suum sustineat*: hoc est, vt sinat proximo suo coram se aliquam ignominiæ notam inuri. Exigit Spiritus sanctus à ciue regni Dei, vt nec ipse detrahat proximo, nec patiatur si id coram se fiat ab alio, sed eo studio nomen vicini sui defendat, quo suum ipsius defendi cupiat.

Qui non detrahit lingua sua.] Vt detractionis vitium, quàm sit vehementer detestabile, expendamus, ista consideranda videntur. Primùm, *quid sit*: deinde, *quæ sit illius origo*: tertiò, *quale sit*: quartò, *quæ sint illius circumstantiæ*: quintò, *quàm sit noxium*. OBSER. *Vers.* 3.

1. Quid sit detrahere proximo.

Proximo detrahere, non est simpliciter, quæ ille vel dicit vel facit, aliò deferre: quòd nonnunquam vel illius vel publico bono non modò facere licet, sed & fieri debet: sed est, illum malicioſè, animo nocendi deferre. Quapropter & hîc Propheta verbo רכיל vsus est. Detractores itaque non erant, qui Heli summo sacerdoti filiorum ipsius nequitiam indicabant, de qua dicebant: Malum est quod audio de vobis filij: 1. Sam. 2. Detractator non erat Ioseph, cùm accusaret fratres suos coram patre de crimine pessimo. Gen. 37. Detractatores non erant, qui de Corinthiorum contentionibus & scortatione Paulo scripserant 1. Cor. 1. 5. Detractor erat Doëg, qui Dauidem & Achimelech sacerdotem coram Saule deferebat. 1. Sam. 22. Detractores erant, qui Sauli dicebant: Dauid quærit malum aduersum te: 1. Sam. 24.

2. Vnde sit detractionis origo.

Plurimùm facit ad vitij huius detestationem, considerata illius origo. Ea non est aliunde quàm ex satana: qui & Deo statim initiò coram Eua detraxit, dicens: Nequaquam moriemini, sed scit Deus, quòd quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum: Genes. 3. Et rursus filijs Dei coram Deo detrahit, sicut in historia Iob patet: vbi cap. 1. ad Deum dixisse legitur: Nunquid Iob frustrà timet Deum? Nónne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamq; substantiam eius per circuitum? Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Sed extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in facie benedixerit tibi. quod nihil erat aliud quàm: Iob te colit nõ sincero animo, sed proprij commodi causa. Tange possessiones eius, & videbis an non te in faciem hactenus benedixerit, *&c.* Et propter hanc deferendi maliciam, satan hoc nominis in Scripturis habet, quòd diabolus: i. e. delator & accusator vocatur. Vide Apoc. 12. Sicut igitur in illis quos sibi subiectos habet, mentitur: ita & detrahit, atq; ea nequitia fratrum concordiam disturbat: quemadmodum Christus spiritu charitatis animos suorum conciliat. Est itaq; vitium hoc peculiariter propter hanc illius originem omnibus pijs detestandum ac fugiendum.

B *3. Quale sit detractionis vitium.*

1. Plerunq; mendax est delator. Etenim vel falsum defert, fingens quòd nec dictum est, nec factum: vel si veri aliquid defert, detrahit aliqua quæ delato poterunt commodare, & adijcit de suo quæ illi incommodare queant, quo calumniam in speciem grauem & vero similem struat: vel sensum verborum ac rationes factorum peruertit. Sic fingebat Aman contra Iudæos, coram Assuero quod verum non erat: & simul quod verum erat, inuidioſè admiscens. Et populus *aiebat*, per omnes prouincias regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, nouis vtens legib. & ceremonijs, & insuper Regis scita contemnens. Et optimè nosti, quòd non expediat regno tuo, vt insoleſcat per licentiam: si tibi placet, decerne vt pereat, *&c.* Sic Siba seruus herum suum Miphiboseth coram Dauide falsò detulit, fingens quod verum non erat. 2. Sam. 16. *Esther.* 3.

2. Malicioſius est delator, & iniquus. Defert enim non simpliciter quæ bona in se sunt, & proximo conducere possunt, sed quæ mala sunt: idq; non ad emendationem illius, sed ad detrimentum. Malicioſus est oculus, qui non quæ bona, sed quæ mala sunt, duntaxat obseruat. Malicioſæ sunt aures mala tantùm audientes, ad bona surdæ. Malicioſa est lingua, mala duntaxat deferens, de bonis tacens. Tale est autem delatoris ingenium.

3. Est etiam simulator & hypocrita. Simulat enim vel beneuolentiam, vel fidem erga eum cui proximum defert, vel zelum iustitiæ aut pietatis. Et interim se excusat, quòd non malè velit delato.

4. Quartò, est etiam insidiator occultus, mordens veluti serpens in abdito: vt qui defertur, neſciat à quo sit delatus. Et huc pertinet, quòd subinde fidem silentij postulat, ne prodatur.

4. Circumstantiæ grauantes hoc vitium.

1. Plurimùm refert, quis sit delator. Si amicus, si familiaris, si frater, si subditus, si discipulus, si seruus, *&c.* vtiq; plus peccat, quàm si nulla sit ratione delato coniunctus.

2. Refert quem deferas. Si publicam personam, plus peccas quàm si priuatam: si integram familiam, ciuitatem, regionem, enormiùs peccas, quàm si vnum hominem tantùm deferas.

3. Auxesim peccati habet, si detrahas marito, hero, magistratui, principi, amico, fratri, hosti. Nam hinc plus est incommodi delato.

4. Refert etiam, qua de re proximum deferas, vtpote vel bona illius, vel famam, vel amicitiam, vel vitam concernente.

5. Considerandum etiam est, quo animo deferas. Sunt qui deferant ex consuetudine quadã & incogitantia, non expendentes apud quem loquantur, & quid ex eo poterit incommodi euenire delato. Videntur isti leuiùs peccare, verùm excusari non possunt. Cogitent illi, quàm sint in eo corrupti ac peruersi, quòd adeò procliues non sunt ad ea deferenda quæ bona, atque ad ea quæ mala sunt. Alij obloquuntur proximo, studio gratificandi ei ad quem illum deferunt. Illi plus peccant.

2. Sam. 16. Alij deferunt proximum, ad consequendum proprium quoddam emolumentum: sicut fecit Siba seruus Miphiboseth. Pessimi sunt, qui perditionem proximo detrahendo machinantur, etiamsi nihil ipsis ex eo commodi sperari queat. A

5. Quàm sit noxium.

Primùm læditur charitas in eo qui defert. Est enim charitatis norma, quod tibi nolis fieri, alteri non facere. Adhæc malam illi conscientiam gignit hoc vitium, erga delatum.

Deinde læditur charitas in eo, cui proximus defertur. Charitatis est, bene sentire de proximo, nec aliquid mali de illo suspicari. At per delationem charitas ista vitiatur.

Tertiò labefactatur charitas in delato: qui vbi delatum se sentit, partim sinistris suspitionib. afficitur, partim amicitiam eius cui se delatum intelligit, declinat, & omnia illius studiosè cauet. In summa, non est malum æquè Christianæ ac fraternæ charitati inimicum & insidiosum, atq; vitium hoc delationis execrandissimum. Taceo de eo, quòd bonorum virorum vitæ insidiatur, vt non immeritò iam gladio, iam carbonibus ignitis comparetur.

OBSER. *Non facit proximo suo malum.* 1. Principiò videndum est, quid sit malum. Vnde malum sit, disputent Manichæi: nos potiùs expendamus quid sit, quàm vnde sit. Malum nihil est omnium eorum quæ à Deo sunt condita, quæ, vt sacra Scriptura habet, valde bene sunt condita: sed malum est, quicquid bono aliquo priuat, & proximo incommodat: siue id bonis, siue nomini, siue corpori vel animæ illius inferatur. Considerandum tamen hoc loco est, quo animo damnum inferas proximo. Poteris enim proximo sic in leuiorib. nocere, vt in potiorib. prosis: quod genus nocendi non modò à pijs, sed nec à Deo ipso est alienum. Sic namq; vera charitas beneficentiæ studio incumbit, vt si nequeat aliter fieri, etiam nocendo prosit. Rursus, si animo inimico quis proximo incommodet, etiamsi illi prosit, nihilo tamen minus malè illi fecisse dicendus est, quia quod fecit, non benefaciendi, sed malefaciendi studio fecit. Vtpote qui Christianos corporalium rerum damno adfligunt, vsq; adeò illis non obsunt, vt vehementer etiam prosint. Diligentib. enim Deum omnia cooperantur in bonum. Illi reuerà malefactores sunt, non benefactores: licet quod nocendi studio faciunt, per diuinam prouidentiam reddatur innoxium, imò commodum & vtile. Idem & de illis sentiendum est, qui specie beneficentiæ ad nocendum vtuntur, siue id adulando, siue cibando & potando, siue pecunias largiendo faciant. Est ergo malum, quod nocet proximo: aut si non nocet, animo tamen nocendi infertur: ac rursus malum non est, quod licet nocere videatur, neque tamen nocet, neque animo nocendi, sed magis benefaciendi studio, & loco beneficij præstatur, aut huc saltem dirigitur, vt veris beneficijs locus esse possit. Parens cùm virga disciplinæ filium castigat, malum non facit. Præceptor, cùm discipulum verberib. erudit, malum non facit. Magistratus, cùm sontes percutit, malum non facit. Chirurgus, cùm vrit ac proscindit, imò & integra vulnerati corporis membra amputat, malum non facit.

Gradus malefic entiæ. 2. Deinde & hoc considerandum est, quib. gradib. studium malefaciendi proximo perficiatur. Primus gradus est, malum pro malo reddere. Hoc genus malefaciendi Mundus etiam excusat: Par pari, *inquiunt*. Item, Vim vi repellere licet. Verùm nos qui Christum sequimur, aliter instituimur. quade re vide Matth. 5. ibi: Audistis quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, nolite resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram, &c. Et Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes, &c. Alter maleficentiæ gradus est, etiam immeritis & insontib. vel ex odio, vel spe lucri malefacere. Hoc genus maliciæ & peius est priore, & à Mundo quoq;, nedum Christianis damnatur. Tertius gradus est, & summus, non modò malè meritis, deinde & insontibus, sed & benemeritis malefacere, & malum pro bono reddere. Quisquis vsq; adeò malus est, vt etiam benefactorib. suis malefacere non dubitet, is reuerà à nullo maliciæ genere abstinebit, cùm maliciæ perfectionem sit consequutus. Quapropter huc luctandum est ciui regni Dei, vt ne inimico quidem, & malè de se merito malefaciat. Si hunc gradum malitiæ qui inferior est, studiosè vitauerit, nec ad medium, nec ad summum vsq; ascendet, atque ita nec immeritis, nedum benemeritis, incommodare cupiet. Et hoc est, quod à Christo spectatur: cuius scopus est, suos prorsus ab omni maliciæ studio alienos reddere. B

3. Tertiò. Quoniam plenæ pietatis & Christianæ iustitiæ studium non in eo completur, ne cui malefac amus, sed & beneficentiæ perfectionem requirit, sicuti Matth. 5. expressè videmus: ita vt qui proximo, cùm potest, non benefacit, malefecisse censeatur: id quod in diuite epulone, & illis qui Christum non pascunt, Matt. 25. cernere licet: videndum etiàm est, quid sit bonum: deinde, qui sint beneficentiæ gradus.

Bonum quid sit. Bonum est, quod malo est contrarium quod videlicet incommodum proximi cedit. Et hîc quoque non tàm est spectandum quid fiat, quàm quo animo fiat. Etenim ea quæ speciem boni habent, sic fieri possunt, vt mala sint non bona: ac rursus, quæ putes esse mala, verius bona censenda sint, quàm mala. Quæ Scriptura de bonis operibus præcipit, de illis intelligenda sunt, quæ proximorum necessitatibus & vsibus studio benefaciendi per spiritum charitatis impenduntur. Sic Christus Matth. 5. dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Huc non possunt Ecclesiasticæ ceremoniæ referri, quæ à malis & fieri possunt, & rident etiam: nec talia sunt, in quibus spiritus Patris nostri obseruari, & à Mundo glorificari queat. Et Latini bonum id vocant, quod frugi sit, & vtile. Sic Apostolus Gal. vltim. dicit: itaque dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes, maximè erga domesticos fidei. Et 1. Timoth. vlt. Præcipe diuitibus in hoc seculo, vt benefaciant, & diuites sint bonis operibus, faciles sint ad impartiendum, libenter communicantes, &c. Papatus bona opera auertit ad cultum

sanctorum

A sanctorum mortuorum, ad imagines, ad redimendas Simoniacorum missas, papales indulgentias, & saginationem impurissimorum scortatorum & hypocritarum, &c. Vera beneficentia spiritu charitatis constat & paternam bonitatem in filijs Dei exprimit. Quapropter bonis operib. nemo studere poterit, nisi antea bonus sit. Sic CHRISTVS Matth. 12. Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos, &c.

Gradus autem beneficentiæ & ipsi tres sunt. Primus est, benefacere benemeritis. Pertinet hic gradus ad debitam gratitudinem. Et est quidem inferior: verùm talis, vt etiam infideli deterior sit, quisquis benemerito vicem non rependerit. Alter est, illis benefacere, à quibus nullo es beneficio prouocatus: nec tales sunt, à quib. aliquid retributionis & commodi sperare possis. De hoc gradu beneficentiæ vide Lucæ 14. Tertius est, etiam malè meritis & inimicis benefacere. In hoc posita est plenæ & perfectæ beneficentiæ meta: qua de re vide Matth. 5. Rom. 12. Huc itaq; tendat inter Christianos benefaciendi studium: quòd si gradum hunc supremum obtinuerit, nunquam immerito, nedum amico & benemerito malefaciemus. *Gradus beneficentiæ.*

4. Quartò. Expendamus & illud quòd dicit, *Proximo suo*: videamusque quem vocet proximum. *Proximus* est, qui aliquo nobis est pacto, siue religione, siue humanitate, siue sanguine, siue affinitate, siue amicitia, vel domestica vel ciuili societate, siue vicinitate, siue casu aliquo necessitatis coniunctus. Multis nos gradibus DEVS inuicem coniunxit, vt multæ quoque sint ad manum dilectionis ac beneficentiæ occasiones. In CHRISTO proximus est, quilibet Christianus: in humanitate, quia uis homo, caro ac sanguis noster: in sanguine, filij, & reliqui cognati, fratres, sorores, &c. Hac voce *proximi* vtitur Spiritus sanctus ad hoc, vt declaretur quales simus. Est enim hoc cuiusque ingenij proprium, vt quale sit, in eo declaret, quòd aliqua occasione propiùs coniungitur. Ignis natura sua calefacit, lux illustrat, &c. Vim & naturam vtriusque hi demum experiuntur exactiùs, qui accedunt propiùs. Ad eum modum & de nobis experimentum ab illis penitiùs capitur, qui aliqua nobis ratione propiùs iunguntur. Itaq; qui in proximum nihil mali committere sustinet, satis declarat, quàm non sit maliciæ studio deditus: ac rursus qui proximo, tanquam proximo benefacit, quisquis ille sit, bonitatis suæ documentum satis perspicuè de se reddit. facilè est non nocere remotis: at proximis nihil vllo pacto incommodare, non est nisi piorum ac bonorum. Ampla est hæc materia: sed ista in præsenti perstrinxisse sufficiat. *Quis sit proximus.*

Et opprobrium non sustinet aduersus vicinum suum.] Cogitandum hîc est de rationibus, quare spiritus à ciue regni Dei non hoc tantùm requirat, vt proximo suo detrahat: sed & id exigit, vt non sustineat vicinum suum probro aliquo affici ac lædi. Prima ratio charitatis est. Sic enim proximos diligere debemus, vt non modò ipsi nulla eos in re lædere cupiamus, sed & vt ab alijs id fiat, patienter ferre nequeamus. Hunc affectum omnino adfert vera & sincera proximi dilectio: id quod in illis quotidie experimur, qui peculiari amore erga nonnullos afficiuntur. Sic Ionathas 1. Sam. 19. 20. existimationem & innocentiam Dauidis etiam contra patrem suum studiosissimè defendisse legitur. Al- B tera ratio ex æquitate nascitur. Ea est, vt quod sibi quisq; fieri nolit, alijs non faciat: ac rursus, quæ ab alijs requirit erga se, eadem alijs præstet & ipse. Vide Matt. 7. Cùm ergo sic animati simus, vt famam innocentiamq; nostram à proximo contra delatorum improbitatem defendi velimus, omnino æquissimum est, vt idem vicissim præstemus proximo. OBSER.

Tertia ratio est necessitate ex retundendæ delatorum malitiæ, quam conuenit radicitùs extirpare è populo regni Dei. Sicut enim malum hoc per eos fouetur qui delatorib. delectantur, id quod in aulis principum vsitatissimum est: sic per eos oppriimitur & extinguitur, qui linguam detracticem detestantur, & in ipsa detractione corripiunt & exprimunt. Etenim nemo facilè sustinebit proximi famam commaculare apud eos, quib. id vehementer displiciturum credit. Addam & quartam rationem, quæ ex eo ducitur, quòd ciues regni Dei conuenit mutuo inter se honore haberi & affici. Nequit igitur pius ferre, vt probro afficiatur is, qui populo Dei & ciuib. regni cœlorum accensetur. Notum est illud Apostoli: Honore inuicem præuenientes: Rom. 12.

Hisce de causis curandum est homini Christiano, vt linguæ detractorum confestim & magno ferio contradicat. Si rei, vel apparenter saltem bonæ detraxerit, in promptu est vt dicas: Atqui poteras factum hoc proximi candidè & benè interpretari, sicut bono viro conuenit. Si absurdum & omnino malum est quod defertur: aut scies esse falsum, aut erit tibi dubium, vel scies esse verum. Si cognoueris esse falsum, magna constantia tuebris proximi innocentiam, affirmans non esse factum quod delator factum esse dicit. Si dubium erit, admonebis delatorem, quàm charitas non facilè malum credat de proximo, quàm corrupta sint ingenia mortalium, mala de proximo citiùs quàm bona suspicantium, quàm sæpenumerò per iniuriam & mendacium lædatur proximi innocẽtia, quàm difficile sit maculam diffamiæ proximo falsò impressam eluere. Si verum esse noueris quod defertur, videbis primùm, occultúmne sit, vel manifestum. Si occultum, admonebis delatorem, vt cœnum cute aliqua obductum non apperiat, & vt apud se contineat fratris delictum, sciatq; ventrem sibi haudquaquam rumpendum: potiùs eat, & delinquentem secretò corrigat. Si manifestum esse cognoueris, aut erit leue, aut mediocre, aut magnum. Si leue fuerit, aut mediocre, dices esse lapsum & erratum, qualis nemini non quotidie perinde atq; dormiturientib. somnus, accidat: neminem inter omnes mortales esse, qui crimine prorsus vacet, beatum esse eum qui minimis tantùm sit obnoxius. Si magnum fuerit, aut accidit inuito, præter animi sententiam, & est commodissima excusatio: aut, si voluntariò accidit, vel nuperum ac rarum erit, extenuariq; potest exemplis sanctorum, & infirmitate carnis nostræ, & commendari in eo timor DEI, quo tamdiu retentus fuerit, ne citiùs, vel sæpiùs in crimen hoc prolaberetur. Auterit sæpe repetitum & consuetum: vbi dices, magnam esse

tentationem proximi, ac iuxtà magnam esse illi carnis infirmitatem. Deniq; , si is qui proximo detrahit, inimicus illius fuerit, facillimum erit vt dicas: Quis tibi credat, non iustitiæ studio, sed ex odio loquenti? Si verò amicus illius est, aut cognatus, aut domesticus, aut vicinus, vel alia quapiam ratione coniunctus, iterum in promptu erit vt eum admoneas quàm improbè faciat, deferendo eum, & cui sit singulariter coniunctus. In summa, adsit charitas, & nunquam deerit quod delatori regeratur, præsteturque quod hîc à ciue Dei requiritur. A

Præterea & hoc expendendum est, quòd dicit: *Aduersus vicinum suum.* Si non est ferendum pio vt proximus, quisquis ille sit, seu pauper seu diues, aliqua afficiatur ignominia: multo minus ferēdum est, si id committatur aduersus verbum Euangelij דבר, & illius ministros. nam huiusmodi probra in Deum ipsum tendunt. Habet autem studium pietatis ordinem suum, ac certos gradus. Qui ferre non potest, vt hominis existimatio conspurcetur, si hunc animum ex vera charitate habet, multo vtiq; minus ferre poterit, vt veritas verbi Dei impiorum hominum delationib. diffametur. Perditionis nostræ initium hinc est, quòd Euæ serpentem verbo ac præcepto Dei detrahentem audire sustinuit: quod non feciſſet, si zelo Dei prædita fuisset. Quid hac in re desideretur hodie in multis, qui tamen alumni veritatis videri volunt, deplorandum magis est, quàm recensendum.

EXPLANATIO. *Verſ.* 4. *In cuius oculis despicitur abominabilis, & qui timentes Dominum glorificat: iurat proximo, & non mutat.* Iudæorum aliqui, quos & nostrorum quidam sequuntur, priorem partem versus huius sic exponunt: *In oculis suis despicitur abominabilis*: hoc est, sibijpsi, in suis ipsius oculis perinde ac si reprob. esset, displicet cœli ciuis. Licet enim Deum timeat, ac pietati & iustitiæ studeat, in corde tamen seipse inutilem seruum esse iudicat. Aliorum sententia mihi videtur esse verosimilior, qui simpliciter intelligunt, his verbis exigi à ciue regni cœlorum, vt reprobos, abominabiles, & impios homines despiciat: contrà, si quos timentes Dei cognouerit, in precio habeat. Reprobos autem & abominabiles intelligit eos, qui diuersam à iustis ac ciuib. regni Dei viuendi rationem sectantur: hoc est, qui peruersè ambulant, operantur iniquitatem, loquuntur mendacium in corde suo, detrahunt lingua sua, proximo suo malefaciunt, opprobrium sustinent aduersus vicinos suos, timentes Dei contemnunt, impios magnificiunt, iurant proximo, & mutant: pecuniam suam dant ad vsuram, & munera aduersus innocentem (si quis dederit) accipiunt. Reprobi sunt, qui tales sunt. Hos auersatur pius. Contrà timentes Dominum sunt, qui ambulant integri, faciunt iustitiam, loquuntur veritatem in corde suo, non detrahunt lingua sua, non faciunt proximo suo malum, &c. Nam qui sic viuunt, declarant se timore Dei cohiberi à malo. Illud, *Iurat proximo & non mutat*: admonui suprà in lectione, quosdam legere, *Iurat vt se adfligat*: quæ lectio bifariam exponi potest. Primùm, vt intelligatur de adflictionibus illis legalibus quibus Iudæi animas suas ieiunijs & alijs eiusmodi obseruationibus adfligebant. Vide Esaiæ 58. Solebant animas suas ad eiusmodi adflictiones iuramento obligare. Num. 30. Huiusmodi iuramenta impij recuperata sanitate, & superata tribulatione mutabant. Exigitur ergo (hoc sensu) à pio, vt si iurauerit ad adfligendum animam suam, non mutet quod iurauit. Deinde vt sic intelligatur: *Iurat ad adfligendum, & non mutat*: hoc est, etiamsi adflictionem quandam adferat factum iuramentum, non tamen mutabit pius quod iurauit, sed fideliter etiam cum damno suo seruabit. Verùm simplicius est, & magis ad argumentum & spiritum Psalmi facit, vt legamus: *Iurat proximo, & non mutat.* Vrget enim Propheta eam iustitiam, quæ erga proximum declaretur, sicuti cuiuis Psalmum hunc attentè legenti patet. B

OBSER. *Verſ.* 4. *In cuius oculis despicitur abominabilis.*] 1. Primùm illud obserua, quòd eos qui diuersam viuendi viam à ciuibus regni cœlorum ingrediuntur, vocat מואסים: id est, *reprobos* & *abominabiles*. Reprobum esse idem est, quòd degenerem & auersandum esse. Sic Psal. 118. מאסו הבונים: id est, *Et lapidem quem reprobauerunt ædificantes*. Et Hieron. 6. כסף מואס: id est, *Argentum reprobum*. Et Psalm. 106. תמדת ויתאבו ארץ, id est, *Et reprobarunt terram desiderabilem*. Accidit plerunque vt qui eiusmodi sunt, magni sint, diuites & nominati in hoc seculo. Verùm Spiritus sanctus non respicit externam reproborum personam, sed cordis ac vitæ impietatem: & secundum hanc appellat eos מואסים, quicquid in hoc seculo vocentur.

2. Deinde notandum est, quòd exigit vt tales despiciamus. Arduum est, despicere potentes, opulentos & gloriosos in hoc seculo, habereq; eos pro reprobis. Reperias qui facilè agnoscant reprobos, illosq; verbis subinde proscindant, vbi nihil putant esse periculi: verùm vbi commodum est illorum vti commercio, consortia eorum non fugiant. Non est hoc verè despicere reprobos. Non dicit hîc, *In cuius corde*: sed, *In cuius oculis despicitur abominabilis*. Significat pium ne videre quidem patienter posse reprobos, nedum aliquid cum eis habere commercij.

3. Cauendum autem hîc est, ne confestim pro reprobis habeamus, qui peccatis aliquibus sunt obnoxij, neue studium peccandi in alijs magis quàm in nobis ipsis, more iustitiariorum & hypocritarum damnemus. Qui peccatum nunquam emendandi gratia conuenit, reprobúsne sit vel minùs, iudicare non potest. Ignorat enim, an patiens sit admonitionis, vel non sit. Qui admonitorem ferre potest, etiam si non statim per omnia obediat, reprobus tamen censeri non debet. Hypocritæ apud Iudæos peccatum non tàm in se quàm alijs damnabant, oculati ad obseruandum aliorum vitam, ad suam ipsorum talpis cæciores. Deinde peccatores non conueniebant, nec de emendatione illorum sollicitierant, sed in eo se studio, imò opinioni veriùs iustitiæ satisfacere putabant, si cum publicanis & peccatoribus nec ederent, nec biberent, cum illis verò edentes & bibentes condemnarent: sicut & Christum eo nomine reprobarunt, Matthæi 9. Nos igitur Christum magis, quàm Pharisæos imitantes, peccatum quidem detestemur, & reprobos auersemur. Verùm simul & illud curemus, vt & verè reprobos despiciamus, & peccatores nondum deploratos CHRISTO

lucrifa-

A lucrifaciamus. In summa, consortium peccatorum sic declinemus, vt primùm peccatum ipsum detestemur, deinde ne peccantes in malo confirmentur, tertiò ne cogitatione illorum inficiamur, quartò vt pudefacti conuertantur.

Et qui timentes Dominum glorificat.] 1. Obseruemus hîc, quòd eos qui contrarij sunt reprobis, vocat *timentes Dei.* Admonemur hîc radicem omnis boni & iustitiæ esse timorem Dei: & si illi desit, vitam gigni reprobam & abominabilem. Qui timet Dominum, faciet bona, *inquit ille.* OBSER.

2. Deinde notandum est, quoniam eos qui erga proximum rectè, integrè & iustè se gerunt, *timentes Dei* vocat: timorem Dei non solùm in illis quę Deum immediatè: hoc est, primam Decalogi tabulam concernunt, sed in illis quæ ad proximum pertinent, esse declarandum. Scit pius, non hoc tantùm à Deo, vt coram se piè, sed & illud exigi, vt erga proximum iustè & candidè conuersemur.

3. Tertiò notandum hîc est, quòd à nobis requirit, vt non solùm auersemur reprobos, sed & timentes Dei honoremus. Facilè est auersari hominẽ reprobum, præsertim si nos malicia sua læserit: at glorificare timentes Dei, non adeò est multorum, neq; tam factu facile, atque putatur: præsertim si aut pœnitentes sint, & propter anteactæ vitę turpitudinem adhuc despicabiles, aut sub impijs magistratibus viuant, & persequutioni sint obnoxij: sicut patuit sub Saule in Ionatha, 1. Samu. 19. 20. sub Achab in Abdia, 1. Reg. 18. aut aliàs in hoc seculo contempti & abiecti habeantur. Sub Saule, Ierobeam, Achab, & Manasse, cum periculo coniunctum erat, glorificare timentes Dei: secus sub Dauide, Ezechia, Iosia, &c. Etenim glorificare aliquem, habere eum in præcio, delectari illius commercio, tueri illius existimationem, succurrere in necessitatibus constituto: quæ omnia sinè periculo vix possunt fieri in hoc seculo, Mortuos sanctos honorare, sicut in Papatu fieri videmus, & facile est, & extra periculum. Nihil enim loquuntur, aut agunt, quo Mundus hic exacerbetur. Declaremus igitur honorando pios, quàm diligamus Deum. Honoremus autem non eos tantùm, qui perpetuò iustè vixerunt: sed & eos, qui iam primùm emendatione vitę potentia delictorum declarare incipiunt, quòd Deum timeant. Placeat timor Dei non solùm continuatus aliquandiu, sed & nouus & recens. Nihil est ex omnibus illis rebus quas amamus, quod non statim initiò arrideat. Deinde honoremus nõ eos duntaxat timentes Dei, qui alicuius sunt nominis in Mundo: sed & eos, qui obscuri habentur & abiecti: sicut aurũ, etiamsi in luto iaceat, mox cognitũ colligitur, & in precio habetur. Tertiò glorificemus non illos modò pios, qui sub pijs magistratibus & securè degunt, sed & eos, qui malorum tyrannide premuntur, & cum periculo honorantur. Qui aurum studiosè colligit, non illud tantùm colligit quod sine periculo obtingit, sed & quòd periculo est vicinum.

Iurat proximo, & non mutat.] 1. Primùm illud expendamus, quòd non simpliciter dicit, *Promittit proximo, & non mutat:* sed, *Iurat proximo, & non mutat.* Ergone ciuis regni Dei, si quid absque iuramento B simplicibus verbis proximo pollicitus fuerit, licitè absque offensa Dei mutabit? Nequaquam. Non hoc agitur hîc à Propheta, sed exigit reuerentiam diuini nominis, quam suo tempore in Israële flaccescere ac frigere videbat. Et ob hanc causam ista populo præcinenda tradidit, sicut & infrà Psalm. 24. Nam omnino huiusmodi Psalmos ad Ecclesiæ Dei ædificationem composuit, & præcinendos dedit. Faciebat autem plurimùm ad ædificationem, quotidie admonere erratorum, & incitari ad solidum veræ pietatis studium. OBSER.

Deinde obseruandum est, quòd non dicit, *Iurat Deo, & non mutat:* sed, *Iurat proximo, & non mutat.* Etiam hoc necessitati illorum temporum Ecclesię accommodatum est. Putabant enim Iudei parùm referre, si quæ proximo iurassent, non seruarent: modò seruarent, quæ Deo vouissent. Ideò rectè particulam hanc sic posuit: *Iurat proximo, & non mutat.* Exigit tantum studium religionis Dei, & veritatis, vt propter religionem nominis Dei & veritatem nolit mutare quæ proximo iurauit. Iam cogitemus, si vir pius ac regni Dei ciuis proximo suo, quisquis ille sit, fidem seruat: quantò magis magistratui suo, deinde ampliùs adhuc Domino Deo suo? De iuramento subijciemus infrà post absolutionem Psalmi, sicut & de vsura.

Qui pecuniam suam non dat ad vsuram, & munus super innocentem non accipit: qui facit hæc, non mouebitur in seculum.] Exod. 22. Leuit. 25. & Deut. 23. lege cautum erat, ne quisquam in populo Dei vsuram à proximo posceret: quo genere mandati arcebatur studium auaritiæ, & animus poscebatur necessitatibus proximorum absq; vllo proprij commodi respectu consultum cupiens. Verùm, quoniam fide ac charitate Dei destituebantur, etiam hac in re plurimùm delinquebant: sicut in propheticis literis videre licet, Ezech. 18. 22. Neemiæ, qui est Esdræ 2. c. 5. Morbum hunc auaritiæ Dauid etiam suo tempore inualescere cernens, particulam hanc contra vsuram Psalmo isti inseruit, admonens non habiturum locum in regno Dei, eum qui pecuniam suam dederit ad vsuram. EXPLANATIO. *Vers. vlt.*

Et munus super innocentem non accipit.] Magistratus, iudices, aduocatos, & alios consimiles concernit hic locus. Munus iudicandi datum est mortalibus à Deo: datumq; est tale, quo succurratur innocentiæ, & opprimantur reproborum conatus. Ista fieri non possunt, si studium vel gratificandi, vel
» auaritiæ accesserit. Ideo Exod. 23. & Deut. 16. sic legimus: Iudices & magistratus constitues in omni-
» bus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, vt iudicent populum
» iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipiens personam, nec munera. Quia munera
» excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorũ. Non dicit, *Ne fortè munera oculos sapientum excæcent*, &c. sed per affirmationem: *Quia munera excæcant*, inquit, *oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Nec dicit, *oculos stultorum*, sed *sapientum*: neq; *verba iniustorum*, sed *iustorum.*

Quàm autẽ in populo Israëlis corrupta fuerint iudicia, videre est infrà Psal. 26. versu 10. Esaiæ 1. Ezech. 22. Mich. 3. Non est itaq; præter rationem, quòd malum hoc reijcit Propheta à ciuibus regni Dei. Sciebat enim illud vehementer apud eos obtinere, quibus concredita erat iudicandi potestas.

Qui facit hæc, non mouebitur in seculum.] Hæc est Psalmi conclusio, qua veram felicitatem pollicetur illis qui ista faciant, affirmans eos cõmoraturos in tabernaculo Dei, & habitaturos in monte sancto eius. Sic enim Psalmum incepit: *Domine quis commorabitur in tabernaculo tuo, quis habitabit in monte sancto tuo?* subiecitque: *Qui ambulat integer, & facit iustitiam*, &c. quibus recensitis ad perficiendum responsum dicit: *Qui facit hæc, non mouebitur in seculum*: pro eo quòd dicendum erat: *Qui facit hæc, commorabitur in tabernaculo meo, & habitabit in monte sancto meo.* Intelligitur autem, perpetuò mansuros in monte sancto Dei pios, sic vt inde nunquam dimoueatur. Hoc videlicet est, quod dicit: *Non mouebitur in seculum.* A

OBSER. *Vers. vlt.* *Qui pecuniam suam non dat ad vsuram.*] In eo quòd vsuram Dominus lege sua in populo Israël prohibuit, duo notanda videntur. 1. Vnum, quæ sit humani ingenij malicia, qua fit vt quod beneficij speciem habet, ad incommodandum ac perdendum peruertatur. Mutuò dare pecuniam proximo speciem habet beneficentiæ: & si rectè fiat, veræ benficentiæ genus est. Vsura verò si accesserit, beneficentiam in maleficentiam peruertit. Vnde & Ebræo נשך vocatur, quæ vox *mordendi* significationem habet. Mordet enim vsura postremò, quæ primùm beneficium conferre, videtur. Qui pecuniam suam proximo commodat, certè non videtur illi damnum velle inferre, sed rebus illius consulere. Verùm vbi danda est vsura, quod initiò charitatis opus videbatur, & necessitatibus proximi succurrebat, tandem versis velis in auaritiam & detrimentum proximi degenerat.

2. Alterum quod obseruandum est, admirabilem Dei philanthropiam concernit, qua fit, vt ea ferre nequeat, quæ necessitatibus humanis incommodant, & studium beneficentiæ in populo suo subuertunt. Ipse vsuram illis qui agros colunt, omnium vberrimam largitur: & interim ferre non potest, vt ab eo cui pecuniam mutuò datur, vsura exigatur, & charitas mutua lædatur. Non peccat agricola, qui semen suum telluri ad vsuram committit: peccat verò, qui pecuniam suam proximo dat ad vsuram,

3. Sed dicit hîc auarus: Seruabo ergo mihi pecuniam meam, nec de illa proximo quicquam dabo, ne in peccatum vsuræ incidam. Respondeo. pecuniam proximo dare, non reddit vsurarium sed ad vsuram dare. Da simpliciter absque vsura, si vsura peccatum vis effugere. Nec dicas: Quis præcipit vt pecuniam quæ mea est, dem alijs sine meo commodo? Si Iudæus esses, authoritate legis Dei adactus dares pecuniam tuam fratri egeno absq; vsura: qua de re vide Deut. 15. Cùm Christianus sis, audienda tibi est vox Christi Matth. 5. qua sic dicit: Qui petit abs te, da ei: & volentem abs te mutuò accipere, ne auerseris. Et Lucæ 6. Mutuum (*inquit*) date, nihil inde sperantes. Quapropter etiamsi in vsuræ vitium non incidat, qui pecuniam suam proximo negat, incidit tamen in peccatum immisericordiæ, & perinde redditur inobediens contra Deum, atq; si det illam ad vsuram.

OBSER. *Et munus super innocentem non accipit.*] 1. Notandum hîc est, quòd non dicit, *Et munus ab innocente non accipit*: sed, *Et munus super innocentem non accipit.* Qui insontes sunt, freti causa quam iustam ac bonam habent, non putant sibi necessarium esse, vt iudicem muneribus ad rectè iudicandum inducant. Etenim qui iudici munera offert, innuit se hoc agere, vt illum corrumpat, & à recti tramite abducat: id quod eorum non est, qui iustitiam à se stare sciunt. Rectè ergo dicit, *Et munus super innocentem non accipit.* B

2. Deinde & illud obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, *Et munus non accipit*: sed, *Et munus super innocentem non accipit.* In se malum non est accipere munera, sicuti nec dare munera malum est. Verùm sic accipere munera, vt iudicium insontis peruertatur, id demum est quod à Spiritu sancto reprobatur: qui eam integritatem requirit in iudicibus, vt etiamsi munera dentur, nolint tamen latum vnguem ab eo quod iustum & æquum est discedere.

3. Tertio & illud cogitandum est: Si peccat, qui munera super innocentem accipit: vtiq; non minus peccat, qui munera iudici contra innocentem offert. Deinde si peccat, qui priuatum quempiã à via iustitiæ ad peccandum muneribus abducit quantò magis peccat, qui publicum vel veritatis Dei vel iustitiæ ministrum, veluti commune quoddam bonum, per munera corrumpere tentat: cuius vt integritas multis est vsui, ita peruersitas publica est perditio. Peruersorum iudicum pestis est maxima. Hîc quæritur aqua, & inuenitur ignis: quæritur iustitia, & inuenitur iniustitia & violentia: quæritur vita, & inuenitur mors: præstatur improbis quælibet rapiendi ac defraudandi audacia, vt habeant vnde non solùm auaritiæ & malitiæ suæ seruiant, sed & vnde patronis, aduocatis, iudicibus & rabulis forensibus detur. Qua propter præstaret non esse iudicia, quàm corrupta iudicia. Tanta videlicet pestis est, cupido munerum, si animum iudicis occupet, vt non frustrà Iosaphat eam tanto serio iudicibus prohibuerit, 2. Par. 19. Vide locum.

4. Quartò, nec illud transgrediendum puto. Si in rebus secularibus tanta requiritur iudicum & magistratuum integritas, vt se muneribus contra innocentem corrumpi non sinant: quid de Episcopis dicendum est, qui per munera ferè omnia dispensant in Ecclesia, & muneribus acceptis gregem Domini lupis & impijs hominibus vendunt? vide 1. quæst. 1. c. Sunt nonnulli, vbi symoniacę hæreseos damnantur, qui vel prece, vel precio, vel obsequio sacros ordines dispensant. Quæso quem locum isti in regno Dei habent?

OBSER. *Qui facit hæc, non mouebitur in seculum.*] Primùm obseruandum est, quòd non dicit, *Qui nouit hæc, qui legit hæc, qui canit hæc, qui prædicat hæc*: sed, *Qui facit hæc.* Ergo requiritur non solùm notitia veræ iustitiæ, sed vera ac solida obseruantia. vide Matth. 7: Qui audit verba mea, & facit ea, &c. Iacobi 1. Estote factores verbi, non auditotes tantùm, &c.

Deinde expende, quòd dicit: *Non mouebitur in seculum.* Locus hic pertinet ad perpetuitatẽ veræ felicitatis, quæ est in regno Dei. Sunt in hac vita multi regni Dei ciues non veri, sed fucati, qui mansuri non

A furi non sunt, sed perituri: suprà Psal. 1. infrà si Psal. 37. sicut zizania in frumento non semper durant, sed tempore messis abijciuntur: Matth. 13. Manebunt autem veri ciues, idq; in seculum quantumuis multis ac magnis tentationibus impetantur. Vide Matth. 7. Non dicit, *Qui facit hæc non tentabitur, nõ impetetur*: sed, *Non mouebitur in seculum*. Sic enim diuinitùs custodiuntur veri pij ac ciues regni Dei, vt subuerti ac perdi nequeant. Occidi possent, è regno Dei moueri non possunt. Nemo itaq; futurum speret, vt immotè persistant, quotquot de veritatis ac regni Dei sententia gloriantur, si ingruat aliqua tempestas. Non persistent, nisi illi qui iustitiæ ex animo studeant, & ad regnum Dei verè pertinent.

PSALMVS XVI.

ARGVMENTVM PSALMI.

Præcedenti Psalmo de ciuibus regni cœlorum cecinit Propheta, quinam illi sint, quibus locus in monte ac tabernaculo Dei permanendi detur: in præsenti, fiduciam, spem, lætitiam, & reliquos affectus veri regni Dei ciuis exprimit, idq; suo ipsius exemplo: iam orans vt seruetur, iam de collata sibi felicitate gloriando, exultans, iam certam sibi & inconcussam securitatem per diuinam protectionem, & postremò perfectam ac perpetuam felicitatem spei certitudine promittens.

TITVLVS PSALMI.

מִכְתָּם לְדָוִד. *Variè vertitur hæc epigrapha, propter vocem.* מִכְתָּם. *vnde* מִכְתָּם *deducitur. Significat autem* נֶחְתָּם, *aliquando* aurum, *aut* רִבְרִיקָר: *id est*, rem preciosam: *aliquando verbaliter*, notauit, signauit. *Vnde quidam vertunt*, aureolam Dauidis: *quidam* insigne Dauidis. *Solent enim quæ preciosa sunt, peculiariter obsignari. Non desunt qui* מִכְתָּם, *dicant esse musicum instrumentum: id quod Dauid Kimhi super Psalmum quartum facit, vbi* מִכְתָּם *inter instrumenta musica numerat. Habet quidem hic Psalmus insigne illud Dominicæ resurrectionis mysterium, à seculo absconditum, posterioribus verò temporibus reuelatum, cuius gratia non immeritò vel aureola vel insigne Dauidis inscriberetur: verùm simplicius est, si vera dicunt Ebr. vt epigraphan hanc de musico instrumento intelligamus. Nemini tamen præiudicare volo.*

VSTODI me Deus, *quoniam spero in te.* VERS. I.

2. *Dico Domino. Dominus meus: bonitas mea non ad te.*

Dico Domino.] Ebr. אָמְרַת לַיהוָה. Particula hæc variè legitur, propter scheua sub postrema litera in verbo אָמְרַת positum. Græc. εἶπα τῷ κυρίῳ. Vulgata Latina: *Dixi Domino.* Hieron. *Dixi Deo.* Chald. sic: בְּרַל אֲמַת נַפְשִׁי קֳדָם יְיָ: id est, *Dixisti tu anima mea coram Domino meo.* Motus est hîc interpres, eò quòd verbum אָמְרַת in forma fœminini generis posi- B tum est. Nec Arabs adiectam habet primæ personæ notam. Felix cum Græco legit: *Dixi Domino.* Campensis paraphrastes Chaldæum secuutus est, & Ebræos, qui & ipsi de anima Dauidis intelligunt. LECTIO. *Vers. 2.*

Bonitas mea non ad te.] Ebr. טוּבָתִי בַּל עָלֶיךָ. Græc. sic: ὅτι τῶν ἀγαθῶν μου χρείαν οὐκ ἔχεις. Vulg. Lat. *Quoniam bonorum meorum non eges.* Hieron. *Bene mihi non est sine te.* Chald. בְּרַם טָבוּתִי לְאִתְיְהַב בִּי מִגַּךְ: id est, *Nẽpe bonum meum non prouenit nisi abs te.* Hic illud עָלֶיךָ, vertit per מִגַּךְ. Sic & Pagninus reddidit in versione sua: *Bonum meum non est nisi à te.* Et tamen in thesauro linguæ sanctæ vertit, non *A te* sed, *Super te.*

Custodi me Deus, &c.] Psalmum hunc Propheta à precatione orditur, non sine profunda ac viua consideratione periculorum quibus erat obnoxius. Vnde motus in hanc vocem prorupit, dicens: *Custodi me Deus*: qua se in discrimine rerum ac vitæ constitutum, custodiæ ac protectioni Dei commendat. Accedit huc & ea consideratio, qua se præclaram hæreditatem in Domino Deo suo sortitum esse cogitat, cuius in sequentibus mentionem faciet: pro qua conseruanda ad protectionem ac custodiam Dei confugit, non ignarus quàm hæc felicitas vt omnia vota superat, ita etiam impetatur ab insidiatore satana. EXPLANATIO. *Vers. 1.*

Quoniam spero in te.] Hæc particula rationem habet eius quod dixit: *Custodi me Deus.* Pertinet hæc ratio non ad id quòd custodiri & conseruari cupit, sed ad id quòd Deum orat, vt se custodiat. Quòd custodiri cupiebat, ex sensu necessitatis & propriæ infirmitatis: quòd verò à Deo custodiri orabat, ex spe & fiducia in Deum collocata proficiscebatur. Dicit itaque: Custodi me Deus, quoniam totus abs te pendeo, & spem ac fiduciam omnem in te colloco, persuasus bonitate ac fide tua, qua non deseris sperantes in te.

Custodi me Deus.] Expendamus hanc orationem, vno quidem & altero verbulo expressam, opulentiorem tamen, quàm vt à quouis & intellectu & affectu ritè capiatur, ac verè in conspectu Dei proferatur. Duo facit Propheta, cùm dicit: *Custodi me Deus*: omnino necessaria ad hoc, vt & ipsi custodiam & protectionem Dei imploremus. 1. Vnum est, quòd opus sibi esse custodia sentit: alterum, quòd hanc in Deo quærit. Primùm rursus duo requirit: sensum videlicet imminentium periculorum, & agnitionem propriæ imbecillitatis. Hæc duo coniuncta affectum hunc generant, & ad quærendam custodiam impellunt: nisi adobrutus sit animus desperatione, sic vt scienter ac prudenter periclitari sustineat. Sensus periculorum geminus est, secundum geminum periculorum genus. Sunt pericula externa, corporea & terrena. Horum sensus & intellectus communis est & pijs & impijs, & acumine rationis capitur. Sunt pericula interna, inuisibilia & spiritualia, quorum sensus spiritualis est, & piorum tantùm, præsertim eorum qui præ alijs præcipuis sunt donis ornati, & suprà reliquos sublimati. Huc pertinet illud Apost. Qui stat, videat ne cadat. Hos enim satan potissimùm tentat & adoritur, quos maioribus ac pluribus donis cumulatos, & in superioribus constitutos viderit, perinde atq; venti sublimiora quæq; subnixiùs impetunt.

2. Secundo loco propriæ imbecillitatis agnitionem requiri diximus. Etenim nisi hæc sit, ad nullius confugietur auxilium nullius implorabitur custodia. Qui satis prudentem, satis potentem, ac satis animo præsenti instructum esse iudicat, in externis periculis ad neminem alium confugit nisi ad seipsum. In spiritualibus periculis, qui se vsqueadeò firma fide, patientia, iustitia, & animi constantia communitum esse confidit, vt omnes satanæ, Mundi ac carnis insultus citra periculum excipere ac reprimere possit, vt securus est, ita nullius auxilium implorat. Qui huiusmodi est, nunquam dicet ex animo: *Custodi me Deus.* Necesse est itaq; primùm, vt magnitudinem ac multitudinem periculorum non ignoremus: deinde, vt & nostram ipsorum imbecillitatem probè agnoscamus, ad hoc vt verè cum Propheta custodiri petamus. Non est confidendum propriæ potentiæ, prudentiæ, opulentiæ in rebus terrenis: nec intelligentiæ, constantiæ, fidei ac patientiæ in spiritualibus. Etenim qualescunq; simus, nullis aduersitatibus superandis, nedum ferendis, ex nobis ipsis pares esse poterimus, nisi diuinitùs conseruemur. Quin plerunq; accidit, vt quò quis sapientior est, & plurib. bonis instructior. hoc altiùs cadat, nisi in spiritu humilitatis, custodiatur. A

Nequeo non deplorare hoc loco, quòd tam pauci repriuntur inter Christianos, qui verè ex animo dicere queant: *Custodi me Deus:* & tàm multi sunt, quorum alius aliud custodiri cupiat, ac sui quisque thesauri magis, quàm suijpsius rationem habeat. Hîc habentur arcæ ferreæ, seræ, repaguli, &c. quib. terrenæ opes, aurum & argentum custodiantur. Hîc non dicitur, *Custodi me:* sed, *Custodi thesaurum meum.* Interim quotusquisq; est, qui de suijpsius custodia admodum sit solicitus. Quid autem vesanius excogitari potest, quàm curare vt res nostræ saluę sint, & interea negligere nos ipsos? vel temporariam nostram salutem quærere, & perpetuæ nullam habere rationem?

Hactenus expendimus, quòd custodiri se petit Propheta: iam consideremus, à quo sui custodiam petat. Velle custodiri & conseruari in periculis, commune est omnibus & pijs, & impijs: verùm hoc discriminis vtrinque reperitur, quòd alius aliò ad quærendum auxilium & sui conseruationem confugit. Alius se magnorum prncipum tutelæ, alius magnarum vrbium munitionibus, alius vel Ioui, vel Mercurio, &c. quod Ethnici fecerunt: alius patrocinio angelorum & mortuorum sanctorum committit. At Propheta tanquam verè pius ad Deum suum confugit, dicens: *Custodi me Deus.* Nec immeritò. Nemo siquidem alius est, qui & corpus & animam nostram custodire queat, quàm qui ea condidit. Ego feci, *inquit*, ego feram, ego portabo. Nemo est præter illum, qui vbique adesse possit, qui omnem nostram necessitatem penitùs cognoscat, qui cuncta mala auertere, & ipsi quoque satanæ frenum imponere queat, & bona quoq; fide velit. Ad hunc itaque rectè pij tanquam ad arcem quandam omnium inuictissimam confugiunt.

OBS. 2. *Quoniam spero in te.*] Obseruandum hîc est, vnde Propheta motus sit vt ad immensam illam, inaccessam, & omnium excellentissimam Maiestatem omnipotentis Dei in periculis confugeret, & pro tectionem illius imploraret. Non dicit, *Custodi me Deus, quoniam hoc mihi debes, quoniam dignus sum quem custodias, quoniam hoc promeritus sum, quoniam tibi commodus & vtilis sum,* &c. sed, *Quoniam spero in te.* Mirum autem videri potest, vnde spes illa colligatur homini peccatori, & in se nihili, cùm Deus sit omnium iustissimus, summus peccati osor & vltor, quod plurimis & euidentib. argumentis constat: & iuxta humilitatem ac vanitatem mortalium magis excellat, quàm cœlum hoc visibile ipsos inferos excellit. Nec puto quenquam esse, qui Dauidem hunc in peccatis conceptum & natum, perinde atq; reliquos mortales, peccasse etiam, idq; non leuiter, diffiteatur. Vnde ergo illi spes ista in Deum, coram quo non poterat meriti, iustitiæ & probitatis alicuius prætextu gloriari, imo à quo respectu omnimodæ dissimilitudinis fugere debebat? Hac de re videndum alijs locis, vt pote suprà Psalm. 13. versu vltimo, & Psalm. 9. vers. 10. vbi videmus, spem in Deum nasci ex fide bonitatis Dei, sine qua reuera nemo sperabit in Deum. B

Simul autem & illud cogitandum est, spem hanc Deum exigi talem, quæ non sit diuisa & dimidiata partim in Deum, partim in creaturas directa: nec sit leuis & temeraria, sed in solum Deum tota & integre: deinde ex vero corde, vera cum pietate à Deo pendenti profecta. Nec eorum vera spes in Deum est, qui proximi erga se spem ac fiduciam in necessitatibus contemnunt, & irritam reddunt, si facultas sit adiuuandi.

EXPLANATIO. *Dico Domino,* &c.] Quoniam versu primo Deum orauit, vt se custodiat, eò quòd in ipsum speret, hoc secundo veluti rationem quandam spei huius subijcit, dicens: *Dico Domino, Dominus Deus Tu,* quasi dicat: Hoc de te corde meo sentio, dico, & confiteor, quòd tu sis Dominus meus, ego verò seruus tuus. Spero itaq; in te Deum ac Dominum, quòd me non sis deserturus, sed pro bonitate tua conseruaturus.

Vers. 2.

Bonitas mea non ad te.] Non adscribit sibijpsi bonitatem aliquam his verbis, sed simpliciter vilitatē suam in conspectu Domini agnoscit, & confitetur. q.d. Tu quidem Dominus meus es, ego verò inutilis tibi seruus sum, & ob eam causam meritò abijciendus: verùm qua es bonitate erga tuos, non deseres me, saltem ob eam causam quòd tuus, ac nomini tuo consecratus sum.

OBS. 1. *Dico Domino.*] Obseruandum hîc est, quomodo ad fulciendam spem suam secum ipse loquatur, & quo loco Dominum habeat, quid de illo sentiat & confiteatur, inter orandum proferat. Plurimùm refert, quid de Domino dicamus in cordibus nostris, ad hoc, vt mentes nostras cùm in spe & fiducia erga eum, tùm in studio pietatis & obseruantiæ eius confirmemus. Et hac in re sita est vera cognitio Dei, vt in cordibus nostris rectè de illo sentiamus, & hoc eum loco habeamus, quo Deum nostrum habere decet. Expendat quid de Domino secum ipse dicat.

OBS. 2. *Dominus meus tu.*] 1. Primùm expendamus, quid Domino in corde suo dicat hîc Propheta. *Dico Domino,* inquit. Quid? *Dominus meus tu.* Quid est, esse Dominum alicuius? An non est, liberam in illum habere

habere potestatem? Vtique. At hæc potestas Dei est in omnia. Quam igitur sibi prærogatiuam coram Deo ex eo potuit colligere, quod commune habet cùm omnibus? Respondeo. Habet quidem Deus non in pios modò, sed & in impios liberrimam potestatem, & absolutissimum dominium: verùm ea gloria non datur illi ab impijs æquè ac pijs. Aliud est, habere Dominum: & aliud, agnoscere ac colere Dominum suum: sicut aliud est, habere patrem: & aliud, agnoscere ac venerari patrem suum. Dominum in cœlis habent & impij, sed hunc nec agnoscunt, nec colunt: pij verò Dominum suum habent & agnoscunt. Et impius etiam si ipsa coactus experientia, potestatem in se Dei cognouerit, non spei ex eo, sed desperationis potiùs occasionem sumit, quoniam fide bonitatis Dei destituitur.

2. Deinde consideremus, quid sit verè & ex animo Domino Deo nostro dicere *Dominus meus es tu.* Breuiter est, non solùm agnoscere quòd potestati illius sis subiectus, illiq; omnem debeas obedientiam, sed etiam vero & integro corde illius te voluntati, verbo & imperio in omnib. subijcere, omnem vitam tuam, cum omnibus quæ ab illo accepisti, nomini & arbitrio illius sine vlla contradictione consecrare, & quicquid aduersi acciderit, ex animo dicere: Dominus est, quòd bonum est in oculis ipsius, faciat. Et cum Iob: Sicut Domino placet, ita factum est. Non probantur illi qui ore dicunt, Domine Domine & interim voluntati Domini sunt immorigeri: Matth. 7. Et Malach. 1. sic legimus. Si ego Dominus vester, vbi est timor mei?

3. Tertiò, & illud obseruemus: *Dico Domino*, inquit, *Dominus meus tu.* Cui Domino dicebat, quòd Dominus suus esset? In Ebræo sunt duæ dictiones, quæ vtræque dictione *Domini* vertuntur. Prima est יהוה altera est אדרן Significat autem יהוה *existentem*: quæ dictio soli Dei conuenit, quòd is solus à seipso existat, & omnibus sit existendi ac viuendi author. אדרן verò *herum* ac *Dominum* cuiuscunq; rei vocat Scriptura. Ergo Deo ac creatori suo dicebat Propheta: *Dominus meus tu*: eundem agnoscens Dominum suum, quem habebat creatorem ac Deum. Pulchrè coniunguntur hæ duæ dictiones, *Deus* ac *Dominus*. Sic & Thomas dicebat ad Christum: Dominus meus ac Deus meus: Ioan. 20.

4. Quartò. Consideremus etiam personam huius Prophetæ, qui Deo suo dicit: *Dominus meus tu*: atq; ita se Dominum habere, cuius sit seruus, agnoscit. Rex erat Dauid, qui hoc dixit, habens potestatem vitæ ac necis. Habent hic principes ac reges exemplum, quod sequantur. Quamuis in terris potentes sint ac sublimes, serui tamen sunt, Dominum habentes in cœlis, cui in omnibus cum timore ac tremore seruire debent.

Bonitas mea non ad te.] 1. Obseruandum hîc est, quomodo se Propheta in conspectu Dei humiliet, & inutilem esse seruum confiteatur. Serui est, vtilem esse domino suo. At hoc in se non agnoscit, ideoq; dum se à Domino custodiri petit, ne hoc fiducia meritorum suorum facere videatur, confessionem hanc quod Domino suo inutilis seruus sit, adiecit. Hac humilitate gloriam bonitatis Domino Deo suo tribuit, qui non despiciat inutiles seruos, modò hoc in se agnoscant, quòd ei non ipsius, sed suo commodo ac bono seruiat. Hæc est solius Dei gloria, quòd quos eligit, & nomini suo consecrat, non suo, sed illorum bono eligat, sibiq; iungat. Sic Israëlitis dicebat Moses: Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus populis sitis pauciores: sed quia dilexit vos, & custodiuit iuramentum, &c. Hoc ingenio non sunt huius seculi principes, sed planè diuerso. OBS. 3.

2. Poterit autem quæri hoc loco, quomodo Dauid inutilem se Domino suo esse dicat, cùm ipsum Deus, reiecto Saule, singulari studio vt dux esset populi sui, elegerit, 1. Samuel. 16. & post electionem ita sibi reddiderit vtilem, vt hostes suos per eum circumquaq; percusserit, populum suum è manib impiorum eripuerit: deniq; sicut Act. 13. legimus, testificatus de eo sit, quòd inuenerit Dauidem filium Isai, virum secundum cor suum, qui facturus esset omnia quæ vellet?

Respondeo. Aliud est, esse Domino vtilem, idq; agnosci à Domino: & aliud, sentire ac dicere quòd sis talis. Non mox est inutilis, qui se inutilem esse & iudicat & dicit: sicuti non statim indoctus est, qui se doctum esse negat, nec credit etiam quòd verè doctus sit: neq; ob id iniustus est, qui se nec agnoscit nec dicit esse iustum, imò magis iniustum esse conqueritur. Est hæc sanctorum submissio, vt nunquam se iustos ac Domino vtiles esse iudicent, quantumuis iustitiæ studeant, & Domino ex animo seruiant, & interea Domino sint quàm commendatissimi. Vide Iob. 1. quomodo ille laudetur à Deo: rursus c. 9. vide quomodo seipse deijciat. Sic Paulum Dominus vas electionis vocauit: Act. 9 ipse verò 1. Corinth. 15. dicit: Ego sum minimus Apostolorum. Sic Christus Luc. 17. discipulis suis dicit: Et si omnia feceritis, dicite, Inutiles serui sumus.

3. Nec est hæc submissio & humilitas piorum talis, quæ in verbis duntaxat sita sit, sed intùs in corde nascitur, ac sic ab illis sentitur, vt ex animo coram Deo qui omnem hypocrisim detestatur, dicant: Inutiles serui sumus. Sic Dauid hoc loco non dicit, *Dico hominibus*: sed, *Dico Domino*. Rom. pontifex vocat se seruum seruorum Dei, calamo, coram Mundo: quid verò se in conspectu Dei intùs in corde suo faciat, viderit ipse. Non est hoc sanctorum ac veræ humilitatis, sed hypocritarum ingenium verbis dicere: Seruus Seruorum sum, iisq; inutilis: & interim fastu ad cœlum vsq; extolli, & Ecclesiam Dei tyrannide opprimere.

3. Erga sanctos, qui in terra sunt, & præclaros, omnis mea propensa voluntas est.

4. Multiplicantur molestiæ eorum, post (me) festinant: non libabo libamina illorum de sanguine, neq; sumam nomina eorum super labijs meis.

LECTIO. Vers. 3.

Erga sanctos.] Ebr. sic: לקדשים אשר בארץ המה ואדירי כל חפצי בם: id est, *Sanctis qui in terra ipsi, & præ-*

præclaris omnis voluntas mea in eis. Græc. τοῖς ἁγίοις τοῖς ἐν τῇ γῇ αὐτῆ ἐθαυμάσωσεν ὁ κύριος, πάντα τὰ θελήματα αὐτῆ ἐν αὐτοῖς Vulgata Lat. *Sanctis qui sunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Et Arabs legit: *In terra eius.* Chaldæus: *Sanctis qui sunt in terra, manifestate virtutem fortitudinis de cœlis: volentibus autem in operibus bonis, omnis mea bona voluntas in ipsis.* Hieron. *Sanctis qui in terra sunt, & magnificis, omnis voluntas mea in eis.* Augustin. legit: *Mirificaui omnes voluntates meas in eis.*

Verſ. 4. *Multiplicantur moleſtiæ eorum.*] Ebr. רבו עצבותם אחר מהרו Græc: ἐπληθύνθησαν αἱ ἀσθένειαι αὐτῶν, μετὰ ταῦτα ἐτάχυναν. Vulgata Latin. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Hieron. *Multiplicabuntur eidola eorum poſt tergum ſequentium.* Chaldæus: *Multiplicant eidola ſua, & poſtmodum feſtinant vt ſacrificent ſacrificia.* Iuſtinianus ſic: *Multiplicabuntur anguſtiæ eorum, qui poſt alienum properant.* Felix Prat. *Multiplicabuntur dolores eorum, poſt alterum accelerauerunt.* Pagninus. *Multiplicentur dolores eorum, qui alteri Deo donauerunt.* Tigurina verſio ſic: *Multiplicent ſanè eidola ſua, cupidè ſectentur alienum.* Varietas iſta eſt ex dictione עצבה, quæ & *dolorem* ſignificat, & nonnunquam in Scripturis pro *eidolis* ſumitur: deinde ex dictione אחר quæ & *poſt* & *alienum* ſignificat, pro ratione punctorum.

Non libabo libamina illorum de ſanguine.] Ebr. בל אסיך נסכיהם מדם Græc. οὐ μὴ σπασάγω τὰς σπασαγὰς αὐτῶν ἐξαιμάτων. Vulgata Lat. *Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus.* Chald. *Non recipiam ſponta-neus mixtiones eorum, nec ſanguinem ſacrificiorum eorum.*

EXPLANATIO. *Verſ. 3.* *Erga ſanctos qui in terra ſunt.*] Sunt qui verſum hunc præcedenti hoc ſenſu ſubiectum eſſe volunt. Erga ſanctos qui adhuc in terra: id eſt, in præſenti vita agunt: & præclaros: id eſt, ſingulari fide præditos, omnis mea voluntas propendet, illis toto corde benefaciam, quandoquidem nihil eſt, quo tibi benefacere queam.

Reddam ergo vices tibi in illis quos amas, quos pro tuis agnoſcis, qui adhuc ſunt in vita hac miſera & calamitoſa, multis neceſſitatib. adobruti: quos agnoſco pro ſanctis ac præclaris, quòd tui ſunt, quòd eos per gratiam tuam elegiſti, ſanctificaſti, ac præ reliquis honoraſti. In hos beneuolentia mea propendet, his ex animo delector, his pro viribus benefaciam. Qui hunc ſenſum tradunt, per ſanctos & præclaros, electos ac fideles: & per terram, præſentem hanc vitam intelligunt. Quid mihi videatur, dicam. Meo iudicio, præſens hic verſus magis ad ſequentem, quàm ad præcedentem referri debet, ſicut illos etiam coniunxi. Videtur enim Dauid zelum illum exprimere, quo contra impios affectus erat erga populum Iſraëlis, populum Dei, quem vocat, ſanctos ac præclaros. Cùm electus eſſet per Samuelem, 1. Sam. 16. in regem populi Dei, confeſtim zelum hunc Dei erga Iſraëlitas per Spiritum ſanctum in corde ſuo concepit, quo poſtea contra hoſtes illorum accenſus, feliciter pugnauit. 1. Sam. 17. 18. 23. quem in exilio quoq; conſtitutus ponere nequiuit, ſicut in hiſtorijs Sacris videre licet. Itaq; profligatus à Saule, & inter gentes degens, hoc Pſalmo qua fide erga Deum ſuum, & quo ſtudio in populum illius, populum Iſraëlis affectus eſſet, expoſuit dicens: *Cuſtodi me Domine, quoniam ſpero in te: dico Domino, Dominus meus tu, bonitas mea non ad te. Erga ſanctos ac præclaros in terra:* B id eſt, terra tua ô Deus, terra Cenaan degentes, omnis mea beneuolentia propendet, quantumuis in exilium eiectus, & conſortio illorum priuatus ſim. Quapropter, ô Domine, noli me deſerere, ſed in gratiam populi tui exulem ac profligatum cuſtodi, *&c.*

OBSER. *Verſ. 3.* *Erga ſanctos qui in terra ſunt, & præclaros.*] Quod attinet ad priorem ſenſum, quem aliquorum eſſe dixi, obſeruandum eſt, erga quos declarare debeamus quo ſimus animo erga Deum affecti, cui beneuolentia noſtra nihil cõferre poterit. Erga ſanctos videlicet, qui ad huc in terra viuunt: hoc eſt, erga fideles ac pios, qui & ipſi nobiſcum multis ſunt miſerijs obnoxij. Verùm ea eſt Mundi huius corruptio, vt ſanctos in terra negligens, imò contumelijs afficiens, & vi opprimens, mortuos ſanctos honore & cultu afficiat, & in ſtatuas, imagines, ſacella ac templa eorum immenſos ſumptus faciat. Miſeri ac cæci, in fine Mundi audient: Ite maledicti in ignem æternum. Eſuriui, & non dediſtis mihi cibum, *&c.* Matth. 25.

2. Quod poſteriorem verò ſententiam concernit, principiò notandum eſt, quòd Iſraëlitas, populum Dei, vocat *ſanctos* ac *præclaros*. *Sanctos* eos vocat, quòd eſſent nomini Dei conſecrati, & ab omnibus alijs nationibus in gratiam, fœdus, & cultum eius ſelecti. Vide Exod. 19. Deut. 7. Leuit. 20. Non eſt autem putandum, quod de nonnullis tantùm ex hoc populo loquatur Propheta, quos propter ſingulare pietatis ſtudium *ſanctos* vocet: ſed intelligendus de vniuerſo populo Dei in genere, licet in illo multi impiè viuerent. Loquitur enim ex affectu zeli, quo erga populum hunc animatus erat, quem tanquam Dei populum impenſè diligebat, & maximi faciebat. Tale eſt quod Paulus Chriſtianas eccleſias *ſanctas* vocat quamuis multis eſſent corruptionibus obnoxiæ: ſicuti in ea videre eſt quæ Corinthiorum erat, quos & *ſanctos* appellat, & interim de multis ac magnis vitijs reprehendit.

Cogitemus hîc, quantum errorem in Eccleſiam Chriſti Papatus induxerit: quo factum eſt, vt ſanctitatis elogium mortuis duntaxat ſanctis attributum ſit, & in terra degentibus fidelibus ſic ademptum, vt impium fuerit aliquem Chriſtianum adhuc in carne viuentem, vocare ſanctum. Rom. pontifex opinione miraculorum qualicunque, mortuorum corpora canonizauit, vt loquuntur, & ſanctitatis adiecto elogio ad colendum expoſuit: cùm tamen non miracula, ſed fides in Chriſtum, ac baptiſmus ſanctificent: & prædicatione ſanctitatis non virtus, iuſtitia, & merita ſanctificatorum fidelium & Chriſtianorum, ſed gratia eligentis, aſſumentis & ſanctificantis Dei commendetur. Sic Dauid cùm dicit: Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Pſalm. 86. & Paulus ad Epheſ 3: Mihi autem, omnium ſanctorum minimo, *&c.* non ſuam ipſorum iuſtitiam & perfectionem arroganter, ſed gratiam Dei, per quam electi & conſecrati erant, humiliter & animo grato, non ad propriam, ſed ad Dei gloriam prædicant.

Vide Aug. de Eccl. dogmatibus, & ſuper Ioannem tractat. 13.

Hinc

A Hinc AVGVSTINVS Psal. 86. loco citato sic scribit: Et hæc quidem fuistis, *inquit Apostolus*, 1. Cor. 6. sed abluti estis, sed sanctificati estis. Si ergo eos sanctificatos dicit, dicat & vnusquisq; fidelium, Sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Dic Deo tuo: Sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, non quia habui: quia tu dedisti, non quia merui. Etenim ex alio latere incipis iniuriam facere ipsi Domino nostro Iesu Christo. Sic enim Christiani omnes & fideles & baptizati in illo ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit: Galat. 3. Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis: si membra sunt facti corporis eius, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta non sunt. Iam vide vbi sis, & de capite tuo dignitatem cape. Ergo dicat vnusquisq; Christianus, imò dicat totum corpus Christi, clamet vbiq; patiens tribulationes, diuersas tentationes, & scandala innumerabilia: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. *Hæc ille.*

Itaque vel ex huius viri testimonio liquet, non esse idem, sanctum esse, & iustum ac sine peccato esse. Dicet aliquis: Quomodo vocari potest sanctus, qui non sanctè viuit? Qui hoc interrogat, respondeat Paulo, qui 1. Corinth. 6. sic dicit: Itaq; iam quidem omnino delictum in vobis est, quòd lites habetis inter vos inuicem. Cur non potiùs iniuriam patimini? Cur non potiùs damnum accipitis? Imò vos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres. An nescitis, quòd iniusti regni Dei hæreditatem non consequentur: Ne erretis. Neq; scortatores, neq; cultores simulacrorum, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concumbunt cum masculis, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regni DEI hæreditatem accipient. Atq; hæc eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. *Hæc Apostolus.* Si ergo sanctificati & abluti erant, quomodo tribuit illis hoc delictum, quòd alius alium iniuria affecerit? Et mox subiunxit: Quòd talia facientes regnum Dei consequuturi non sint. Ratio est hæc. Volebat eos sanctitatis & ablutionis mentione admonere, vt sanctè & iustè viuerent. Ideo subiecit: An nescitis, quòd corpora vestra membra sunt Christi? Num igitur tollens membra CHRISTI, faciam scorti membra? Absit. Item: Fugite scortationem. An nescitis, quòd corpus vestrum templum est habitantis in vobis Spiritus sancti, quem habetis à Deo, &c. Sic ad Romanos 6. Quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus, &c. vt in nouitate vitæ ambulemus. Item: Quoniam vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, &c. Et tamen subiungit: Non ergo regnet peccatum, &c. Sic Deuter. 7. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Et tamen Leuit. 20. dicit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Sic Galat. 3. Quicunque baptizati estis, *inquit*, Christum induistis. Et Roman. 13. hortatur, dicens: Sed induimini Dominum B Iesum Christum. Et Ephes. 5. Scortatio & omnis immundicia & auaritia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Et Ebræus 10. Quanto magis putatis eum deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est. Et 1. Petr. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, &c. & tum subijcit: Charissimi, obsecro vos, vt abstineatis à carnalib. desiderijs. Et ad Coloss. 3. Induite vos sicut electi & sancti Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, &c.

Quapropter obseruandum est in literis Apostolicis, quomodo Christianos appellent Apostoli. Perinde faciunt, ac si virginem admoniturus, vt castis morib. virginitati respondeat, voces eam virginem: & adolescentem nobilem voces ad hoc, vt à generis sui nobilitate non degeneret: sic ipsi Christianos vocant sanctos, vt eos ad vitæ sanctimoniam seruandam & exprimendam hortentur. Ad hunc modum & Tobias iunior sponsæ suæ dicebat: Sara exurge, deprecemur DEVM hodie & & cras & perendie, quia his trib. noctib. Deo iungimur: tertia autem nocte transacta in nostro erimus coniugio. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicuti gentes, quæ ignorant DEVM, &c. Sic & senior Tobias proximis suis dicebat: Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, &c. Cogitet hîc lector, quam Christianę vitę prophanationem induxerit ista persuasio, qua Christiani communiter non pro sanctis, sed pro laicis ac secularib. haberi cœperunt. Quando enim de vitæ sanctimonia seruanda cogitabit, qui se non sanctum, sed secularem & prophanum esse iudicat, nec aliter ab alijs censeri nouit?

Deinde & illud notandum est, quòd populum DEI, quamuis multi essent calamitatib. obnoxij, & ab omnib. totius Orbis nationib: mirum in modum explorderentur, vocat קדושים, i. e. *præclaros, illustres, & glorioſos.* Sic de illis magnificè non ipsorum, sed Dei respectu sentiebat. Ad hunc modum & Moses Deut. 4. dicebat: Nec est alia natio tam grandis, &c. Vide locum. Et Dauid: Non fecit taliter omni nationi, &c. Admonemur igitur hoc loco, qua in re verè reddamur קדושים: i. e. *celebres* & *præclari*: ea videlicet, si verè populus Dei fuerimus.

Omnis mea propensa voluntas est.] 1. Primùm hîc in genere admonemur, vt erga populum Dei, Christianos ac fratres, Christiana charitate, perinde atque hîc Dauid erga Israëlitas suos, præditi simus, vt & nostra sit in illos propensa voluntas. Et hanc φιλαδελφίαν exigit à nobis non modò exemplum, sed & præceptum Christi, quo dicit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis vos inuicem, sicut ego dilexi vos.

2. Deinde obseruanda est hoc loco imago Christi, veri & vnici pastoris in Dauide. Cùm populum suum Deus de manu impiorum, veluti luporum, liberare vellet, Dauidem ouis patris sui custodientem suscitauit, ac spiritu suo donatum in Regiam potestatem extulit. Requirebatur hîc, vt alio animo erga miserum populum esset, quàm fuerat Saul, non regens, sed opprimens: non pascens, sed vorans. Itaque diuino munere affectum hunc erga populum pascendum accepit, vt ex animo

diceret: *Erga sanctos qui in terra sunt, omnis mea propensa voluntas est.* Beneuolentiam hanc & ante exilium A
& in exilio, & postea in regno erga populum Dei luculenter declarauit. Ad hanc Dauidis imaginē, non minus quàm stirpem, respexerunt Prophetæ, quoties Christum, de quo vaticinabantur, iam *germen Dauidis*, iam *ipsum Dauidem* vocarunt. Vnde Hierem. 23. Ezech. 34. 37. Quantam autem beneuolentiam Christus verus Dauid, vnicus noster pastor, erga oues à Patre acceptas declarauerit, morte pro nobis subita, omnium est luculentissimum expressum. Et huius ipse meminit Ioann. 10. Dauid, cùm hæc caneret, nihil minus quàm rex & pastor populi Dei videbatur, Saule in regno constituto, & omnem potestatem occupante. Sicut Christus, quamuis summam dilectionem verus pastor in gregem Domini circumeundo, docendo, sanando, deniq; & à peccatis & Satana liberando, ostenderet: nihil tamen minus habebatur, quàm pastor & rex populi Dei: sed dignitas & authoritas sacerdotij ac regni erat apud eos qui non pascebant, sed vorabant. Admonemur itaq; vtroque hoc, cùm Dauidis tùm Christi exemplo, vt verum pastorem ex affectu dilectionis, & lupos ex rapaci & violenta tyrannide agnoscamus, sicuti infantis oppressi matrem Salomon ex σοφίᾳ materni pectoris agnoscebat: 1. Reg. 3.

EXPLANATIO. *Verſ. 4.* *Multiplicantur molestiæ eorum.*] Huius versus vt varia lectio, ita & varia est expositio. Quidam intelligunt & exponunt ista de gentib. eidololatris, quidam de Israëlitis, qui in terra Cenaan erant. De gentibus aliqui sic: *Multiplicantur angustiæ eorum, qui post alienos* (deos) *festinant.* vt sit vaticinium eorum malorum quæ manent eidololatras: & ob eam causam subiungat: *Non libabo libamina illorum de sanguine, neq; sumam nomina eorum super labijs meis.* q. d. quapropter nolo sacrificiorum illorum esse particeps. Alij ad hunc modum: *Multiplicentur molestiæ eorum, qui post alienos festinant:* vt sit imprecatio malorum, ex odio ac detestatione falsorum deorum: sicuti ex eo quòd sanctis ac præclaris ex animo bene volebat, dubio procul omnia illis prospera optabat. Rursus alij sic: *Multiplicata sunt eidola eorum, post quæ festinant.* q. d. Dico Domino Dominus meus tu: verùm gentes, ad quas eiectus sum, cum quib. degere cogor, pro te vno ac vero Deo multos falsos colentes, eidola sua multiplicarunt, ad quæ sacrificia sanguinaria immolant & mactant, quorum nec consors nec memor esse volo. *Est enim Dominus portio partis meæ*, &c. De Israëlitis quidam sic: *Erga sanctos qui in terra sunt, omnis mea propensa voluntas est*, quorum molestiæ in terra multiplicantur per maliciam & impietatem reproborum, à quib. adfligu tur & opprimuntur: ob quam causam relicta terra Domini exules & oppressi ad me currunt, mihique profligato & exuli iunguntur. Interea oppressores populi ac sanctorum Dei, libamina sua de sanguine innocentum acquisita per hypocrisim libant, & DEO sacrificant, quasi studio colendi DEI teneantur: cùm sint impij, & sacrificia illorum Deo inuisa ac detestabilia, cui non placent libamina cruenta, iniusta de rapinis pauperum acquisita: quorum vsq; adeò consors esse nolo, vt ne nomina quidem eorum memorare sustineam. Et hæc posterior sententia, meo iudicio, argumento Psalmi proprior esse videtur. B

OBSER. *Verſ. 4.* *Multiplicabuntur angustiæ eorum, qui post alienos deos festinant.*] Hoc sensu obseruandum est, quantam adferat infelicitatem mortalibus, cultus ille alienorum deorum. Etenim quàm sunt felices, qui soli verò & vni Deo adhærent: tam infelices sunt, qui ab illo alienantur. Sic infrà Ps. 72. Qui elongant se « à te, peribunt, perdes omnes qui fornicantur abs te. Vide Deut. 31. Ecce tu dormies cum patribus « tuis, & populus iste consurget, & fornicabitur post deos alienos in terra ad quam ingredietur, vt « habitet in ea. Ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. Et irascetur furor « meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in de- « uorationem. Inuenient eum omnia mala & adflictiones, ita vt dicat in illo die: Verè quia non est De « us mecum, inuenerunt me hęc mala. Ego autem abscondam & celabo faciem meam in die illo, pro- « pter omnia mala quæ fecit, quia sequutus est deos alienos. Et ca. 18. dicit Moses, expulsurum Deum « gentes à terra Cenaan, propter cultum alienorum deorum. Vehementer itaque errant, qui rerum « prosperitatem ex eo sperant, quòd non vni soli Deo adhærent, sed vel sanctos mortuos, vel angelos « colunt & adorant. Vide cap. 44 Hieremiæ.

Multiplicata sunt eidola eorum, post quæ festinant.] 1. Hac lectione obseruandum est primùm, improperari gentib. quòd pro verò Deo eidola habeant: id est, vana simulacra. Sic infrà Psal. 96. Omnes dij « populorum sculptilia sunt. Et alio loco, vocat deos gentium opera manuum hominum. «

2. Deinde, non solùm eidola, sed multiplicationem eidolorum gentibus improperari. *Multiplicata sunt*, inquit, *eidola eorum.* Notatur inconstantia & incertitudo cordis humani, in cultu DEI, per quàm vni DEO multi falsi, sicuti vero DEO inania eidola opponuntur. Nequit enim animus veri & vnici DEI cognitione ac fide destitutus, non distrahi ad falsos, eosque plurimos deos. Etenim DEVS verus solus est, qui colentium se animos pacificare potest. Conscientia autem incerta, irrequieta & fluctuante, quæritur alius Deus post alium vsque in infinitum. Hinc illa

πολυθέα apud gentes, & multorum sanctorum cultus apud pseudochristianos.

DII TVTELARES,

PENATES, LARES.

A

Gentium. *Pseudochristianorum.*

Primùm nulla regio, nulla insula, nulla prouincia, nulla ciuitas, nulla domus erat, quæ non haberet peculiarem quendam tutelarem Deum.

Habebant	*Babylonij*	*Belum*	*Hier. 2. Secundum numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iudah.*	*Hispania*	*Iacobum*
	Aegyptij	*Isidem & Osyrim*		*Gallia*	*Dionys. Michaëlem*
	Aphri	*Neptunum*		*Pannonia*	*Ludouicum regem*
	Rhodij	*Solem*		*Heluetia*	*Mariam in Einsidel.*
	Samos	*Iunonem*		*Germania*	*Georgium*
	Paphos	*Venerem*		*Roma*	*Petrum, Paulum.*
	Delphos	*Apollinem*		*Medialonum*	*Ambrosium*
	Roma	*Quirinum*		*Venetiæ*	*Marcum*
	Athenæ	*Mineruam*		*Colonia*	*Tres reges*
	Ephesus	*Dianam*		*Augusta*	*Vdalrichum.*

Deinde. Elementa etiam ipsa suum vnumquodque Deum habebant.

Habebant	*Cœlũ ignis*	*Iouem*		*Ignis*	*Agatham, veluti nouam Vestam*
	Aër	*Iunonem*		*Mare*	*Nicolaum*
	Mare	*Neptunum*		*Tempestates*	*Valesianum Theodulum.*
	Inferi	*Plutonem*			

Tertiò. Erant frugibus terræ certi Dij deputati.

Fruges excoquebat Apollo,	*Frugibus præerat Iodocus*
Vinum sacrum erat Baccho,	*Vino Vrbanus*
Panis Cereri.	*Hinc sacella agrestia.*

Quartò. Pecora etiam suos Deos habuerunt:

Apollinem videlicet & Pana	*Oues*	*Vuendelinum*
	Equi	*Eulogium*
	Boues	*Pelagium*
	Sues	*Antonium, &c.*

Quintò. Artibus quoque siue literarijs, siue mechanicis certi Dij præfuerunt.

B

Erat	*Literarijs*	*Apollo, Minerua, nouem Musæ.*		*Literarijs*	*Catharina, Gregorius*
	Fabris	*Vulcanus*		*Pictoribus*	*Lucas*
	Medicis	*Aesculapius*		*Medicis*	*Cosmas & Damianus*
	Militibus	*Mars*		*Militibus*	*Gregorius, Mauricius*
	Venatorib.	*Diana*		*Fabris*	*Eulogius*
	Nautis	*Castor & pollux*		*Calcearijs*	*Crispinus & Crispinianus*
	Scortis	*Venus, Flora, Lupa.*		*Sartoribus*	*Guimanus*
				Figulis	*Goaris*
				Venatoribus	*Eustachius*
				Scortis	*Magdalena & Afra.*

Sextò. Quibuslibet etiam morbis peculiares Dij deputati fuerunt.

Erat	*Pesti*	*Apollo*		*Pesti*	*Sebastianus & Rochus*
	Comitiali	*Hercules*		*Morbo Gallico*	*Fiacrius*
	Parui	*Lucina*		*Febri*	*Petronella*
				Contractis,	*Vuolfgangus*
				Morti improuisæ	*Marcus*
				Morbo caduco	*Valentinus*
				Partui	*Margarita*
				Captiuis	*Leonhardus*
				Contra toxicum	*Ioannes Euangelista & Benedictus*
				Capitis dolori	*Anastasius*
				Oculis	*Otilia*
				Dentibus	*Apollonia*
				Collo	*Blasius*
				Ventri	*Erasmus*
				Pudendis.	*Brictius.*

Summa tradunt quidam, 30000. deorum in Orbe terrarum culta fuisse. Tertullianus ex Varrone, 300. Ioues fuisse tradit.

Cùm ergo vnicuique deorum suum esset simulachrum, rectè dixit vates: *Multiplicata sunt eidola eorum.*

3. Tertiò notandum est, quod dicit: *Post quæ festinant.* Exprimitur his verbis ingenium superstitionis, in verbo *festinandi.* Habet enim hoc eidololatria quasi peculiare, vt mortalium corda quadam vesania incidet, & feruore præpostero rapiat. Sunt huius rei multa exempla, etiam nostro seculo nota. Ex carne est eidololatria, verus cultus Dei ex spiritu. Hinc proniores sumus ad cultum simulacrorum, quàm ad verum cultum Dei. Nihil adeò durum est, nihil tam sumptuosum, quod eidololatria non præstet. Sic Iudæi liberos suos eidolo Moleck igni sacrificabunt. Sic sacrificuli Baal lanceolis semetipsi pungebant, & cultris scindebant: sic Israëlitæ Aaron omnia preciosa auri &

genti vasa & ornamenta, ad faciendum eidolum dabant. Hinc est quòd Prophetæ furorem hunc A
eidololatricum scortationi compararunt. Hiere. 2. & 8. Quis satis infinitos illos simulacrorum sumptus, quis excursiones illas ad S. Iacobum Compostellanum, ad S. Michaëlem, ad S. Mariam Heremitanam, Ratisponensem, & alias innumeras expresserit, ad quas nudis pedibus & solis laneis indumentis ex voto currebatur? Qui ista expendit, an non & Christianorum eidolis dictum hoc Dauidis, *Multiplicata sunt eidola eorum, post quæ festinant*, competere iurè dixerit?

4. Quartò, in eo quod dicit: *Non libabo libamina eorum de sanguine*: obseruandum est, mentione libaminum reprobari omnis generis sacrificia, quibus eidola coluntur. Erat autem cultus eidolorum apud gentes in his situs:

1. Struebant dijs templa, delubra, sacella, lucos, &c.
2. Addebant aras.
3. Erigebant illis statuas.
4. Ponebant simulacra, opera manuum hominum, vnumquodq; suo insigni notatum: vt, Bacchus habebat vitem, Ceres spicam, &c.
5. Statuebant certos dies festos, quibus frequentes ad cultum deorum suorum confluebant.
6. In ipso templi ingressu corpus recenti aqua spargebant.
7. Ante aras, statuas & simulacra procidebant, & suppliciter manibus expansis adorabant, ac vota reddebant.
8. Thura & cereos incendebant & offerebant.
9. Sacerdotes peculiares quisq; deorum habebat.
10. Simulacra humeris circumeundo gestabant. Baruch.

Cogita iam de cultu diuorum, qui adhuc inter Christianos durat: & vide, an non eadem & hodie in cultu sanctorum fiant: deinde, an non eadem ipsa à diuis petantur, quæ gentes à dijs suis peterunt. Quàm sit autem huiusmodi simulacrorum cultus noxius ac detestabilis, etiam Augustagnouit, ac disertè ad hunc modum scripsit: Et eidola quidem, omni sensu carere quis dubitat? Veruntamen cùm his locantur fedib. honorabili sublimitate, vt à precantib. & immolantib. attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atq; sensuum quamuis insensata & examina, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac spirare videantur: accidere præsertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impenditur. Quib. morbidis ac pestilentiosis affectib. medetur Scriptura diuina, quæ rem quidem notam, attamen salubri remedio admonitionis inculcat, dicens: Oculos habent, & non vident, &c. Hæc enim verba, quò magis aperta & populariter vera sunt, eò magis incutiunt salubrem pudorem illis, qui cum talib. simulacris diuinum cum timore cultum exhibent, eaque viuentib: similia venerantes, adorantesq; contuentur, eisq; velut præsentib. preces allegant, victimas immolant, & vota persoluunt, sic afficiuntur omnino, vt ea sensu carere, putare non audeant. Et eadem epistola: Neq; illinc excusant impij sua sacrilegia, sacra & simulacra, quod eleganter interpretantur quid quæq; significent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, non ad creatorem, cui vni debetur seruitus religionis, illa quæ vno nomine Græcè *latria* vocatur. Ibidem: Nec spirituali, quamuis iustæ, creaturę sacrificandum est. Quoniam quantò magis pia est, & sublata Deo tantò minus se tali dignatur honore, quem scit non deberi nisi Deo. *Hæc ille.* B

Epist. 49.

Obiectiones quorundam.

1. Nos, *inquiunt*, non colimus, nisi vnum DEVM, sed in sanctis. *Respondeo:* Idem prætexebant & docti inter gentes. 2. Gentium dij erant dæmonia, mali homines: nos sanctos colimus. *Respondeo:* Sanctos colitis, attamen homines, qui diligi debent, coli & adorari non debent. 3. Cultus sanctorum DEO placet, testibus miraculis. *Respondeo:* Et gentilium deorum simulacra miraculis claruerunt. 4. Non dicimus, sanctos esse deos. *Respondeo:* Ergo vestrò ipsorum testimonio colitis & inuocatis eos qui dij non sunt, & cultum soli DEO debitum creaturis impenditis. Itaq; hac excusatione perinde eidololatriam vestram excusatis, atque si mulier adultera dicat: Scio eum quem amo, cui corporis mei copiam facio, non esse maritum meum legitimum: quibus verbis tam abest vt se de adulterio purget, vt magis incuset. 5. Quintò. *Non libabo libamina eorum de sanguine, nec sumam nomina eorum super labijs meis.* Obseruandum est etiam in his verbis, quàm longè deceat abesse sanctos ab impiorum superstitionibus, vsq; adeò videlicet vt non solùm participes illarum non sint, sed ne nomina quidem earum vsurpent. Hoc enim loquutionis genere summa exprimitur abominatio ac detestatio, quo & Apost. vtitur Eph. 5. dicens: Scortatio & omnis immundicia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos. sic Exod. 23. Et nomen (*inquit*) alienorum deorum non recordabimini, nec audiatur ex ore tuo. Huiusmodi eidololatriæ abominatio tanta est in pijs, quanta est in pectorib. illorum veri & vnici DEI dilectio. Quanta fuerit in hoc Dauide, ex eo patet, quòd etiam exul inter gentes, inter quas contra Saulis tyrannidem sese tuebatur, sinceram Dei sui fidem & dilectionem in se nullo pacto labefactari passus est. Meritò extollitur fides eius coniugis, quæ non solùm in domo mariti sui, sed & inter exteros & impudicos detenta, coniugalis castitatis puritatem illibatam custodit. Talis erat ista Dauidis fides & dilectio erga DEVM suum, cùm in medio Philistæorum conuersaretur, & per Saulis improbitatem è domo & populo DEI sui eiectus esset. Inter Christianos Christianam fidem seruare, laudis aliquid meretur: verùm si id inter Turcos fiat, maioris virtutis encomium meritò consequitur.

Multiplicantur molestiæ eorum, posti(me) festinant.] 3. Hactenus expendimus, quæ notanda sint in eo sensu, quo præsens versus de gentib. & illarum eidolis capitur: iam consideremus, quid obseruandum veniat eo sensu, quo nos versum hunc de Israëlitis exponimus. 1. Primùm expendamus, quæ fors fuerit populi Dei sub Saule, cùm Dauid esset è terra Israëlis ad Philistæos profligatus. Plurimis

molestijs

A molestijs,afficiebatur, sicuti historia sacra testatur. Verùm in eas tribulationes inciderant,propterea quòd regem sibi more gentium dari petierant,qua de re vide 1. Sam. 8. 2. Deinde consideremus in his verbis,animum Dauidis erga populum Dei. Condolebat illius miseriæ, quamuis illa non accidisset immerita. Hoc exemplo discamus condolere sanctorum etiam meritis adflictionibus.

3. Tertiò obseruemus etiam hoc loco typum Christi in Dauide. Missus est hic electis verus rex & pastor. In Mundo hoc reprobatur & profligatur. Qui magni sunt in Mundo, Sauli adhærent: hoc est,nominatis ac personatis principib. ac pastoribus, Christi hostib. Qui multis molestijs,præsertim in spiritu premuntur,ad Christum currunt, illiq; tanquam vero regi ac pastori iunguntur, quos etiam ille ad se vocat, Matth. 11. dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,ergo reficiam vos. Ad hunc modum figuræ Dauidicæ respondet veritas Christi.

Non libabo libamina eorum, &c.] 1. Videmus hîc primùm etiam impijs populi Dei oppressorib. sacrificia & cultum Dei tribui. Nolebant videri impij. Ideo frequenter sacrificabant. 2. Deinde videmus, qua tota tyrannorum sacrificia perstringat, vocans ea *libamina de sanguine*. Ergo ex ijs quæ per vim & oppressionem pauperum ad se rapiebant, Deo sacrificare non videbantur. Cogita quanta sit istorum hominum impudētia. 3. Tertiò. Notandum hîc est,quàm huiusmodi sacrificia detestetur Propheta. Nimirū sciebat, illa ad exacerbandū Deum facere magis, quàm ad placandū. Sic Esa. 61. Odio habet Dominus rapinam in holocaustū. Admonemur hîc, quàm debeamus impia impiorum hominum sacrificia fugere ac detestari, etiam quę Deo offeruntur, ne peccatis illorum inuoluamur.

5. Dominus portio partis meæ, & calicis mei: tu sustentas sortem meam.
6. Funes ceciderunt mihi in (locis) amœnis: etiam speciosa mihi (cōtigit) hæreditas.
7. Benedicam Domino, qui consuluit mihi: etiā per noctē erudierunt me renes mei.

Dominus portio.] Græc. sic: *Κύριε ὁ μερὶς τῆς κληρονομίας μου, καὶ τοῦ ποτηρίου μου, σὺ εἶ ὁ ἀνταποδιδοὺς τὸν κλῆρόν μου ἐμοί.* Vulgata Latin. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi* Chald. *Dominus præparatio sortis meæ, & calix meus: tu conseruabis sortem meam.* Hiero. legit: *Tu possessor sortis meæ.* Felix: *Tu sustentabis sortem meam.* Iustinianus: *Tu sustines sortem meam.* LECTIO Vers. 5. Vers. 6.

Funes ceciderunt mihi.] Ebr. חבלים *σχοινία.* Chald. עדיבין: i.e. *Sortes.* Hier. *Lineæ.* Vers. 7.

Benedicam Domino, qui consuluit mihi.] Ebræ. יעצני. Græc. *τὸν συνετίσαντά με.* Vulg. Lat. *Qui tribuit mihi intellectum.* Hiero. *Qui dedit mihi consilium.*

Terram Cenaan DEVS populo suo hæreditatis loco dederat. Ex hac erat Dauid malicia & insidijs Saulis perinde eiectus, q. nulla illius portio ad ipsum pertineret, & alienus esset à populo DEI, qua de re 1. Sam. 26. loquitur, dicens: Si autem filij hominum maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui dijs alienis. q. d. Non est tibi pars in Domino DEO Israëlis. Contra hanc impiorum iniquitatem hisce versibus de B suo gloriatur, & ab hoc se vsq; adeò abalienatum non esse canit, vt quamuis ex hæreditate illius eiectus sit, nihilo tamen minus illam habeat portionem, sortem, ac hæreditatem suam: multò præclariorem, quàm impij ac reprobi populi Dei oppressores habeant, quib. nulla portio sit in Deo, quantumuis hæreditate illius, terra sancta pro libidine abutantur, & soli Domini illius esse videātur. Hoc spiritu dicit: *Dominus portio partis meæ, & calicis mei: tu sustentas sortem meam.* q. d. Libidinentur illi in hæreditate Domini quantum volent, & reijciant me quàm diu volent: interim fruar ego mea portione, & delectabor sorte mea, quæ Dominus ipse est, quam mihi nunquam auferent. tu Domine, quàm diu fueris, sortem meam continebis, quàm in te habebo in sempiternum. Vtitur autem metaphora *portionis & calicis*, à consuetudine veterum desumpta, qui in conuiuijs suam vnicuiq; portionem & calicem peculiariter admetiebantur: Illud, *Tu sustentas sortem meam*, & quæ versus sequens habet, secundum metaphoram diuisionis dicta sunt, qua terra per Iehosua sorte fuerat singulis tribub. deputata. Dicit autem: *Tu sustentas sortem meam*, perinde ac si quis de agro aliquo per sortem hæreditariè acquisito dicat: Hic ager continet sortem meam: hoc est, sorte mihi cessit. EXPLANATIO. Vers. 5.

Versu sexto sortem & hęreditatem suam deprædicat & extollit, vocans eam *amœnam & speciosam*. *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in locis amœnis, etiam speciosa mihi contigit hæreditas.* Funib. diuidebatur terra, & cui speciosus & amœnus locus sorte sua plurimùm lætabatur. Sic Propheta de Deo suo tanquam speciosissima & amœnissima hæreditate, his verbis gloriatur & exultat. Versu 7 dicit *se Domino benedicturum*: hoc est, bonitatem illius laudib. celebraturum, quòd is sibi consuluerit: i.e. hunc spiritum dederit, quo ipsum sortis & hæreditatis loco elegerit. His verbis animi sui gratitudinem exprimit. Solent illi, quibus consilio aliorum in eligendo sortem fortuna arridet, eos deprædicare, quorum consilijs prosperè sunt vsi. Sic Dauid hoc loco sortis suæ felicitatem, de qua versu præcedenti gloriatus est, Deo suo adscribit, qui sibi consuluerit, vt hanc sortem vnicè delegerit. Ad idem facit, quòd dicit: *Etiam per noctem erudierunt me renes mei.* Per *renes* intimas cogitationes & abditissimos affectus intelligit. Vnde & Scriptura Deum renes & corda scrutari dicit. & Dominus sibi renunculos offerri præcepit, Leuit. 3. Significat his verbis, huc se intimis affectibus, idq; noctu à reliquis curis liberum ac solitarium, raptum & motum, vt Deum sortis ac hæreditatis suæ loco eligeret, illiq; vni sese totum addiceret. Hic videlicet erat spiritus consilij quem acceperat à Domino, à quo singulis noctib. erudiebatur, ducebatur, imò rapiebatur, vt firma & indubitata fide vni Deo adhæreret, in quo solo veram & perpetuam esset securitatem ac felicitatem possessurus. Vers. 6. Vers. 7.

Dominus portio partis meæ, & calicis mei.] 1. Principiò habent in hoc Dauidis exemplo, quo se consolentur illi, qui Antichristi, veluti Saulis tyrannide è consortio Ecclesiæ Christi abijciuntur, abalienantur, & profligantur. Sequātur exemplum hoc Dauidis, vt & ipsi dicant: Dominus portio nostra, OBS. 1.

calix noster, sors nostra, hæreditas nostra: quam ne portæ quidem inferorum nobis, nedum humana malicia, abripere poterunt. Nullo salutis suæ detrimento excommunicatur ab improbis, quisquis reuerà Dominum habet sortem ac hæreditatem suam. 2. Deinde expendendę sunt etiam metaphoræ, quib. hoc loco Propheta vtitur. Prima est conuiuantium, altera tellurem aliquam sorte obtinentium. Vtraq; & commoditatis pariter & immeritæ gratiæ considerationem habet. Quæ duo sunt in in hoc summopere expendenda, quòd Dominus dignatur fieri portio & hæreditas nostra. Commoditas omnium abundantissima, & prorsus infinita vtiq; in Deo est, ex quo & per quem, & in quo sunt omnia. Ro. 11. Vnde & Paulus 1. Cor. 3. dicit: Omnia vestra sunt. & 2. Cor. 6. Omnia possidentes. & hic Propheta infrà Psal. 23. Dominus pastor meus, non egebo. Hunc certè quisquis tanquam partem suam habet, non solùm vitam, sapientiam, auxilium, salutem, pacem, gaudium, securitatem, & omnia bona, sed & ipsum omnium horum fontem inexhaustum habet. Deinde, quisquis DEVM tanquam sortem & hęreditatem suam habet, non poterit de eo gloriari, quòd sibi thesaurum vel labore, vel merito, vel precio suo acquisierit: sed necesse est, obuenisse illum sibi planè gratuitò fateatur, cuius nos gratiæ, sortis & hæreditatis metaphoræ admonent, in quib. nec meritis, nec laboribus nostris aliquid loci permittitur. 3. Tertiò. Et illud considerandum est, quorum sit Deum habere partem, sortem, & hæreditatem suam. Eorum hoc esse non potest, qui corde creaturis quibuscunq; sic adhærent, vt eas thesauri loco habeant, quocunq; tandem nomine venditentur. Gloriantur Antichristi Romani mystæ, esse se clerum Domini: i. e. sortem Domini, & Dominum esse ipsorum sortem, more Leuitarum. Hos mitto ad Canones 12. quæst. 1. cap. Clericus. & cap. Duo sunt genera Christianorum. Felicitas ista electorum & verorum fidèlium est, qui soli cum Dauide dicere possunt: Quid mihi in cœlis, & tecum nolo quicquam in terra. Etsi defecerit caro mea, & cor meum, fortitudo cordis mei & pars mea Deus in æternum: Psalm 73. A

OBS. 2. *Tu sustentas sortem meam.*] Consideremus etiam hanc particulam, qua singulare quiddam DEO tribuitur, quòd nulli creaturæ quamuis magnæ & præclaræ dari potest. Potest quidem præclarus aliquis fundus, imò regnũ magnificũ & opulentũ, cedere cuipiã sortis loco: verùm vt sit cõstans illius & firma possessio, id demũ præstare non potest: nec prohibere, quò minus mutato Dño, in alterius sortẽ transeat. At Dominus ita suorũ portio, sors & hæreditas est, vt simul firmã etiã & sempiternam illis possessionem præstet & conseruet. Dicat itaq; fidelis ex animo: Tu Domine sustentas sortem ac hæreditatem meam, in qua securè conquiescam, etiamsi in hoc Mundo omnia prorsus amittam.

OBS. 3 *Funes ceciderunt mihi in locis amœnis, &c.*] Obseruandum est hoc versu, quàm sit efficax ista diuinæ gratiæ & cœlestis hæreditatis fides in electis. Caro rarissimè sorte sua contenta est, semper ad ampliora suspirans & connitens. At spiritus electorum non solùm contententus est sorte sua, sed de illa etiam, idq; in tribulationib. & adflictionib. huius seculi, admodum gloriatur: sicuti in hoc Dauidis exemplo apparet. Nequit igitur fieri, vt cor hominis verè ac solidè saturetur & exhilaretur, nisi sortem hanc regni cœlestis cum Dauide acquirat, ad quam nos Apostol. Col 1. vocatos scribit, dicens: Cum gaudio gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Qui spiritum Mundi huius habent, eos beatos prædicant, & sortes eorum in amœnis cecidisse iudicant, qui diuitijs, gloria & potentia conspicui sunt in hoc seculo: sicuti vides Psalm 144. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Verùm Spiritus sanctus electorum Dei felicitatem etiam illic prędicat, dicens: Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Hanc non agnoscunt nisi possidentes. Agnoscunt autem eam certitudine fidei: quam satellites Antichristi ignorant, imò impugnant, doctrinam dubitationis Ecclesiæ Dei proponentes. B

OBS. 4. *Benedicam Domino, qui consuluit mihi.*] Notandum hîc est, quomodo insipientiam suam agnoscat, & beneuolentiam Dei erga se in eo prædicet, quòd sibi veluti insipienti optimè consuluerit. Admonemur hoc loco, vt in causa salutis nostræ nobis nihil, omnia verò diuinæ bonitati adscribamus, cuius consilio, instinctu, & spiritu ad ea ducimur quæ salutaria sunt: alioqui ad pessima quæq; propensi, & in causa salutis nostrę planè stulti. Hic animus non poterit non gratus esse cœlesti benefactori, qui non solùm miseros saluat, sed & consilium apprehendendæ salutis largitur. Quis enim incredibilem hanc bonitatem DEI expertus, non deprædicaret, qua non solùm pśto est quærentib. aperit pulsantib. dat seipsum petentibus: sed & spiritu suo miserorum cordib. cõsulit, & ignaros veræ salutis ad se bonorum omnium fontem pertrahit? Hinc acclamationes illæ: conuertimini ad me, & salui eritis. Et Esa. 55. Omnes sitientes venite ad aquas, &c. Matth. 11. Venite ad me omnes, &c. Et Ioa. 7. Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Reperias quidem, qui facilè consulat verbis, sed sic vt auxilium alibi quæras. Verùm hîc habemus & consultorem & auxiliatorem. Hic nobis sic consulit, vt credentib. & obtemperantib. succurrere possit. Consilium hoc Dei nihil est aliud, quàm intima & indubitata bonitatis ipsius fides & persuasio.

OBS. 5. *Etiam per noctem erudierunt me renes mei.*] Locus hic diligenter obseruandus est, in quo sunt ista considerանda. Primùm, quomodo consilium illud Spiritus sancti, cuius meminit Propheta, electis præstetur. Verbum *erudiendi* pulchrè huc facit. Rudes sumus, & ignari rerum cœlestium. Ruditas ista diuino consilio adimitur, dum abnegatis omnibus carnis affectibus, cognitione, timore, dilectione ac fide Dei imbuimur. Deinde, vbi eruditio ista exerceatur: non dicit, *In ore, nec in cerebro*: sed, *in renibus*: hoc est, in ipsa sede intimorum affectuum. Multi sunt qui eam exerceant ore, à qua tamen renibus sunt alienissimi, quos Hierem. 12. notat, dicens: Propè es tu ori eorum longè verò à renibus eorum. In summa, eruditio Spiritus sancti non est inanis scientia, sed ipsorum affectuũ renouatio, & repurgatio. Tertiò, quando potissimùm renes electorum per spiritum Dei erudiantur. *Per noctem*, inquit. Nocturnum tempus, tanquam liberum à curis secularibus disciplinæ spiritus omnium est

apposi-

A appositissimum. Hinc diuinæ visiones & apparitiones plerunq; noctu factæ leguntur. Genes. 26. 32. 46. Daniel. 2. 7. &c. Hinc sancti noctu potissimùm orationib. dediti fuerunt. Suprà Psal. 7. infrà 77. & 1. Sam. 15. Sic Christus noctibus frequens in oratione fuit. Quòd autem primæ Ecclesiæ Christiani noctib. conuenire consueuerunt, propter persequutionum procellas factum est: maluissent alioqui interdiu & publicè, quàm noctu & clanculùm congregari. Simul & illud obseruandum est, quòd non לילה in singulari, sed לילות in plurali: id est, *noctibus* in Ebræo legitur. Admonemur hinc, eruditionem hanc spiritus non vnius duntaxat, sed multarum esse noctium opus & exercitium.

8. Posui Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne mouear.

9. Propter hoc lætatũ est cor meũ, & exultat gloria mea: etiam caro requiescet in spe.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

11. Notam mihi facies semitam vitæ: satietatem lætitiarum cum vultu tuo, delectationes in dextra tua vsq; in seculum.

LECTIO.

Et exultat gloria mea. Ebr. ובורדי. Græc. reddit, καὶ ἀνέστη ἡ σάρξ μου. Vulg. Latina: *Lingua mea.* Et Arabs habet *Lingua mea.* Chald. איקרי ideſt, *Gloria mea*, ſicut & Hieron. legit, Kimhi Ebræus particulã hanc ובורדי ויגל. ſic exponit: רוחי תגעבוח שחרא בבוד חגרית id est, *Spiritus est hæc gloria, quoniam ille corpus glorificat.* *Vers. 9.*

In inferno.] Ebr. לשאול, Græc. εἰς ᾅδλω. Vulg. Lat: *In inferno.* Chald. Ebræam vocem retinuit, quæ *foueam & sepulchrum* significat. Et Hieron. & Felix legunt: *In inferno.* *Vers. 10.*

Delectationes in dextra tua in seculum.] Ebræ. נעבורות בימינך נצחה. Chald. *Dulcedo in dextra tua in æternum.* Hieron. *Decores in dextra æternos.* Et Arabs legit: *In seculum.* Et illud: *Satietatem lætitiarum*, à Græco & Latino interprete aliter legitur, videlicet, *Adimplebis me lætitia*, &c. *Vers. 11.*

EXPLANATIO.

Propheta quia se præclaram hæreditatem consequutum, ideoque Dominum laudaturum, quòd sibi consuluerit, ac per noctem in renibus: id est, intimis affectibus consilio spiritus Dei eruditum esse dixit: iam consequenter animi sui fiduciam ac spem de Deo suo conceptam, quatuor hisce versibus ad finem vsq; Psalmi subijcit: *Proposui Dominum*, inquit, *in conspectu meo semper*: hoc est, in omnibus adflictionibus, tentationibus & periculis à Domino, sorte ac hæreditate mea pendeo, ad illum suspicio, hunc toto corde inuoco, spem omnem in illum colloco, fide potentiæ, bonitatis, iustitię ac veritatis illius nitor: in summa, respectu illius firmam & inconcussam fiduciam in omnibus tribulationib. concipio. *Quoniam à dextris est mihi, ne mouear.* rationem fiduciæ suæ ponit his verbis. Sumit autem eam ab experientia diuinæ protectionis. quasi dicat: Opem & protectionem illius iam toties expertus sum, in tot mihi periculis præstò fuit, ac se veluti dexteræ meæ coniunxit. Est autem à de-

B xtris cui piam stare, causam illius in iudicio suscipere, illiq; patrocinari, vel in conflictu contra hostem suppetias ferre. Hinc sumpta metaphora, *stare à dextris*, idem est quod defendere, asserere, & eripere. Illud, *Ne mouear*, potest in futuro sic legi, *Ne mouebor.* Est enim Ebraicè בל אמוט.

Propter hoc lætatum est cor meum.] Fides diuinæ prouidentiæ gaudium cordis generat. De hoc est quod dicit: *Propter hoc lætatum est cor meum.* Non simpliciter, *Lætatum cor meum*: sed, *Propter hoc*, inquit, *lætatum est cor meum.* Propter quid? Dixit versu præcedenti: *Quoniam à dextris est mihi, ne mouear.* Hęc erat Prophetę fiducia de Deo suo. Ex hac gaudebat cor eius. poterat dicere: *Propter hoc lætatus sum*: verùm sic visum est illi exprimere, quàm verè & ex intimis affectib. gauisus sit. Et quod subiungit: *Et exultat gloria mea*: siue de lingua sua, siue de musico instrumento, vel de spiritu suo loquatur, significationem habet lætitiæ exuberantis. Huic addit spem veræ immortalitatis, dicens: *Etiã caro mea requiescet in spe.* q.d. Quamuis mortalis & moriturus sim carne, ita me tamen immotè permansurum confido, vt ne caro quidem mea prorsus sit interitura, quam spe bona quieturã, & resurrectionẽ expectaturã scio. *Vers. 9.*

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, &c.] Autoritate Petri apostoli loquitur hîc Prophe- *Vers. 10.*
ta de resurrectione Christi, sub cuius persona est ista vaticinatus. qua de re vide Actor. 2 vbi sic legimus: Quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illum ab ea.
» Dauid enim dicit de eo: Prouidebam Dominum coram me semper, quoniam à dextris est mihi,
» ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea
» requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec sines vt sanctus tuus
» videat corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fra-
» tres, quandoquidem licet liberè dicere apud vos de partiarcha Dauid quòd & defunctus est & se-
» pultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsq; in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, &
» sciret, quòd iureiurando iurasset sibi Deus, futurum, vt de fructu lumbi ipsius, quantum ad carnem,
» Christus exoriretur, ac sederet super sedem eius: præscius loquutus est de resurrectione Christi,
» quòd non derelicta sit in inferno anima eius, neq; caro eius viderit corruptionem. Hunc Iesum susci
» tauit Deus, cuius omnes nos sumus testes, &c. Hæc Petrus, quibus, instinctu Spiritus sancti præsen-
tis loci mentem aperit, quòd videlicet de resurrectione Christi loquutus sit Propheta, futurumque prædixerit, vt nec anima eius in inferno maneat, nec caro corruptionem videat in sepulchro: quæ vtriq; sic ad Christum pertinent, vt Dauidi tribui nequeant, cùm reliqua vtriq; sint communia. Sic
» & Paulus Actor. 13. præsentem locum vsurpauit, dicens: Quòd autem suscitauit eum à mortuis,
» iam non ampliùs reuersurum in corruptionem, ita dixit: Dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideo &
» alìas dicit: Non permittes vt sanctus tuus videat corruptionem. Nam Dauid quidem cùm suæ ætati
» inseruisset, consilio Dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, vidit corruptionem. At is quem
» Deus suscitauit, non vidit corruptionem. *Hæc Paulus.* Quib. iterum declaratur, ea quæ versu hoc decimo leguntur, sic pertinere ad Christum, vt de Dauide intelligi non possint. Cætera verò talia sunt,

vt & Dauidi & Christo tanquam filio hominis, imò electis etiam ac pijs omnibus pulchrè compe- A
tant.

Dicit itaq; vates in persona Christi: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* quasi dicat: Tam certus sum, mansurum me perpetuò: vt etiam vbi mortuus fuero, in morte tamen detineri nequeam, ideo quòd nec animam meam in inferno, nec carnem in sepulchro sis deserturus: sed vtramque sic confestim seruaturus, vt & illa mox educta corpori restituatur, & hæc corruptionem in sepulchro ne videat quidem. Non dicit, *Educes animam meam ex inferno, & liberabis sanctum tuum à corruptione:* sed per negationem, quæ vehementior est affirmatione: *Non derelinques,* inquit, *animam meam in inferno, nec dabis vt sanctus tuus corruptionem videat.* Nec dicit, *Nec dabis vt sanctus tuus corrumpatur:* sed quòd amplius est, *Vt sanctus tuus corruptionem videat.* quasi dicat: Tam abest, vt corruptionem carnis meæ timeam, vt sciam me illam ne visuram quidem. Collige nunc, animam ex inferno, & carnem ex sepulchro, idq; tam citò, vt caro corruptionem ne videre quidem potuerit, & habebis resurrectionem Christi, quasi tertia die futuram, à Propheta prædictam: vt non immeritò de illa verium hunc Petrus & Paulus vsurparint, deque Dauide intelligi posse negarint, quamuis de illo Ebræ. exponant, dicentes: *In hac vita adhuc existens quiescet caro mea confidenter, eò quòd me eripies ex omni molestia.* Verùm in mysterio respicit ad statum post mortem: docens, quòd in carne sua nec corruptiò nec vermes dominari queant. Nõ vident cæci, etiamsi magnatum corpora myrrha condîta à putrefactione seruentur, carnem tamen ipsam consumi: deinde non fuisse Dauidi rationem ista de se tantopere prædicandi, cùm passim magnatum corpora etiam impiorum sic condi consueuerint: Tertiò, conseruationem hanc à corruptione non dari condituræ myrrhatæ, sed diuinæ virtuti, cùm dicit: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Sed sic coguntur hallucinari & cæcutire, quotquot mentem à luce veritatis, quæ est in Christo seruatore, auertunt, & seipsi studiò tenebris ignorantiæ inuoluunt.

Vers. vlt. *Notam mihi facies semitam vitæ,* &c.] Duo habet hic versus. Primò, velut exponit quod præcedenti dictum est. Significat enim Propheta, Christum à mortuis ad vitam, anima & carne in vnum rursus coniunctis resurrecturum. *Notam,* inquit, *facies mihi semitam vitæ:* hoc est, excitabis me à mortuis, & ad vitam induces. Habet enim ista demonstratio semitæ vitæ, quã Christus à Patre à mortuis excitatus accepit, non ociosam quandam intelligentiam, sed rem ipsam: hoc est, ipsum ingressum ac transitum à morte in vitam. Hoc sensu & nos Germani verbũ demonstrandi, & ostendendi nõnunquam, non de ociosa ac nuga scientia, quæ verbis tradatur, & intellectu tantùm capiatur, sed de viua expe- B
rientia, quæ reipsa præstetur, vsurpare solemus, cùm dicimus: Ich will dir ein weg zeigen/den du noch nicht weist.

Deinde de lætitia & iucunditate futuræ & æternæ vitę, quam erat Christus post resurrectionem ingressurus, spe firma gloriatur, dicens: *Satietatem lætitiarum* (intellige, notam mihi facies) *cum vultu tuo, iucunditates in dextera tua in seculum.* Hisce verbis abundè satis indicat, loqui se non de transitu ad præsentis seculi vitam, quę plena est miserijs, ad quam excitati sunt nonnulli mortui: sed de transitu ad cœlestem & æternã vitam, pariter & lætitiam, quam in conspectu Dei habebunt electi. Atq; ita satis expressè loquitur, non dicens simpliciter, *Lætitias:* sed, *Satietatem lætitiarum.* Deinde addens: *Cum vultu tuo:* item, *In dextera tua:* innuens se de cœlesti visione Dei loqui, quæ vtiq; ad futurum est reseruata seculum. Tertiò & dictionem נצח subijciens, quæ significationem habet *æternitatis,* & referenda est non solùm ad iucunditates, sed & ad vitam, & lætitiarum satietatem.

OBS. 1. *Posui Dominum in conspectu meo semper.*] 1. Vt particulam hanc diligenter expendamus, considerandum primùm est quid sit ponere Deum in conspectu nostro. Non dicit *Positus est Dominus:* sed, *Posui Dominum in conspectu meo.* Aliud est, poni: & aliud, ponere Dominum in conspectu nostro. Illud iræ & iudicij Dei, hoc fidei nostræ significationem habet. Ponit se Deus ipse in conspectum impiorum, quando eos sensu iræ suæ meritaq; plaga percellit. Sic Psalm. 50. Hæc fecisti, *inquit,* & tacui, existimasti me similem esse tibi, redarguam te, & resistam in oculos tuos. Ponunt verò pij Deum in con-
spectu suo, quando aliter animati non sunt, quàm si Deum in omnib. præsentem & ipsis oculis con-
spicuum, omniumq; cùm factorum tùm cogitationum, item & patiendorum inspectorem habeant. Res hæc omnino magnæ fidei est, & reuerà cœlestis eruditionis, quæ doctore Spiritu sancto in intimis affectum sedibus acquiritur, Deum illum inuisibilem, qui nec videri, nec sentiri potest, ante ipsum conspectum in omnibus habere præsentem. Cogitemus hoc loco, quanto satius sit, pura ac sincera fide sic coram Domino Deo nostro conuersari, vt eum perpetuò ante oculos nostros præsentem contemplemur: quàm contempto eo tandem cum impijs experiri, quanto cum terrore iratum vultum impœnitentium oculis obijciat.

2. Deinde considerandum est, quomodo pij Deum bifariam in conspectum suum ponant. Primùm sic, vt in illis quæ vel agenda sunt, vel omittenda, mentis oculos in voluntatem illius vnicè & immotè defixos habeant, & obseruantia illius quæ facienda sunt, sedulò faciant, & quæ omittenda, religiosè omittant: ita vt conspectus Dei moderator sit & custos omnium agendorũ, ac totius vitæ. Sic Ioseph. Genes. 30. vxori Putipharis heri sui, ad intentatum flagitium timore Dei custoditus, consentire noluit. Sic Daniel edicto Regis eâdem pietate non paruit. Sic Susanna duobus scelestissimis senibus acquiescere noluit, dicens: Melius est absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Econtrariò peccant hinc impij securiùs, quòd timore Dei destituti, «
Deum in conspectu suo non ponunt. Vide Psalm. 10. 54. 86. 114. Deinde etiam pij Deum in con- «
spectu suo ponunt, vt in rebus aduersis ac periculosis bonitatem, fidem, veritatem, gratiam & miseri
cordiam illius ob oculos ponant, & inde fiduciam cordis concipiant. Huc pertinet præsens versus.

Tertiò

A Tertiò sunt etiam emphases verborum considerandæ. 1. Principiò שמרתי inquit: id est, *Posui*, firmiter statui, semel huc me totum dedi, vt Dominum Deum meum habeam in conspectu meo semper. Non habet hîc locum opinio inconstans, sed firma fides animi à Deo pendentis. Non est piorum, temerè, nullo certo scopo proposito, non viuere, sed instar arundinis quouis vento rapi. 2. Deinde, *Posui*, inquit, יהוה: id est, *Dominum existentem, omnis vitæ fontem.* Hic est pijs vnicum omnium actionum, consiliorum, fidei, spei & patientiæ obiectum, Qui aliò respiciunt, eidolum cordis sui adorant. 3. Tertiò, *In conspectu meo*, inquit. Non dicit, *in templo, in simulacro, in sacello, in sacrario* vel *sacramentario*: sed *In conspectu meo, ante oculos meos*, vt vbicunq; locorum sum, in publico, in occulto, in sacro, in prophano, ad illum suspiciam. 4 Quartò. Non dicit, *aliquando*: sed, *semper*: hoc est, in omnibus vel agendis, vel ferendis, idq; à iuuentute. Sunt qui tempore aliquo ad Deum suspiciant, verùm leui tentatione moti, oculos aliò detorqueant. At ea demum vera pietas, fides ac religio est, quæ non certis diebus, more superstitiosorum, sed perpetuò & indesinenter Deum ob oculos habet.

Quoniam à dextris est mihi, ne mouear.] Tria sunt hîc notanda. 1. Vnum, non deserere Deum in se sperantes, sed stare ab illorum dextris ad protegendum eos, liberandumq; & eripiendum ex omnibus Obs. 2.
» periculis. Sic infrà Psalm. 91. Cum ipso sum, *inquit*, in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.
» Considera rursus exempla Ioseph, Genes. 39. Triũ puerorũ, Dan. 3. Danielis. c. 6. Susannę Dan. 13.
2. Deinde protectionem hanc Dei sanctis esse certam ac persuasam, non solùm quòd reliquis, sed & quòd ipsis præstò sit. Non enim dicit hîc Dauid, *Quoniam à dextris est pijs ac iustis*: sed, *Quoniam à dextris est mihi*. In tentationibus quidem caro fluctuat, & desertam se esse putat, sicuti & in Dauide hoc
» cùm alibi dicit: Vsquequò Domine stas à longè? item, Proiectus sum à facie oculorum tuorum, &
» in Christo patet, cuius hæc in cruce vox erat: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Ve-
» rùm extra tentationẽ spiritus piorum sic fide certus est, vt dicat: *Quoniam à dextris est mihi*, &c. 3. Tertiò securos etiam esse sanctos, ac certos, quòd perituri non sint, propter præsentiam diuinæ protectionis. *Non mouebor*, inquit, Non dicit, *Non adfligar, non tentabor*: sed, *Non mouebor*. Adfligebatur ac tentabatur sanè multis ac magnis tribulationibus, verùm non sic deserebatur, vt periret. Posset suos Deus hactenus tueri, vt nullis periculis obijcerentur, nec opus esset aliqua protectione: id quod etiam in futuro seculo non ad tempus aliquod, sed perpetuò faciet, verum donec in carne sunt, & præsens hoc seculum incolunt, vt in fide, spe ac patientiâ exerceantur, committit eos multis tribulationibus: & interim multis argumentis gratiam, fidem ac bonitatem suam in illis declarat. Exempla sunt in patribus, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mose, Prophetis, Christo & Apostolis. Itaq; sancti, quamuis magis adflictionibus impetantur in hoc Mundo, fide tamen diuinæ protectionis certi ac persuasi dicunt: Dominus est nobis à dextris, non mouebimur. Et impiorum quidem hæc vox est:
B Non mouebor in seculum, ero sine malo, sicuti vides suprà Psalm. 10. & Babylon dicit: In sempiternum sedebo domina. Verùm falluntur. Non enim inde spem hanc concipiunt, vnde habent eam *Esaiæ 47.*
» sancti. Non dicunt cum pijs: *Posui Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi*: sed, *Non est Deus*, inquiunt. Vnde citato iam Psalmo de illis legitur ad hunc modum: אין אלהים כל מזמותיו: id est, *Omnes illius cogitationes sunt, non esse Deum.* Vnde ergo pollicentur sibi summam hanc securitatem? Ex fiducia carnis, & rerum præsentium intuitu. Sic Babylon amplitudine potentiæ, sapientiæ ac scientiæ suæ decepta fuit: Esaiæ 47.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultat gloria mea.] 1. Habemus hîc expressam velut imaginem quandam veri gaudij: primùm vnde nascatur, deinde quid operetur. Fons ac radix illius in eo con- Obs. 3. *Imago veri gaudij.*
sideratur, quòd non simpliciter dicit: *Lætatum est cor meum*: sed, *Propter hoc* (inquit) *lætatum est cor meum.* Lætantur etiam corda filiorum huius seculi: verùm plurimùm refert, vnde quis gaudeat. Etenim propter res vanas & nihili, imò plerunq; falsas gaudere, vanũ est, & deceptio magis quàm vera lætitia. Propter ea quæ mala sunt & illicita gaudere, auxesis peccati, & præludium imminentis tristitiæ est, non gaudium. Gaudent adulteri, gaudent fœneratores, gaudent raptores, &c. voti compotes facti: verùm pessimo gaudij genere gaudent: At cor Dauidis aliunde lætatum est. *Propter hoc*, inquit, *lætatum est cor meum.* Propter quid? Quòd à dextris esset sibi Dominus, ne moueretur. Ergo gaudij illius causua erat diuinæ protectionis gratia, in omnibus periculis præsentissima. Hoc genus gaudij & diuinum, & verum, & constans est, propter diuinam, veram & constantem illius causam.

2. Deinde videmus hîc, quid gaudium cordis ex fide diuinæ protectionis conceptũ operetur. Cùm dixisset: *Propter hoc lætatum est cor meum*; subiecit: *Et exultat gloria*: id est, *lingua mea.* Ergo gaudium piorum cordium adeò est exuberans, exultationem linguæ: id est, gratiarum actionem ac laudem diuinæ bonitatis gignat. Hæc est apertio illa labiorum, pro qua vates infrà Psalm. 51. orat dicens:
» Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Hanc linguæ exultationem homines carnalissimi non exprimendo, sed simulando, in quæstum omnium turpissimum verterunt.

3. Præterea & hoc notandum est, quòd linguam suam Propheta propter exultationem cordis sui, & diuini nominis glorificationem, vocat *gloriam suam.* Admonemur hac loquutione, quid lingua nostra vocari debeat. Iustum est, vt nomen habebat quod operi ipsius correspondeat. Si Deum glorificat, gloria nostra: si docet, doctrina nostra: si consolatur, consolatio nostra: rursus, si scurrilia vel loquitur, vel cantat, scurrilitas nostra: si mentitur, mendacium nostrum: si fallit, fallacia nostra: si blasphemat, blasphemia nostra vocentur. Deploranda hîc venit Christianæ iuuentutis corruptio, qua linguas suas, quibus Deum ac patrem Domini nostri Iesu Christi psalmis & canticis spiritu alibus, secundum admonitionem Apostolicam, Ephes. 5. glorificare debebant, vanis, secularibus, scur-
» rilibus, imò prorsus lasciuis & impudicis cantilenis accommodat. Si bonos mores colloquia praua
» corrumpunt: 1. Cor. 15. quid huiusmodi cantilenæ ad bonorum morum & pudicitiæ corruptionẽ

non

non poterunt? Agnouit hoc etiam Plato, qui in Legibus suis ad hunc modum statuit: Summopere A
cauendum est, ne pueritia in cantibus & saltationibus noua vnquam audeat imitari: sed Ægyptiorum morte tripudiorum cantuumq; genera dijs omnia consecrentur. Quòd si quis aliter quàm constitutum, si hymnis choreisq; vtatur, sacerdotes tàm viri quàm mulieres, cum legum custodib. eum sanctè & legitimè arceant: & qui repulsus fuerit, nisi libenter obtemperauerit, per totam vitam cuiquam volenti pœnas impietatis persoluat. Nemo audeat præter publicos saceroſq; cantus aliquid canere, &c. Item, cantuum genus omne in benedicendo & feliciter ominando versetur, sitque hæc prima lex. Secunda, vt preces dijs, quibus libamus, effundantur. Tertia, vt cum poëtæ preces ipsas petitiones hominum esse, quæ à dijs fiant, non ignorent, diligenter aduertant, ne mala quasi bona postulent: neq; audeat quisquam poëtarum verbis aut cantu præter ciuitatis leges etiam iusta, honesta & bona fingere: nec quæ composuerit, vlli priuatorum ostendere, antequam constituti hac de re iudices, legumq; custodes & viderint, & approbauerint, &c. Delecti autem non pauciores quàm 50. annos nati sint, qui quæ sufficienter dicta esse videantur, deligant: quæ verò improbè dicta, reijciant omnino: & quæ minus sufficienter, corrigant atq; absoluant, & ad legumlatoris voluntatem cantum omnem prudenter dirigant. Hæc Plato, homo gentilis, veri Dei ignorans, sic statuit, vt corruptionem ac prophanationem Christiani status summo probro afficiant, eos præsertim qui sacros Psalmos Hieronymi tempore vulgò, ruri etiam & in officinis decantatos, populo Christianorum denegant, & prophanas ac lasciuas cantilenas liberè & impunè permittunt. Illis Christiani & catholici hominis indicium est, cantio turpis ac scurrilis: contrà, si Psalmum audiant, mox hæreſis & schismatis calumniam intentant. Si Christum, Euangelium, S. Scripturam sones, hæreticus: si blasphemias, & omnis generis scurrilia frequenter expuas, catholicus haberis.

OBS. 4. *Etiam caro mea requiescet in spe.*] 1. Primùm illud obseruandum est, quòd mortem carnis interpretatur esse *quietem*, non *interitum* Ergo carni piorum sepulchrum non est fouea, sed lectulus quieti destinatus. Magnum est hoc mortis beneficium, quò fit vt caro in hac vita multis ac varijs laboribus, molestijs & doloribus obnoxia, tandem molestissimo veluti iugo liberata, in sepulchro, perinde atque molli quodam lectulo quiescat. 2. Deinde, non simpliciter dicit, *Quiescam*: sed, *Caro mea requiescet*: ne locus sit illis, qui & carnem & animam simul mori, & simul vsq; ad diem Domini quiescere putant. Carni datur hæc dormitio, non spiritui. 3. Tertiò, addit, *In spe*: resurrectionis videlicet. Huc prospicit animus pius: nec prospicit tàtùm, sed & ingemiscit, ac suspirat. Hac spe carnem suâ morti ac sepulchro, perinde atq; dormiturus euigilationis spem habens, corpus suum somnò ac lectulo permittit

OBS. 5. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, &c.] 1. Quoniam hic versus, Apostolico testimonio, soli Christo competit, quærendum venit hoc loco, quânam illum ratione sic carne mori ac sepeliri, B
& spiritu ad inferos descendere oportuerit, vt tamen nec anima illius in inferno derelinqueretur, ne caro in sepulchro corruptionem videret, sed tertia die resurgeret. Habet quidem præsens locus vaticinium satis luculentum de morte ac resurrectione Christi: verùm quod sit eius rei mysterium, Propheta non expressit, continens se in modulo, veteri Testamento competenti, & reuelationem illius noui Testamenti luci reseruans. Mysterium hoc absconditum à seculo erat, quòd morte scilicet Christi genus humanum ex inferno & potestate peccati ac mortis liberari deberet: sic tamen, vt ipse mortis & inferorum victor, nec morte nec inferis teneretur, sed de vtriusq; potenter triumpharet. Itaq; mori Christum oportuit, non vt simpliciter mortuus esset, sed vt morte sua mortem vinceret, & eum prosterneret qui habebat mortis imperium. Ebr. 2. sepeliriq;, non vt in sepulchro communi mortuorum lege corrumperetur, sed vt de veritate mortis eius certum experimentum caperetur, & virtuti resurrectionis via pararetur: deniq; ad inferos descendere, non vt anima illius infernali potestati subijceretur sed vt deiectis inferorum portis, ab ea potestate animas nostras liberaret. Hisce de causis, sicut Petrus Actor. 2. testatur, impossibile erat vt ab inferis tentaretur. Simul etiam hac imagine morientis, sepulti, ad inferos descendentis, inde reuersi ac tertia die resuscitati, ac paulò post in cœlos recepti, Christi imagine delineatum est, quid nobis, qui Christo insiti sumus, polliceri debeamus. De articulo autem descensus Christi ad inferos, clam me non est quàm varia sit eruditorum sententia. Obscurus quidem est, & multis disputationibus obnoxius: verùm ex eo nemo piorum verbis Apostolicis repugnabit, aut vim aliquam inferet: sed lucem huius rei à Deo petet, & interim simplici fide verbo veritatis adhærebit, etiamsi modum adimpletionis illius perspicuè intelligere nequeat. De hoc articulo vide *Augustin.* Epist. 99. 2. Deinde considerandum est, quòd non dicit, *Sanctus tuus corruptionem non videbit*: sed, *Tu non dabis*, inquit, *vt sanctus tuus corruptionem videat.* Itaque incorruptio ista, quam de corpore Christi vaticinatus est Propheta; non est carnis ipsius naturæ, sed diuinæ dispositioni adscribenda. Sic Deus pater causam hanc dispensauit, vt caro sancti Filij sui mori quidem posset, corrumpi vero non posset. Notanter posita est dictio *Sancti*, quam & mali spiritus Christo tribuerunt, dicentes: Scimus quòd sis sanctus Dei. Marci 1. Lucæ 4. Huius ob id admoneo, vt veritatem carnis Christi illibatam retineamus. 3. Tertiò, poterit hîc quæri, quare non & nostra corpora sic seruentur, vt corrumpi nequeant, cùm & ipsa sancta sint, & ab Apostolo templa Spiritus sancti vocentur? Facilis autem est quæstionis huius solutio. Licet enim eadem sit Christi caro cum hac nostrâ, & sancta sint etiam nostra corpora: hactenus tamen à corpore Christi discriminantur, quatenus ea quæ illi contigerunt, non humanæ naturæ simpliciter, sed dispensationi redemptionis nostræ sunt tribuenda. Mortuus est pro nobis. vnde tamen non sequitur, quòd nos à morte corporis liberati simus. Caro illius corruptionem non vidit. non est hinc sperandum carni nostræ, quòd nec ipsa sit corruptionem visura. Resurrexit tertia die. hinc nobis datum non est, vt & nos tertia die resurgamus. Satis sit, quòd à mortè animæ, sempiterna illa,

libera

A liberati sumus, & resurrectionem corporum nostrorum in extremo die virtute ipsius futurum expectamus.

Notam mihi facies semitam vitæ.] 1. Primùm illud obserua, quòd cùm de vita cœlesti & æterna loquatur, sine vlla specificatione simpliciter eam *vitam* vocat. Admonemur, futuram & æternam vitam solam esse dignam quæ vita vocetur. Hæc præsens enim, si penitùs introspiciatur, & cum futura illa conferatur, vmbra potiùs vitæ quàm vita dicenda est. Quàm sunt igitur dementes, qui propter inanem ac transitoriam vitæ vmbram, veram vitam negligunt. 2. Deinde in eo quòd dicit: *Notam mihi facies semitam vitæ*: considerandum est viam vitæ sic esse mortalibus occlusam & absconditam, vt nemini pateat. Hoc erat, quòd viam ligni vitæ Deus, adhibitis Cherubim & flammeo gladio, ne ad hanc accessus esset Adamo, vt viueret in sempiternum, occlusit, & inaccessam reddidit: Gen. 3. OBS. 6.

3. Tertiò. Videmus hoc versu, vni Christo reuelatam & monstratam esse viam vitæ: quod nihil est aliud, quàm Christum esse eum qui mortis & inferorum fregerit imperium, atq; ita factus sit autor vitæ per obedientiam ac mortem crucis, sicut Adam factus fuerat autor mortis per inobedientiam ac transgressionem D. præcepti. Vide Roman. 5. Hinc sunt illa Ioan. 6. Ego sum panis vitæ. » Ioan. 11. Ego sum resurrectio & vita. Ioan. 14. Ego sum via, veritas & vita. Et 2. Tim. 1. Destruxit » mortem, & manifestauit vitam & incorruptionem. Et 1. Ioan. 1. Et vita manifestata est. Et Apocal. 2. » Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio paradisi.

Satietatem lætitiarum cum vultu tuo.] 1. Primùm illud obseruemus, quòd plenam & perfectam lætitiam adscribit vultui: id est, visioni Dei. Et in hac quidem vita lætantur pij, faciem Dei patris in Christo illius imagine contemplantes: verùm ea contemplatio, quoniam perfecta non est, sed fide constat, non specie, non potest satietatem istam lætitiarum conferre, quam in futuro, videntes Deũ facie ad faciem, consequemur. 2. Deinde videmus hîc Christum passionis tempore propositum sibi gaudium, quod habiturus erat in conspectu Dei patris, atque huius respectu sustinuisse crucem: » cuius nos exemplo Paulus Ebr. 12. ad tolerantiam crucis hortatur, dicens: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes ad autorem fidei, & consummatorem Iesum: qui » proposito sibi gaudio sustinuit crucem, & confusione contempta sedetâ dextris Dei. 3. Tertiò, notandum est, quòd non determinat lætitiarum istarum vel quantitatem, vel numerum, vel speciẽ, sed simpliciter vocat eas *lætitias*, easque plenas & integras. Sic Christus Matth. 5. discipulos consolari volens, dicit: Gaudete in illo die: & exultate: multa est enim merces vestra in cœlo. Non exprimit mercedis huius quantitatem, vel speciem, sed vocat eam *multam*. Tanta est futurarum lętitiarum » felicitas & copia, vt definiri nequeat. Sic Paulus dicit: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in » cor hominis ascendit. 4. Quartò, & illud notemus quòd dicit: *Cum vultu tuo.* Imago ac typus quidam huius rei præcessit in Salomone, de quo 2. Paralip. 9. legimus, quòd cuncti reges terræ (& 1. B» Reg. 10. omnis terra) faciem illius videre gestierint. Et quòd regina Saba, conspecta illius gloria » obstupuerit, ac dixerit: Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant hîc coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Non sunt hæc propter Salomonem tantùm scripta, sicuti nec facta, sed exemplar quoq; propositum est rerum cœlestium & futurarum in regno Patris nostri. Ex figura veritas consideretur. Vide infrà Psalm 42. quanto cum desiderio Dauid tabernaculum Dei intrare, & faciem illius: id est, arcam testamenti videre, cùm in exilio esset, cupiuerit. Si tantum erat viro Dei absentis arcæ desiderium, quantum debet nobis esse ipsius faciei, quam in cœlestibus sine fine videbimus? Non possum hîc non detestari temeritatem eorum, qui fidelium infantes ante baptismum mortuos, non quidem inferno adiudicarunt: hac tamen lætitia vultus Dei, quantum in ipsis est, priuarunt. An' non hoc ipsum est inferno tradere conspectu Dei priuare? Legissent saltem Bernhardum, qui disertè dicit: Non priuatio, sed contemptus baptismi damnat. OBS. 7. *In hoc seculo nusquam est lætitiæ satietas.*

Delectationes in dextera tua vsq; in seculum.] Principiò, illud expende, quàm scitè dexteræ Dei Propheta recordetur hoc loco, cum de Christo vaticinatur: imò ipsam Christi personam induit. Erat enim sessurus à dexteris Dei. 2. Deinde obseruandum est, quomodo vtrinq; lætitiæ mentionem faciat, cùm suprà versu octauo, & nono, dicens: Posui Dominum in conspectu meo semper, quoniã » à dexteris est mihi ne mouear. Propter hoc lætatum est cor meum, &c. tum hoc versu, quo vultui ac » dexterę Dei satietatem lætitiarum & delectationes æternas adscribit. Admonemur hîc, omnem lætitiæ causam pijs esse ex præsentia Dei, tàm in præsenti hac, quàm futura vita: in præsenti, quòd ipse à dexteris eorum est: in futura, quòd illi ab ipsius dextera stabunt. OBS. 8.

PSALMVS XVII.

ORATIO DAVIDIS.

Psalmi huius epigraphe nihil habet, vnde argumẽtũ illius colligi possit, nisi duo hæc: primùm, quod sit oratio: deinde, quòd Dauidis sit oratio. Ebræorum quidam putant, hoc Psalmo orasse Dauidem, pro remittendo sibi peccato Bathsaba, ne propter illud iudicaretur à Domino. Verùm nihil huius potest colligi ex ipso Psalmo. Alij tàm ex Iudæis, quàm nostris, dicunt esse oratiõẽ Dauidis contra ipsius inimicos, quæ mihi sententia placet: sic tamen, vt peculiariter contra Saulis improbitatem orari intelligamus, sicut facilè liquet ex Psalmis consimilibus, 7. 55. 56. 57. 58. 59. in quibus ferè eadem habentur. deinde ex versibus quoque 12. & 13. quibus præcipuum aliquem perstringi, ac leoni comparari videmus. Et Græca quædam scholia sic habent διαπόρως ὑπὸ τῶν σαὰλ, καὶ παντοδαπὰς ὑπιδὰς τῶν ὅλων θεὸν εἰς ἐπικρείαν ἐαυτῶν. *Est itaque hic Psalmus oratio Dauidis, persequutione Saulis adflicti, qua causam suam Deo tanquam iusto iudici supplex, & non sine miserabili eiulatu commendat: vt solent qui iniuria à potentioribus*

tioribus opprimuntur. petitq; vt insontē ab improbis vindicet ac liberet: & tandem Psalmū sic concludit, vt dicat se aliquando faciem Dei cum gaudio contemplaturum, quòd se innocentem deseri non posse sciat.

VERS. I. *EXAVDI Domine iustitiam, attende ad clamorem meum: ausculta deprecationem meam, sine labijs dolosis.*

2. *A facie tua iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.*

LECTIO. Vers. 1. *Exaudi Domine iustitiam.*] Ebr. שמעה יי צדק. Græc. ἐισάκουσον κύριε δικαιοσύνης μου. Vulg. Lat. *Exaudi Domine iustitiam meam.* Et Arabs ad eum modū legit: *Audi Domine Deus iustitiam meam.* Chald. *Suscipe Deus orationem meam in iustitia.* Hieron. *Audi Deus iustum.* Hic pro צדק legit צדיק, sicut & Aquila. Symmachus & Theodotion: *Exaudi Domine iustitiæ.*

Vers. 2. *Attende ad clamorem meum.*] Ebræ. רנתי. Græc. τῆ δεήσει μου. Vulg Lat. *Deprecationem meam*: quemadmodum & Hieron. Chald. *Laudationi meæ.* significat autem רנה, & *laudem* & *lamentabilem clamorem.*

EXPLANATIO. Vers. 1. *Oculi tui videant æquitates.*] Ebr. עיניך תחזינה מישרים. Quidam legunt, *Vident*: quidam, *Videbunt æquitates*: aut, *Quæ recta sunt.*

Quærebatur Dauid à Saule ad necem hoc nomine, quòd esset affectator regni, ac vitæ illius insidiaretur. Horum autem ille nihil se vnquam ne somniasse quidem, sed animo simplici gloriæ Dei ac commodis populi studuisse sciebat, etiamsi per Samuelem in regiam esset dignitatem iussu Dei inunctus. Itaq; causam hanc suam Domino tanquam iusto iudici commendat, & opem illius implorat dicens: *Exaudi Domine iustitiam*: hoc est, Succurre iustitiæ, quæ vi iniusta opprimitur, nec inuenit hîc in terris assertorem ac vindicem. Et vt de qua iustitia loquatur, exprimat, subdidit: *Attende ad clamorem meum, auscultа deprecationem meam.* q. d. continuo & miserabili clamore auxilium tuum iniuria profligatus & pressus imploro, quem nolis despicere, sed admotis auribus percipere. Illud *Sine labijs dolosis*, adiectum est, ad significandum petitionis huius sinceritatem. Auscultа, *inquit*, deprecationem meam, quam corde vero ac sincero simpliciter absq; vllo figmento profero.

Vers. 2. *A facie tua iudicium meum prodeat.*] Hoc versu incipit exprimere, quid petat à Deo, quid clamet ac precetur. *Iudicium meum*: inquit: id est, iudicium quo causa mea asseratur ac vindicetur, à facie tua prodeat, oculi tui videant æquitates: id est, ea quæ recta sunt, iusta, & æqua. Quasi dicat, causa mea periclitatur in hoc Mundo. Nemo hîc est, qui rationem habeat innocentiæ meæ, & causæ iustæ succurrat: quapropter ad te Domine confugio, suppliciter orans, vt inter me & inimicos meos iudices, & quæ recta sunt aspicias: qui non accipis personam cuiusquam, sed perinde abiectio atq; omnium potentissimo iudicas. Iudicium prodire à facie Dei, est Deum ipsum pro tribunali sedentem pronunciare ac iudicare: & oculos Dei videre æquitates, nihil est aliud, quàm nec in gratiam, nec odio cuiusquam, ab eo quod iustum & æquum est, in ferendo sententiam deflectere.

OBSER. Vers. 1. *Exaudi Domine iustitiam.*] 1. Duo sunt hîc notanda. Vnum, quòd causam suam transfert ad ipsam iustitiam, vt significet, non tàm sibi quàm ipsi iustitiæ vim inferri ab improbis, ac violentis oppressoribus. Etenim sicut in ipsam naturam humanam peccatur, quando peccatur in hominem: sic in ipsam iustitiam & innocentiam peccatur, quando peccatur in iustum & innocentem. Alterum, quòd iustitiam inducit ad Dominum, tanquam iustum iudicem, clamantem. Non dicit, *Exaudi me Domine*: sed, *Exaudi Domine iustitiam.* Admonemur itaq; hac loquendi formula, vt iustitiæ & innocentiæ studentes, si opprimamur, sciamus non tàm in nos quàm in ipsam iustitiam & innocentiam peccari, illamq; ad Dominum pro assertione ac iusto iudicio in cœlos clamare, & dubio procul audiri. Simul caueamus, ne quem per iniuriam lædamus, nec cuiusquam personam, quantumuis humilem contemnamus: sed perpetuò iustitiam ipsam ob oculos habeamus, ne illa, si lædatur, ad vindicem sui in cœlos contra nos vociferetur.

Attende ad clamorem meum.] 2. Considerandum est hîc, quòd cùm dicendum esset: *Attende ad clamorem eius*, iustitię videlicet, dicit: *Attende ad clamorem meum.* Ergo iustitia ab improbis læsa, clamat ad Dominum, quando iustus oppressus ad Dominum clamat, vt clamor illius sit clamor iustitiæ: & dum iustus clamando ad Dominum exauditur, ipsa iustitia exaudiatur.

Ausculta deprecationem meam.] 3. Obseruandum hîc est, quòd in causa iusta non solùm clamauit ad Dominum, sed & clamori deprecationem adiunxit. Significatur hoc orationis genere, tametsi à nobis stet, & ad Deum interpellet ipsa iustitia, innocentia & æquitas, contà inimicorum malicia & iniquitas vltrò iram Dei aduersum ipsos prouocet: non tamen agendum esse nobis coram Deo solis querimonijs, accusationibus & vociferationibus, sed supplici etiam deprecatione. Non enim ita iusti sumus, vt irreprehensibiles coram eo simus, quem tanquam iustum iudicem inuocamus. Non conuenit iustitiam Dei sine humili deprecatione, implorare, pro qua impetrata vtiq; gratias agere debemus.

Sine labijs dolosis.] 4. Admonemur hîc, quid requirat ab illis, qui iustitiam ad Deum clamando prætendunt: hoc videlicet, vt id faciant labijs non dolosis, sed veris. *Dolosa labia* sunt, primùm eorum qui causam iustam prætendunt, cùm sint iniusti, & adfligantur meritò: id quod frequenter, & multis accidit. Paucissimi sunt, qui culpam suam, vbi adfliguntur, agnoscant. Deinde & eorum, qui etiamsi iustam causam habeant, seipsos tamen magis quàm causam iustitiæ spectant. Hic Dauid, si seipsum quæsiuisset magis, quàm ipsam gloriæ Dei & populi oppressi causam, poterat hostem suum Saulem secundò absque vllo negocio opprimere. Verùm malebat causam suam Deo iusto vindici commendare, quam etiam ad illum potissimùm pertinere sciebat. Reperiam hodie multos, qui in causa quidem bona, Euangelij scilicet, & doctrinæ salutis, ab improbis adfligantur: verùm non tàm ipsi causæ, quàm sibi ipsis consultum cupiant. Hi certè non magis, quàm priores, veris labijs ad Deū

clamare,

A clamare,& auxilium illius implorando iustitiam prætendere possunt. Quaproter necesse est, vt qui orando ad Dominum iustitiam prętexit,& iustam causam habeat,& hanc potiùs quàm semetipsum assertam cupiat.

A facie tua iudicium meum prodeat.] 1. Principiò obseruandum est, quòd iudicium Dei quod implorat, *suum iudicium* vocat. Non dicit, *A facie tua iudicium tuum*: sed, *A facie tua iudicium meum prodeat*. Ergo iudicium iustitiæ tale quid est, quòd non minus sit innocentis & adflicti, quàm iudicantis iudicis Quapropter quotiescunq; adfligitur innocẽs,& iudicio destituitur, toties iure suo priuatur: vt iam non modò ab oppressore iniquo, sed à iudice iniusto iniuria afficiatur. 2. Simul & illud considerandũ est, quòd non dicit: *A facie tua iudicium impiorum hostium meorum prodeat*. Habent quidem & impij suum coram Deo iudicium, quo non seruantur, sed perduntur: verùm magis hoc agebat Propheta, vt suum, quàm vt aduersariorum iudicium obtineret: hoc est, vt ipse à periculis liberaretur, quàm vt aduersarij perderentur. Videmus itaq; hoc Dauidis exemplo, quid faciendum sit illis, qui per iniuriam ab impijs oppressi, iudicio suo in hoc seculo potiri non possunt: hoc videlicet, quod ipse fecit. Dicant & ipsi ad Deum: *A facie tua Domine iudicium nostrum prodeat.* OBSER. Vers. 2.

Prodeat.] Deinde consideremus, quòd non simpliciter dicit *Iudica causam meam*: sed *Prodeat à facie tua iudicium meũ*. Aliud est, simpliciter causam aliquam cognoscere & iudicare: & aliud iudicium proferre in publicum, & manifestare. Iudicium piorum & impiorum, fidelium & infidelium, opprimẽtium & oppressorum, iam olim conceptum quidẽ & determinatum, verùm nondum in vniuersum prolatũ est: quod in fine Mũdi demum proferetur. Prodit ergo iudicium piorum à facie Dei, dum sic defenduntur, & è manibus impiorum liberantur, vt palàm fiat, liberari eos vt innocentes, non humano, sed planè diuino iudicio.

Oculi tui videant æquitates.] 1. Et hic obseruandus est Prophetæ spiritus, occultè significans oculos potentũ huius seculi vsqueadeò peruersos esse, vt rectũ vel non videant, vel videre nolint: quapropter necesse esse, vt oculi Dei causam innocẽtis introspiciãt, & quod rectũ sit videãt. Excęcatur oculi iudicũ & magnatũ, vel malicia, vel superbia, vel dedignatione, vel muneribꝰ, vel studio gratificandi, vt ęquitatẽ in causis innocentũ non videant. Excæcatio huiusmodi in Deũ non cadit. 2. Deinde, poterit quisquã quærere, quid necesse sit orare Deũ, vt oculis suis quæ recta sunt videat, cùm id alioqui faciat? Respondeo: Videt quidem quæ recta sunt, & semper & vbiq;: verùm id nobis nõ apparet, nisi dum reipsa causas innocentum asserit: & oppressos liberat. Quapropter hoc genus petitionis non hoc simpliciter postulat, vt oculi Dei quę recta sunt videant, sed vt liberando insontẽ, videre se quæ recta sunt declaret, quando hoc impij agnoscere non sustinent. Nec aliud orationis
B genus certius est, quàm quo id ipsum petitur, quod alioqui Deus indubitato facere scitur.

3 Probasti cor meum, visitasti nocte: incendisti me, non inuenisti: cogitationes meas non transit os meum.

Quidam ex recentioribus legunt: *Proba cor meum, visita nocte, incende me, nihil inuenies.* Illud, *Incendisti me.* Hieron. legit, *Conflasti me.* Quod sequitur: *Non inuenisti cogitationes meas, non transiuit os meum*, in Ebr. sic legitur: בל תבחנא דמחתי בל יעבור פי Græc. sic: καὶ οὐχ εὑρεθῇ ἐν ἐμοὶ ἀδικία, ὅπως ἂν μὴ λαλήσω τὸ στόμά μου τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων. Vulg Lat. *Et non est inuenta in me iniquitas, vt non loquatur os meum opera hominum.* Pro, *Non inuenisti*: reddiderunt, *Non est inuenta*: & illud זמותי: id est, *Cogitationes meas*, verterũt, *In me iniquitas.* Deinde extremam versus huius patrem amputarunt, & sequenti versui coniunxerunt, proq; בל יעבור פי: id est, *Non transiuit os meum*, legunt, בל ידבר פי: id est, *Non loquatur os meum.* & vt sensus cõstaret, attexuerunt sequentis versus principium, למעלילות אדם, ac verterũt, *Opera hominum.* Chald. sic: *Non inuenisti peccatum, cogitatio mala non transiuit os meum.* Hieron. *Non inuenisti cogitationes meas transire os meum.* ad quem modum & Iustinian. legit: simul annotans, duas negatiuas hoc loco positas, non efficere affirmatiuam loquutionem apud Ebræos, sicut apud Latinos. Pagninus legit: *Non inuenisti in me iniquitatem, quod cogitauit, non transiuit os meum.* quæ versio amphiboliam habet, vt nescias an illud, *Os meum*, in nominandi, vel accusandi sit casu positum: & cui verbum transeundi sit coniugendum, *cogitationine*, vel *ori*. Quapropter simpliciùs ad hunc modum vertendum putaui: *Cogitationes meas nõ transgreditur os meum*, sicut & Ebræa lectio postulat. LECTIO.

Quoniam dicit: *Exaudi Domine iustitiam*: item, *Auscultа deprecationem meam sine labijs dolosis*: ad hęc, *Oculi tui videant æquitates*: quibus verbis innocentiam sibi adscripsit, consequenter hoc versu diuinæ cogitationis testimonium citat, idq; magna prorsus & constanti fiducia, dicens: *Probasti cor meum, visitasti nocte, incendisti me, nec inuenisti, cogitationes meas non transit os meum.* q.d. Quàm nihil eorum fuerit quam, nec hodie sit, in corde meo, quorum ab aduersarijs falsò insimulor, tu Domine exactissimè nosti. Tu enim, qui probas corda & renes, cor meum probasti: ac nocte, quado intima consilia captantur ac voluuntur, inuisisti: deniq; velut aurum igne conflatur, sic varijs tentationibus incẽdisti, nec tamen aliquid horum inueneristi, de quibus accusor. Et dum ista de innocentia mea testificor, clam te non est, quàm à consilijs ac studio cordis mei nõ dissideant labia mea. Non enim quicquam præter ea quæ in corde meo sunt, loquitur os meum. EXPLANATIO.

Probasti cor meum.] 1. Principiò notandum est, quòd iustos Deus ac sanctos suos probare dicitur. Sed hac de re vide suprà Psalm. 11. vers. 5. 2. Deinde obseruandum est, quòd non dicit, *Probasti os meum, manus meas, facta mea, vias meas*, &c. sed, *Probasti cor meum*. Primùm, vera hominis probatio hęc est, vt cor illius probetur, quòd illud quasi fons quidam est omniũ & cogitationũ & actionum: vt non immeritò secundum illius qualitatem homo vel malus vel bonus, fons vel insons esse iudicetur. Deinde cordis probatio talis est, vt soli Deo sit possibilis. Sic Hier. cap. 17. dicit: Prauũ OBSER. 1.

est cor hominis,& inscrutabile,& quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutãs cor, & probans re- A
nes. Rectè ergo Propheta de innocentia sua testificaturus,cõscientiam Dei appellat, illiq; tribuit, "
quòd cor suum probauerit. 3. Tertiò, videndum & hoc est,quomodo Dauidem Deus probauerit. Duo potissima sunt probationis genera, quibus illum diuinitùs probatum cõstat. Vnũ,quod prosperis: alterũ,quod aduersis rebus perficitur. Quod res prosperas attinet,primùm hoc illi dederat,vt cęso Goliath cõstitueretur dux belli,& fieret gener regis. Deinde tantũ illi cõtulerat industrię & prudẽtię, deniq; tãtum in administrãdis rebus bellicis dexteritatis pariter & successus, ad hęc tantũ etiam nominis, & pręterea tantũ amoris in vniuerso populo, imò & seruis regis,vt regi timori esset: sicuti videre est 1. Sam. 18 & 19. At hæc omnia quantũ occasionis ad inuadendũ regnũ homini malo & regnandi libidini obnoxio offerre queant, quis adeò stupidus est, vt non videat? Iã cùm nihil horũ animũ Dauidis ad inuadendũ regnũ illicere potuerit,sole clarius est quòd corde ab ea perfidia prorsus fuerit alienus. Quod deinde res aduersas cõcernit,tantis eum exilij & persecutionis molestijs tentauit,vt si vel tantillum in corde illius occupandi regni votum latuisset, iniquitate Saulis in apertum productum fuisset, pręsertim cùm occasionẽ illius aliquoties nactus esset,vt cùm à rege Achis honorificè exceptus esset,cuius auxilio ad id instituti poterat vti: deinde Saulẽ ipsum capitalem hostem, in ipso persequutionis cursu in spelunca solũ,& à militibus suis segregatum,velut in manibus haberet,& postea dormientem quoq; in castris reperisset. Erant istę occasiones omnium commodissimæ,non modò ad id vt hostem suum opprimeret,seq; ipsum maximis periculis eximeret,verùm ad occupandum etiã vniuersum illius regnũ,idq; cũ fauore Israẽlis vniuersi. Poterat illis vti,modò voluisset. Non est autem vsus. Noluit igitur. Imò & militum suorum animos,à quibus ad occidẽdum Saulem incitabatur, ne manus in illũ mitterent,compescuit, & hostem in pace illic abire,istic dormire permisit. Ad hunc modũ innocentissimus Dauid diuina dispositione nõ prosperis tantùm, sed & aduersis rebus multoties tentatus, haud præter rationẽ dicit: *Probasti cor meum,visitasti nocte,incendisti me,non inueniſti*, Reperias, qui aduersis vincantur,prosperis non ita: rursus, qui aduersis non credant,prosperis acquiescant. Nec prosperis verò, nec aduersis superari,omnino eorum est,qui alienissimi sunt ab eo,cuius gratia tentantur ac probantur.

OBSER. 2. *Visitasti noct.*] 1. Notanda est & hęc visitationis metaphora,qua & nos Germani eodem sensu vtimur,dicentes: Du ſucheſt mich heim: hoc est, *tentas me.* Foris dum inter homines versamur,& interdiu conscientię mortalium expositi sumus,cautiùs ambulamus,ac quæ corde latent,dissimulamus: domi verò & solitarij,pręsertim nosse, pudore vocat nostri similes sumus,& foris tecta securi proferimus,loquimur ac facimus. Hinc nata est ista visitandi metaphora, vt domi vel nocte visitare dicamur,dum interiora cordium nostrorum cogitata tentantur. Admonemur igitur hac metaphora, qualis debeat esse innocentis hominis vita: talis nimirum, vt non sit alia foris quàm domi,non alia interdiu in luce, quàm noctu in tenebris. Aurũ non in luce aurum est, & in tenebris plumbum: sed vtrobiq; aurũ & est,& esse deprehenditur. Sic homo insons & integer,vbiq; sibijpsi similis est. Cogitemus itaq;, dum domi & tenebris operti sumus,non esse cum veste exuendam vitæ innocentiam,& sanctimoniam,sed perpetuò retinendam,quando admonente hîc Spiritu sancto intelligimus visitari nos à Domino,idq; veluti nocte,dum nihil esse periculi putamus. B

Incendisti me.] 2 Etiam ista conflationis qua solet aurum probari,notanda est metaphora,quam & Salomon Prouerb. 17.& Petrus in priore Epist cap. 1. vsurpant. Sicut enim aurum non sola externa sui specie,sed vi ignis probatur,ac quale sit rependitur: sic corda filiorum hominum non sunt secundum externæ vitæ apparentia,sed secundum interiorem & occultam qualitatem iudicanda, quę tentationibus varijs in apertum elicitur. Simus ergo nobis ipsis extra tentationes suspecti,caueamusq; ne cuiusquam hypocrisi facilè fallamur.

OBSER. 3. *Cogitationes meas non transit os meum.* Obseruandum hîc est,quæ debeat esse bonis & insontibus oris & cordis conuenientia. Negat Propheta aliud se ore loquutum,& aliud corde meditatum esse Et hanc integritatem testificans dicit: *Cogitationes meas nõ trãsgrꝛditur os meum.* Est itaq; non insontiũ, sed sontium & reproborum hominum hoc ingenium,vt ore cogitata cordis trasgrediantur. Malicia cordis ita comparata est astutis ac malicios is, vt ore proferat longè diuersa ab eo quod internè meditatur Rursus candidi & integri pectoris ingenium est,istam oris & cordis diuersitatem ex animo detestari,& simplicitati studere. Huic se conforment,quotquot veritatis esse cupiũt alumni. Obseruent indesinenter omnia quæ ore proferunt,& cum illis quæ corde voluunt conferant: studeantq; hoc efficere,vt os habeant non mendacij,sed veritatis ministrum.

4. Secundum studia hominis in verbo labiorum tuorum, ego obseruaui semitas dissipatoris.

5 Sustenta gressus meos in semitis tuis,ne labantur passus mei.

LECTIO. *Secundum studia hominis.*] Ebr. לפעלות אדם Græc.& Lat.vulg. sicuti versu præcedenti memini,
Vers.4. legunt: *Opera hominum.* Arabs: *In opere carnis.* Hieron. *In opere hominum.* Chald. *Verè speculatus sum operà filiorum hominum.* Pagnin. *Propter opera hominum.* Tigurina versio: *Ego in humanis negocijs.* Felinus: *A studijs hominum.* Zuing. *Ab operibus hominum.* Camp. *Odio eorum quæ passim mala fiunt ab hominibus.*

Ego obseruaui semitas dissipatoris.] Ebr. אני שמרתי ארחות פריץ Græc. ὡ φύλαξα ὁδὸς σκυγρὰς. Vulg. Lat. *Ego custodiui vias duras.* Hier. *Ego obseruaui vias latronis.* Chald. *Ego obseruaui viam audacis.* Iustinian. *Ego obseruaui vias dirutas.* Tigurina: *Caui semitas grassatoris.* Camp. *Operam dedi,vt essem à moribus sceleratorũ hominum quàm alienissimus.* Felinus sic: *Obseruaui instituta eorum, qui ad me transfugerũt.* Intelligit enim Prophetam de 400. illis viris loqui, qui ad ipsum in exilio constitutum è Iudæa confugerant.

Sustenta

A *Sustenta gressus meos.*] Ebr. תמך אשוריי Græc. *κατάρτισαι τὰ διαβήματά μου.* Vulg. Lat. *Perfice gressus meos.* Chald. legit סעיד אסתיריי: id est, *Sustenta gressus meos.* Sic legit & Hieron. *Vers. 5.*

EXPLANATIO.

Versus quartus aliter atq; aliter vt legitur, ita exponitur quoq;, nos eam sententiam sequemur, quam in versione expressimus. Cœpit de innocentia sua sub conscientia Dei testificari, ac primùm de ea quæ cordis, deinde quæ oris est, versu præcedenti meminit: iam consequenter versu 4. eam subijcit, quæ externam vitæ conuersationem concernit. *Secundum studia hominis,* inquit, *in verbo labiorum tuorum, ego obseruaui semitas disipatoris*: hoc est, Pro viribus meis, quantum possibile est homini, pietatis & innocentiæ studio dedito, sic verbũ labiorum tuorum obseruaui & custodiui, vt alienus essem à vijs disipatoris, vastoris & grassatoris, quas studiosissimè caui, ne in illis ambularem. Accusant me coram Saule, quasi פריץ sim homo vastator, grassator, disipator regni, ac publicę pacis: verùm tu nosti, quàm ab eorum qui tales sunt, moribus, ingenio & malicia mihi perpetuò cauerim, nec vestigia illorũ vnquã ingredi sustinuerim, memor verbi labiorũ tuorum: hoc est, obseruãs voluntatis tuæ quam in verbo tuo expressisti. Nec regno nec domui, nec personæ Saulis vllam intuli iniuriam, nec manus illi inieci, cùm eius rei mihi copia & occasio daretur: sed quãuis capitalẽ hostẽ, liberè & impunè abire permisi, sciens nõ placere tibi, vt principi populi tui quisquã maledicat ne dum grassando manum injciat. Sic videtur intelligendus hic versus. Interea nolim cuiusuis sententiã reijcere. Illud, *In verbo labiorum tuorum*, ita positum est, vt tàm ad præcedentia verba, quàm ad sequentia coniungi queat. Si ad præcedentia retuleris, intelligendus est Propheta non de quouis studio, sed eo loqui, quod verbo labiorum Dei custodiendo impenditur, vt sic legamus ac diuidamus: *Secundum studia hominis in verbo labiorum tuorum*: hoc est, quãtum possibile est homini verbum labiorum tuorum studiosè obseruanti. si verò sequentibus particulam hanc coniunxeris, diuidendus erit hic versus ad hunc modum: *Secundum studia hominis, in verbo labiorum tuorum ego obseruaui semitas disipatoris*: hoc est, caui semitas disipatoris, memor perpetuò verbi tui, ne contra illud peccarem, si vias ac vestigia hominis latronis ac grassatoris ingrederer. Verùm idem sensus est vtrobiq;. Huius autem admonere volui, propter lectionem ac diuisionem versus. *Vers. 4.*

Sustenta gressus meos in semitis tuis, &c.] Initio Psalmi generaliter hoc petijt, vt orationem suam Deus exaudiret, simulque de innocentia sua testatus est: iam verò deinceps singulariter exprimit, quid à Deo petat. *Sustenta*, inquit, *gressus meos in semitis tuis*. Semitas Dei intelligit vitæ cõuersationem, voluntati ac verbo Dei conformem. Orat igitur, vt in studio veræ pietatis secundum placita Dei cõseruetur, custodiatur, ac ne labatur, sustentetur: id est, ne tentationibus tam grauibus varijs ac crebris à tramite recto abducatur: hoc est, ad delinquendum contra voluntatem Dei permoueatur. *Vers. 5.*

B Sentiebat enim ad suam ipsius infirmitatem, & tentationum vim & instantiam, ideoq; auxiliũ Dei sui implorat, quo sic conseruetur, ne à proposito sancto dilabatur. Vtitur autem pulcherrima similitudine semitarum vel lubricarum vel arctarum, quales in arduis montibus esse solent, quę magnã omnino sollicitudinem & cautionem requirunt, si quis illis vti voluerit. In his enim vel latum digitum labi, est in vitæ discrimen incidere.

Secundum studia hominis.] Obseruandum est, quòd nõn simpliciter dicit, *Secundum verbum tuum caui semitas disipatoris*: sed, *Secũdum studia hominis in verbo labiorum tuorum*, &c. Modestè sibi perfectæ cautionis laudem non tribuit, sed tantum eius rei studium verbo Dei impendisse dicit, quantum per vires hamanas fieri potuerit. Huc & illud pertinet, quod nõ dicit, *Secundum studia* איש vel צדיק: id est, *viri*, vel *iusti*: sed אדם: id est, *hominis*: ãgnoscens hac voce in se quoq; humanarum virium infirmitatem: nec plus sibi tribuens, quam infirma nostra natura præstare queat. *OBSER. 1.*

In verbo labiorum tuorum.] 1. Expendenda est hîc verbi Dei ac studiorum nostrorum coniunctio. Studium nostrum sine verbo Dei, & superstitiosum est, & Deo ingratum. Intelligo autem non de litera & cortice, sed de spiritu & medulla verbi Dei: ne locus sit illis qui more Iudaico non verbo Dei sed literæ verbi, sine vero illius intellectu ac sensu adhærent. Rursus verbum Dei sine nostro obediendi & obsequẽdi studio prorsus est inutile: inutile, *inquam*, non in se, sed nobis, quibus illud sine fructu proponitur. Viderint hîc pseudoeuangelici, qui satis esse putant, si verbum Dei aliquoties audiant, & de eo glorientur, quod in æternum est permansurum, quasi perpetuitas illius ociosis, immorigeris aliquid afferat emolumenti, & eos non magis grauiori iudicio reddat obnoxios. Quapropter, vt improbandum est studium hominis sine verbo Dei, ita & reijciẽda est socors illa negligentia, qua verbum Dei obiter sine vllo obsequendi studio ab innumeris hodie auditur. Scimus quidem inefficax esse quodcunque humanarum virium studium, ad hoc, vt verbo Dei obediamus, nisi gratia & efficacia spiritus Dei adspiret, cuius est dare & velle & perficere: interea tamen conatus nostri, ijq; serij & seduli requirũtur, & Deo, quantumuis in se sint inefficaces, probantur, ac per spiritum eius prouehuntur & confirmantur. Socordiam, negligentiam, desidiã, animi leuitatem, tædium, fastidium & contemptum eorum qui nullo sunt zelo & studio obediendi verbo Dei præditi, Deo probari non posse, omnium est indubitatissimum. 2. Deinde notandum est, quòd non simpliciter dicit, *In verbo tuo*: sed, *In verbo labiorum tuorum*. Non habet labia Deus, more hominum, quibus placida sua proloquatur: sed in hunc modum loquitur Propheta, vt ingenium hominis pij exprimat: cui eo loci est verbum Dei, quo fido & morigero seruo verbum est heri sui labijs expressum, à quibus ex animo pendet. Sit ergo & nobis hoc loco verbum Dei, vt perinde illi obediamus, ac si labijs Dei expressum esse sciamus. Hinc toties in Prophetis inculcatur illud: Quia os Domini loquutum est. *OBSER. 2.*

Ego obseruaui semitas disipatoris.] Obseruandum hîc est, quę sit piorum hominum sors & cõditiõ, inter reprobos ac filios huius seculi. Dauid quamuis innocentissimè vitam suam instituisset; ne *OBSER. 3.*

qua ratione regem ac populum Dei, ne interea quidem, dum iniquè profligabatur & ad mortem A
quærebatur, offenderet ac læderet: imò & Sauli & regno eius plurimùm profuisset: nihilo tamẽ minus tanquam dissipator, grassator & inuasor regni accusabatur, & profligabatur, idque ab illis qui populum Dei sine timore illius vastabant ac opprimebant. Admonemur hoc exemplo primùm, quàm non debeat nobis hodie mirum videri, si qui nihilo minus quàm ingenio hæreticò sunt obnoxij, & summa cura ac diligentia malum hæreseos, & vias hæreticorum, secundum verbi Dei custodiam, cauent, hæreseos ab illis infimulantur, qui multis sunt nominibus hæretici: factiosi ab illis vocantur, quorum vita nihil est aliud quàm factio contra veram Christi Ecclesiam. Solemur nos isto Dauidis, denique & Christi exẽplo: quorum ille ab ipsissimis מריצים populi Dei vastatoribus ac dissipatoribus פרץ: id est, *dissipator, grassator*, &c. iste ab hypocritis & cæcis seductoribus, ac blasphemis scribis & pharisæis seductor ac blasphemus vocabatur. Solemur nos conscientiæ nostræ testimonio, quo in conspectu Dei testari possumus, quòd pro viribus nostris & studiò in Euangelio labiorum Christi, semitas hæreticorum, factiosorum, ac seductorum, & cauemus, & in posterum quoq; cauere studebimus.

OBSER. 4. *Sustenta gressus meos in semitis tuis.*] 1. Diligenter est hæc Prophetę oratio consideranda, & omnibus illis vsurpanda, quibus cordi sunt semitæ Dei, ambulandiq; in illis studium insidet. Primùm videmus quod fuerit Prophetæ primarium votum, cùm ab inimicis suis exagitaretur, ac periculis tentationibusque innumeris obijceretur. Hoc illi primùm in votis erat, vt in semitis Dei inoffensè ingredi liceret, quamuis propter hoc ipsum pietatis studium in grauissima pericula & vitæ discrimina inciderat. Qui non ex animo, sed vel hypocrisi, vel occasione aliqua vias Dei ingrediuntur, tantisper forsan persistunt, dum nulla incommoditate offenduntur: vbi verò tentatio ingruit, confestim recedunt, carniq; ac Mundo indulgent. At hîc Propheta, quantumuis propter zelum Dei Saulis improbitate adflictaretur, hanc tamen primam in pectore curam retinet, vt in vijs Dei firmis gressibus ambulare liceat. 2. Deinde obseruandum est, quomodo Propheta propriam infirmitatẽ agnoscat, lapsumq; timeat, gnarus quàm opus habeat sustentatione, ne dilabatur. Cõparat se vel puero, vel ægroto, vel, sicuti suprà memini, ei qui per semitas montium admodum arctas & periculosas ingreditur. Nihil præsumit de proprijs arbitrij sui viribus, cõscius infirmitatis suæ. Sic solet vsuenire sanctis. Quò pluribus Dei donis sunt præditi, hoc ampliùs propriam imbecillitatem experiuntur, ne inflentur. Iustitiariorum est, de libero voluntatis arbitrio præsumere, infirmitatem propriam non agnoscere, alienam contemnere, & nullo lapsus metu affici. 3. Tertiò, videmus etiam hîc, quò sit illis confugiendum, qui propriam imbecillitatem agnoscunt, inque via Dei recto gressu ingredi cupiunt. *Sustenta*, inquit ad Deum, *gressus meos in semitis tuis.* Oratione ad B
Deum conuertitur, & ab hoc impetrare se posse confidit, quod in seipso non inuenit. Reperias pleroſque, qui facilè quàm sint infirmi, agnoscant: at ea propriæ infirmitatis agnitione nõ ad hoc permouentur, vt auxilium Dei implorent, sed illius prætextu securiùs peccent, quasi hoc minus culpandi damnandique sint, quòd per infirmitatem peccent, seq; ipsi in via Dei sustentare nequeant. Illi admonendi sunt, vt istam peccandi securitatem, propriæ imbecillitatis prætextu conceptam, ponant: & oratione ad Deum conuersi, quod de suo nõ habent, illius beneficio acquirerre studeãt. Prætextus iste propriæ imbecillitatis, indicium habet animi non admodum de retinendo pietatis studio solliciti. Alioqui, quid prohibet, quò minus cum Dauide dicamus: *Sustenta gressus nostros in semitis tuis*: si eodem cum illo pietatis studio præditi sumus? 4. Quartò, nec illud transeundum est, quod dicit: *In semitis tuis.* Rectè auxilium ac sustentationem à Deo petunt, qui non in proprijs, aut aliorum hominum, sed Dei semitis ambulant. Viderint hîc, qui relicto verbo ac semitis Dei, secundũ propria vel aliorum præscripta vitam instituunt. Solent Pontificij scortatores, quoties admonentur, vt, cõiugio diuinitùs instituto vtantur potiùs, quàm scortando libidinentur, cùm reipsa experiantur, quàm id esse nequeant, quod futuros se polliciti sint: illud Christi regerere: Quic- „
quid petieritis Patrem id nomine meo, dabit vobis. Belli homines, non cogitant malè præsumi de „
auxilio Dei in vijs non à Deo, sed humanitùs præscriptis, cùm id reipsa inexcusabili Ecclesiæ dedecore experiantur. Est itaq; ista præsentis versus petitio, qua Propheta dicit: *Sustenta gressus meos in semitis tuis, ne moueantur passus mei*: primùm eorum, qui in ministerio sunt Euangelij Christi: deinde magistratuum à Deo ordinatorum: tertiò omnium, qui secundum verbum labiorum Dei credere, viuere, cunctaque facere & pati cupiunt.

Alius dixisset: Sustẽta gloriã nominis mei, &c.

Qui stas, videas ne cadas

6. Ego inuoco te, quoniam respõdebis mihi Deus: inclina aurem tuam mihi, audi verba mea.

7. Mirifica benignitatem tuam seruator sperantium, ab illis qui aduersus dexteram tuam insurgunt.

LECTIO. *Ego inuoco te.*] Ebræ. אני קראתיך. Græc. ἐγὼ ἐκέκραξα. Vulgata Latina: *Ego clamaui.* Hieronym. *Ego inuocaui te.*

Vers. 5. *Quoniam respondebis mihi Deus.*] Ebr. כי תענני אל. Græc. ὅτι ἐπήκουσάς μου ὁ θεός. Vulg. Lat. *Quoniam exaudisti me Deus.* Hieron. *Quoniam exaudies me Deus.*

Vers. 7. *Mirifica benignitatem tuam.*] Ebr. הפלה חסדיך. Græc. τὰ ἐλέη σου. Vulg. Lat. *Misericordias tuas.* Hieron. *Mirabilẽ fac misericordiã tuam.* Et Arabs habet: *Misericordiam tuam.* Chald. legit, מרישו רחמיך: id est, *Separa merita tua*, Felix: *Separa misericordias tuas.* Pagnin. *Diuide misericordias tuas.* Munsterus: *Mirifica pietatẽ tuas.* Tigurina: *Insigniter ostende mihi pietatem tuam*: Felinus: *Fac insignem tuam bonitatẽ.* Camp. *Auser misericordias tuas, ô seruator fidelium, potiùs ab illis, qui sese erigũt aduersus Maiestatẽ tuam.* Zuingl. sic: *Destina bonitatẽ tuam, tu*

A *tuam, tu qui dextra tua ſeruas ab inſurgentibus fidentes.* Horum interpretũ alij ad id, quod verbum פלה per ה *ſeparare, ſegregare* ſignificat: ſicut & ſuprà Pſal. 4. alij ad id reſpiciunt, quòd ea dictio aliquando pro פלא per א: id eſt, *miraculo*, & התפלה pro התפלא: id eſt, *mirificauit*, ſumitur.

Quoniam ad id, quod initio Pſalmi verſu 2. orare cœperat, reuerſurus eſt, repetit illud, & quod EXPLA-
» verſu 1. dixerat, nempe: Attẽde ad clamorem meum, auſculta deprecationem meam. Sic dixit hoc NATIO.
verſu 6: *Ego inuoco te, quoniam reſpondebis mihi Deus: inclina aurem tuam mihi, audi verba mea.* Quibus verbis *Verſ. 6.*
iterum petit, vt clementer audiatur. Immiſcet autem de fiducia impetrandi, qua ſe ad inuocandum auxilium Dei permoueri ſignificat dicens: *Ego inuoco te, quoniam reſpondebis mihi*: hoc eſt quoniam certus ſum, quòd mihi reſponſurus ſis, ea te fiducia in his tribulationibus meis inuoco, quapropter fac quæſo, quod te facturum non dubito, inclina aurem tuam ad me, & audi verba mea. Quòd ſi cui legendum videtur: *Ego inuoco te, quoniam reſpondes*, vel, *quoniam reſpondiſti mihi*: intelligat Prophetam experientia diuini auxilij, toties accepta & cognita, motum iſta dicere. q. d. Quòd te bona cùm fiducia inuoco, in cauſa eſt clementia tua, qua me hactenus in omnis generis periculis ad te clamantem exaudire ſoles.

» *Mirifica benignitatem tuam*, &c.] Verſ. 2. dixit: A facie tua iudicium meum prodeat. Hanc orationis *Verſ. 7.*
ſuę partem ab hoc verſu ad finem vſq; Pſalmi proſequitur, orãs vt ab inimicis ſuis vindicetur. Vocat aũt Deum *Seruatorem ſperantium*: id eſt, eorum qui ab illo firma fiducia pendent, & opem illius in tribulationibus implorãt, vt conceptam de illo impetrandi ſpem in animo cõfirmet. Hac petit, vt ſe vindicãdo ab hoſtibus benignitatẽ ſuã erga ſperantes in ſe declaret, & celebrem reddat. Sic enim intelligendum eſt quod dicit: *Mirifica benignitatẽ tuam.* Illud, *Ab illis qui aduerſus dexteram tuam inſurgunt*: coniungendum eſt particulæ proximè præcedenti, nempe, *Seruator ſperantium*: vt ſic legamus: *Qui ſperantes ab illis ſeruas, qui aduerſus dexteram tuam inſurgunt.* Id enim vocat hîc *benignitatem Dei*, qua ſperantes in ſe ab improbitate reproborum ac dexteræ ſuæ rebellantium aſſerit ac liberat.

Ego inuoco te quoniam reſpondebis mihi Deus.] Eſt hoc verſu notandum, quid inuocatio Dei requirat. OBSERV.
Inuoco te, inquit, *quoniã reſpondebis mihi*: ſubiungitq; *Inclina aurem tuam mihi, audi verba mea.* Ergo ad inuo- *Verſ. 6.*
candum Deum requiritur ea fides, qua credamus illum non aſpernaturum preces noſtras, ſed clementer auditurum ac reſponſurum. Sine hac fide nemo Deum ritè inuocabit. Sic dicit Apoſtolus:
» Quomodo inuocabunt, in quem non credunt? Rom. 10. Fides in Deum, & corda & ora ad inucãdum eum reſoluit: idemq; ab eo petit, quod illũ facturum eſſe credit. Sic hoc verſu Propheta cùm dixiſſet *Ego inuoco te, quoniam reſpondebis mihi Deus*: ſubiungit: *Inclina aurem tuam mihi, audi verba mea.* Hoc ipſum petit his verbis, quod Deum credebat eſſe facturum. Etenim qui credit reſponſurum ſibi Deum, ſimul credit eum & aurem ſibi inclinaturum, & verba ſua auditurum. Eſt enim eiuſdem clementiæ Dei, inclinare aurem, audire verba ſe inuocantium, & reſpondere inuocantibus.

Mirifica benignitatem tuam.] 1. Multa ſunt hoc verſu digna quæ diligenter conſiderentur. Princi- OBSERV.
piò notemus, quid Propheta potiſsimũm in hac oratione ſpectarit. Dixit: *Inuoco te Deus, inclina aurem* *Verſ. 7.*
B *tuam mihi, audi verba mea.* Subiungit: *Mirifica benignitatem tuam, Seruator ſperantium ab inſurgentibus aduerſus dexteram tuam.* Significat his verbis, non tàm ſalutem ſuam quàm diuini ſe nominis ſpectare gloriam: quò ſingula ferè verba reſpiciunt. Sciebat Deum eſſe clementiſsimum, & ſicut hîc eum vocat, *Seruatorem in ſe ſperantium.* Hæc gloria diuinæ benignitatis ſubindè obſcurabatur, quoties videlicet in Deum ſperantes periclitari, & contra dexteram illius inſurgentibus cuncta pro voto cedere videbantur: quod vtrunque in cauſa hac ipſius contingebat. Sic enim à Saule & illius ſatellitibus premebatur, adfligebatur & exagitabatur vt non alij modò, ſed & ipſe, in tentationibus conſtitutus, nullã Deo curam eſſe de liberãdis in ſe ſperantibus ſuſpicaretur, ac diceret: Proiectus ſum
» à facie oculorum tuorum. Ea res animum pium magis cruciabat, quàm vniuerſæ perſequutionis moleſtiæ. Nihil enim obnoxius obtinere cupiebat, quàm vt benignitas Dei erga ſperantes in ipſum, cunctis mortalibus innoteſceret. Hac de cauſa non dixit hîc confeſtim: *Adiuua me, libera me*: quaſi hoc tantum, & in ſe quæreret, vt è periculis liberaretur, neque dixit, *Mirifica ſalutem meam*: ſed, *Mirifica benignitatem tuam.* 2. Deinde obſeruandum eſt verbum התפלה quòd (vt ſupra dixi) *ſeparare, ſegregare*, ac *diſcriminare* ſignificat. Solent autem quæ eximia, mirandaque ſunt, à vulgaribus & vſitatis ſegregari. Orat Deum, vt *benignitatem*, vel (vt alij legunt) *miſericordias ſuas* erga ſperantes in ſe
mirificet: id eſt, diſcriminando ac ſegregando admirabilem faciat: vel potius, ſperantes in ſe liberando ab ea bonitate, qua plena eſt terra, & communiter vniuerſi mortales tàm mali quàm boni potiuntur, diſcriminet, inſignemque & admirabilem in oculis mortalium reddat. Reuera ſingularis eſt iſta benignitas Dei, qua ſperantes in ſe clementer audit & ſeruat, liberatque ab impijs, contra ſe inſurgentibus. Hæc tum potiſsimùm illuſtratur & admirabilis redditur, quando electis, pijs & innocentibus tanta miſeria, tantaque calamitas malorum improbitate obtingit, vt omnia illorum deſperata videantur, illique ad Deum ſuum indeſinenter ſuſpirantes, tandem diuino auxilio liberantur. Sic autem erant aliquandiu comparatę res Dauidis, vt deploratus ac proiectus ha-
» beretur omnibus. Vnde & dicebat: Ego autẽ & vermis ſum, & non homo: opprobrium hominum,
» & abiectio plebis, &c. Sperauit in Dominum, eripiat eum, &c. Vbi ergo diuinitùs tanquam ſperans in Deum ſuum ereptus ac liberatus eſt, quid aliud contigit, quàm quòd benignitas Dei Seruatoris in ſe ſperantium admirabilis eſt reddita? Admonemur igitur hoc loco, & ipſi benignitatẽ hanc Dei, qua inuocantes ſe exaudit, & ſperantes ſeruat, multò ſentiamus eſſe potiorem & admirabiliorem, quàm qua cunctis in vniuerſum mortalibus tàm malis quàm bonis, corpus, animam, ſolem, aërem, terram, pluuiam, eſcam, &c. largitur. 3 Tertiò notandum & illud eſt, quòd licet contra eos oret qui ſe dexteræ Dei opponebant, non tamen dicit: Mirifica dexteram tuam, potentiam tuam,

iustitiam tuam domitor rebellium, contra eos qui insurgunt aduersus dexteram tuam Seruator A
sperantium. Tantum consolationis in se non habet, quòd potentiam suam Deus opprimendo impios & rebelles illustrat, quàm quòd id sic facit, vt declaret quàm tueatur sperantes in se. Videretur enim simpliciter puniendo rebelles, suam ipsius tantum agere causam & nullam interim habere rationem in se sperantium. Quoniam verò sic hostes suos aduersus dexteram suam insurgẽtes percutit, vt seruet in se sperantes, admirandam bonitatem suam sic declarat, vt liqueat eum improbos, non tàm suo, quàm suorum in se sperantium nomine opprimere. Sed hac de re vide suprà Psalm. 12. versu 5 ibi: Propter deuastationem adflictorum.

Seruator sperantium.] 1. Primùm illud obseruemus, quòd non simpliciter dicit, *Mirifica benignitatem tuam Deus*: sed, *Mirifica benignitatem tuam Seruator sperantium*. Vtitur elogio ad causam quam agit omniũ competentissimo, dum Deum *Seruatorem sperantium* vocat. quod non ad id facit, vt eum officij sui admoneat, sicuti Principes huius seculi splendidis elogijs ornantur, vt opere præstent, quod verbis vocantur: sed vt cordis sui fiduciam, ad impetrandum quod orat, alat & confirmet.

2. Deinde considerandum est, vnde motus sit Dauid, vt Deum *Seruatorem sperantium* vocat. Huius rei duæ potissimùm sunt causæ. 1. Prima est ex eorum sumpta exemplis, in quibus Deus præcedentibus seculis sperantes in se non deserere declarauerat: quæ ob id literis sacris sunt commẽdata, vt & posteri spem suam in Deum ponant infrà Psal. 78. Et Rom. 15: Quæcunq; *inquit, Apostolus*, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per consolationem Scripturarũ spem habeamus. Sic infrà Psal 22: In te sperauerunt patres nostri, *inquit*: sperauerunt, & liberasti eos: ad te clamauerunt, & erepti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. 1. Alteram ipsa peperit experiẽtia. Fuerat enim iam antea sæpenumerò veritatem huius elogij in seipso expertus: id quod & Psalm. sequenti, & 2. Sam. 22. fatetur: vbi cùm de manibus esset omnium inimicorũ suorũ ac Saulis quoq; ereptus, Deoq; laudem caneret, inter cætera & illud protulit: Et scutum omnibus sperantibus in se. q.d. Reuerà expertus sum omnium esse verissimũ quod de Deo Scriptura tradit, esse videlicet eum Seruatorem sperantium in se. Vide hac de re & Psalm. 34. Quantum gaudij, quantumq; cõsolationis homini fideli adferat ista experientia, norunt hi tantùm, qui arduis periculis tentati, diuinam hanc veritatem liberati experiuntur: quæ experientia sine cruce acquiri non poterit. Cogita quantum gaudij Ezechiæ, 2. Reg. 19. cùm vna nocte manu angelica in castris Assyriorum 185. millia cecidissent: quãtum filijs Israël, cùm mare rubrum transissent, ac Pharaonis submersionem ipsis oculis vidissent Exod. 14 15. quantum Dauidi, cùm manus Saulis euasisset 1. Sam. 23. quantum Iudith & Achiori, Iudith, 13. quantum Danieli, Dan. 6. quantum tribus pueris, Dan 3. quantũ Susannæ, Dan. 13. & alijs pijs cõsimili modo diuinitùs liberatis, contigerit. 3. Tertiò notandum est, B
quòd Deũ vocat *Seruatorem*, quomodo hoc faciat. Vocat eum *Seruatorem* non quem habeamus cum quibusdam alijs seruatoribus, sed qui solus & vnicus sit Seruator. Nequit enim hoc elogium alijs communicari: quia non est præter ipsum alius Deus, nec in cœlo nec in terra qui seruare possit. Hinc illa sunt, suprà Psalm. 3: Domini est salus. Et Esaiæ 45: Ego sum, ego sum, & non est absq; me Seruator. Et cap. 45: Deus iustus & seruans non est præter me. Et capite 46: Ego feci, ego feram, ego portabo & seruabo. Credendus est autem Deus sic esse Seruator, vt non solùm terrena nostra, sed & spiritualia curet: nec ad tempus duntaxat, sed perpetuò saluet. Est enim perfectus, ac sempiternus Seruator. Et hac fide manu ducimur ad regnum Christi, in quo salus est æterna. Vnde & Christus filius Dei verè Seruator dicitur: quod vtiq; esse non posset, nisi & verus Deus esset. Etenim Seruatorem esse sperantium, nihil aliud est, quàm Deum esse sperantium. Quapropter vehementer impij sunt, qui quod Ecclesia Christo tanquam Seruatori ac redemptori canit vtpote, Cùm rex gloriæ Christus infernum debellaturus intraret, &c. principibus huius seculi adaptare non dubitant: cùm Scriptura disertè clamitet: Nolite confidere in principibus filijs hominum, in quibus non est salus. 4. Quartò, obseruandum etiam est, quorum Seruatorem dicat esse Deum. *Seruator*, inquit *sperantium*. Non dicit, *Seruator iustorum, perfectorum*, &c. sed, *sperantium*, quicunque tandem illi sint. Denique quærendum est. quare non dicat, Seruator omnium hominum: cùm tamen, teste Apostolo 1. Tim. 2. omnium hominum, imò & omnium iumentorum. Psalm 36. sit Seruator. Non negat: Deum omnium & hominum & iumentorũ esse Seruatorem, sed spei laboràti succurrere studet, quam & caro & Mundus in adflictis perpetuò irridere solent. quamuis in illis qui prosperè habent, facilè Deum Seruatorem esse mortalium agnoscant. Præterea considerandum esset hoc loco, quid sit sperare in Deum: deinde, vnde spes nascatur: tertiò, quid illa in tribulationibus possit, quàm magna aggrediatur, & ferat etiam: quamq; animum aliàs deiectum erigat, & pacatũ reddat. Verùm de his alijs locis videre licet.

De Christo: Si Deus solus est seruator sperantiũ: ergo in Deũ solũ sperare debemus.

Ab illis qui aduersus dexteram tuam insurgunt.] 1. Primùm obseruãdum est, quid potissimùm in aduersarijs suis malè habuerit Dauidem. Nõ dicit, *Ab inimicis & hostibus meis*: sed, *Ab illis qui aduersus dexteram tuam insurgunt*. Ergo hoc vrebat eum, quòd Deo repugnabant, dum sibi aduersabantur, & insidias tendebant. Licet enim persequutionem cum suis ferret, liberariq́ue oraret: id tamen cum primis erumpebat, quod prę alijs magis vrebat. Sic magis diuinæ gloriæ, quàm proprio commodo & honori studebat. Tale quid & suprà vidimus, Psalm. 5.

2. Deinde considerandum hîc est, quæ debeat eorum esse fiducia in conspectu Dei, quorũ causa talis est, vt si aduersarios acquirant, non ipsis, sed Deo resistatur. Hæc conditio communis est omnibus illis qui Deo ministrant, ab illo vocati & missi: vt sunt Prophetæ Apostoli, reges ac principes, &c. Sic Samueli dicebat Deus: Nõ te abiecerũt, sed me, 1. Sam. 8. Et Apostolus Rom. 13: Qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Et Christus ad suos: Qui vos reijcit, me reijcit. Incredibile est,

bile est, quantum ista consideratio fiduciæ adferat, contra aduersarios ad Deum interpellandi.

A 3. Tertiò, illud obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, *Ab illis qui aduersus te peccant*: sed, *Ab illis qui aduersus dexteram tuam insurgunt*. Aliud est, peccare cõtra Deum, quod aliquando vel per ignorantiam, vel per carnis infirmitatem etiam à pijs committitur: aliud, contra dexteram Dei insurgere: quod nihil est aliud, quàm impiè, temerè, & obstinatè contra exertam ac declaratam Dei potẽtiam, quæ dexteræ metaphora in Scripturis exprimitur, insurgere. Fecit hoc Saul in Dauide: cui notum erat, esse Deum cum Dauide, ac dextera Dei fieri quod ab illo fieri videbat. Vide 1. Sam. 18. & 26. Fecit hoc Pharao. Fecerunt Iudęorum primores, sacerdotes, scribæ, pharisæi, nõ in Christo tantùm, sed & apostolis illius. Hoc peccati genere illi plerunque peccant, qui studio propriæ gloriæ conseruandę excęcati, cursui iudiciorum & operum Dei, siue potentiæ, siue gratiæ, siue veritatis passim sese exercentis, aduersantur.

8. Custodi me vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum absconde me.

9. A facie impiorum, qui me adfligunt: inimici mei propter animam circundant me.

10: Adipe suo concludunt, ore suo superba loquuntur.

11. Gressibus nostris (obseruatis) nunc circundant me: oculos suos defigunt ad sternendum in terram.

12. Similitudo eius quasi leonis prædæ cupidi, & quasi catuli leonis latitãtis in abditis.

LECTIO. Vers. 8.

Vt pupillam oculi.] Ebr. כאישון בת עין: id est, *Sicut pupillam filiam oculi*. Chald. *Sicut pupillam orbiculatam, quæ est in medio oculi.*

Sub vmbra.] Ebr. בצל: id est, *In vmbra*. Sic & Chald. בטול. Græc. ἐν σκέπῃ: id est, *In tectorio*.

Absconde me.] Ebr. תסתירני: id est, *Absondes me*. Verùm futuro vsus est Propheta pro imperatiuo: id quod linguæ Sanctæ consuetum est.

Vers. 9. *A facie impiorum, qui me adfligunt.*] Ebr. מפני רשעים זו שודדני: id est, *A facie impiorum horum, prædantium me*. Sic reddidit Iustinianus. Significat autem שדד, *vastare*. Græc. habet: τῶν παλαιπωρησάντων με. Vulg Lat. *Qui me adflixerunt*. Chald. quoque reddidit: *Vastantium me*.

Propter animam.] Ebr. בנפש: id est, *In anima*. Iustinianus vertit, *In anima mea*. Grec. τῆς ψυχῆς μου πεῖσαι αὐτόν. Vulgata Lat. *Animam meam circundederunt*. Et Arabs quoque pronomen adiecit: *Animam meam*. Quoniam verò absolutè est in textu positum נפש: id est, *In anima*, fit, vt tàm ad animam impiorum, quàm Prophetæ referri possit. Si de anima impiorum intelligendum est, idem est quod, *Ex animo circundant me*: vt dictio *Anima* posita sit pro *animo*. Sic Chald. reddidit: בר גרות נפשיהון: id est, *In voluntate animarum suarum*. Si de anima sua loquitur Propheta, per *animam* intelligit vitam suam: & idem est בנפשי atque בעבור חנפשי: id est, *Propter animam*. Sic reddit & Pagninus. Et Kimhi exponit בנפשי בלומר לקחת: id est, quasi diceret, *ad auferendum animam meam*.

Vers. 10. *Idipe suo concludunt.*] Ebr. חלבמו סגרו. Græc. τὸ στέαρ αὐτῶν συνέκλεισαν. Vulg Lat. *Adipem suum concluserunt*. Iustinianus: *Adipe suo clauserunt*. Chald. *Diuitiæ eorum multæ, adeps eorum operit os eorum*. Pagninus: *Adipe suo clauserunt corpus suum*. Felix: *Adipe eorum clauserunt os suum*. Felinus: *Opes suas reconditas habent*. Zuinglius: *Qui opibus suis obruunt*. Paraphrastes Campensis: *Qui tam sunt pasti bene, & obesi, vt aruina obstruxisse videantur ora illorum*. Sic & Kimhi intelligit dicens רוב שמנם סגר פיהם.

Superba loquuntur.] Ebr. דברו בגאוה: id est, *Loquuntur in superbia*.

Vers. 11. *Gressibus nostris (obseruatis) nunc circundant me.*] Ebr. אשורני עתה סבבוני. Græc. ἐκβαλόντες με, νῦν περικυκλώσαν με. Vulg. Latina: *Proijcientes me, nunc circundederunt me*. Chald. *Gressus nostros, nosq; ipsos nunc circundant*. Iustinian. *Incedentes aduersum me, nunc circundederunt me*. Pagninus: *In via nostra nunc circundederunt me*. Tigurina versio: *Modò itinera nostra obsident*. Felinus: *Modò gressus nostros obsident*. Felix: *In gressibus nonstris nunc circundederunt nos*.

Oculos suos defigunt ad sternendum in terra.] Ebr. עיניהם ישיתו לנטות בארץ. Græc. τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἔθεντο ἐκκλῖναι ἐν τῇ γῇ. Vulg Latina: *Oculos suos statuerunt declinare in terram*. Chald. *Oculos suos firmant, vt extendant eos in terra*. Symm. sic: τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐπροκλινᾶν ἔταξαν ἐν τῇ γῇ: id est, *Oculos suos constituerunt, vt aliorsum inclinent in terra*.

Vers. 12. *Similitudo eius quasi leonis.*] Ebr. דמיונו כאריה. Græc. ὑπέλαβόν με ὡσὰ λέων. Vulgat. Lat. *Susceperunt me sicut leo*. Sic & Arabs. Non consentiunt tamen reliqui interpretes.

EXPLANATIO. Vers. 8.

Custodi me vt pupillam oculi.] Quoniam versu sexto orare ad Deum cœpit vt se exaudiat ac benignitatem suam erga se declaret, qua sperantes in se seruare soleat & protegere: iam consequenter eam orationem latiùs prosequitur, & principiò custodiri se petit, ab insidijs videlicet impiorum hominum, aduersus dexteram Dei insurgentium. Dicit itaque: *Custodi me vt pupillam oculi*, &c. Vtitur duobus similibus: *pupillæ* scilicet, quæ est in medio oculi, & *vmbræ alarum*: quibus tamen rem eandem intelligit, nempe diuinæ protectionis custodiam. *Custodi me*, inquit, *vt pupillam oculi*: hoc est, Quemadmodum solent homines magno cauere studio, ne pupilla oculi puluere aliquo, vel alio quopiam incommodo lædatur: ita & tu mei rationem habeas. Et sicut teneritudo ocularis pupillæ superimpositis palpebris prouidentia tua custoditur: ita & me, qui omnium sum tenerrimus, protectione tua circumseptum custodias. Denique, sicuti gallina pullos suos sub alàs suas conseruandi gratia suscipit: ita tu me Deus meus in vmbra alarum tuarum absconde ac protege. *Alas* tribuit Deo, per metaphoram ab auibus illis sumptam, quæ pullos suos alarum suarum protectione, vel contra solarium radiorum calorem, vt aquila solet: vel aduersus accipitrum ac vulturum rapinam, sicuti faciunt gallinæ, tuentur ac custodiunt. Sic Boos ad Ruth Moabitiden dicebat: Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem

veniſti,& ſub cuius alas confugiſti.Et infrà Pſal.91. de alis Dei mentio fiet. Atque huc pertinebãt A
alæ illæ Cherubim ſuper propitiatorio expanſo.Exodi 23. Erant illæ non collectæ,ſed expanſæ,
deinde arcam fœderis obumbrabant & obtegebant: vt ſignificaretur cuſtodia illa diuina,qua po-
pulus in gratiam & fœdus aſſumptus,potiturus eſſet: ad quam Propheta & hoc loco,& infrà Pſal.
61.reſpicit,cùm dicit: Quoniam fuiſti ſpes mihi,turris fortitudinis à facie inimici.Habitabo in ten. "
torio tuo per ſecula,confido in occulto alarum tuarum:Selah.Quibus verbis pulchrè aperit, quid "
voluerint alæ illæ Cherubim.quæ arcam fœderis obtegebant.

Verſ.9. *A facie impiorum qui me adfligunt.*] Conſequenter periculum exprimit, à cuius facie ad alas diuinæ protectionis confugiebat. Significat enim, perinde ſe à facie hoſtium ſuorum ad diuinam protectionem confugere,atq; pulli à facie vulturis,& id genus rapacium auium,quarum etiam vmbram horrent ac fugiunt,ſub alas gallinæ ſeſe abdunt. Simul autem & impietatem & crudelitatem inimicorum ſuorum querulando,non hoc modò,ſed & ſequentib. verſibus peſtringit: qua in re perinde facit,atque pueri ſolent,qui dum à facie alicuius,cuius conſpectum exhorrent,ad ſinum paternum perterrefacti ſeſe recipiunt, ſtatim periculi magnitudinem à quo fugierunt,commemorant: & quid viderint. quamque illud ſit horrendum,exponunt:ſcientes ſe loqui paternis auribus & affectibus. Sic poſtquam ad alas Dei ſui confugit Propheta, vocat hoſtes ſuos *impios,adflictores,inimicos*,& qui ſe auferendæ vitæ gratia circundent.Et addit.

Verſ.10.11. 12. *Adipe ſuo concludunt*]Hiſce tribus verſibus,10.11.& 12.primùm de impiorum inimicorũ ac perſequutorum ſuorum potentia & opulentia queritur:quam dictione *Adipis* metaphoricè notat ſicut "
& alijs Scripturæ locis fieri videmus.vt Amos 4: Audite, *inquit*, verbum Domini vaccæ pingues, "
quę eſtis in monte Samarid,quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes.& Pſal. 22: "
Tauri pingues obſederunt me. & Pſal. eodem: Adorabunt eum omnes pingues terræ.& Pſal.78: "
Et occidit pingues eorum.Faciebat autem ad magnitudinem mali,à quo premebatur Dauid,quòd inimici eius,homines impij,non erant tenuis fortunæ homines,pauperes, & imbecilles.ſed diuites & potentes.Etenim pauperum malicia non ita eſt ad nocendum inſtructa, ſicut & opulentorum & potentum.

Deinde queritur,potẽtes inimicos ſuos concluſiſſe etiam,& conſpiraſſe aduerſum ſe: *Adipe ſuo concludunt*,inquit: vel,ſi mauis,*concluſerunt*.Eſt autem iſta concluſio nihili aliud,quam conſiliorũ & virium ad perſequendum innocentem & extinguendum coniunctio,& determinata quædam cõſpiratio.Satis fuiſſet,quòd hoſtes Dauidis potentes erant ac diuites,etiamſi ad exitium illius nihil inter ſe concluſiſſent.

Ore ſuo ſuperba loquuntur.]Tertiò queritur de ſuperba illorum præſumptione,qua propter potentiam inflati,grãdia & horrenda loquebantur,minabantur,& præſumebant: id quod peculiare eſt B
illis qui in hoc ſeculo reliquis ſunt potentiores. Sic Saul dicebat 1.Sam.20:Et iam vade & adduc "
eum,quia filius mortis eſt.Et 1.Sam.23:Si in terra fuerit,in millibus Iudah,ſcrutabor eum. Huiuſ- "
modi magniloquentiam tribuit impijs ſuprà Pſal 12.cùm dicit: Qui dixerunt, Linguam noſtram "
magnificabimus,labia noſtra à nobis ſunt,quis noſter Dominus eſt? Et Pſalm.78:Ponunt in cœ- "
lum os ſuum.& lingua eorum tranſit in terra. Eſt autem omnis ſuperba loquutio, vel in vana glo- "
riatione & noſtri ipſorum iactatione, vel in aliorum contemptu,vel in comminatione & præſumptione eorum,quæ & diuini nominis contemptum habent,& vires excedunt.

Greſſibus noſtris obſeruatis,nunc circundãt me.]Quartò notat,his verbis in aduerſarijs ſuis indefeſſam perſequẽdi ſe maliciam & ſedulitatem,per ſimilitudinem venationis expreſſam. Quemadmodũ enim improbus venator ferarum veſtigia diligenter & pertinaciter primùm obſeruat, ignorantibus hoc feris,nihilque minus metuentibus:deinde exploratis illarum veſtigijs,ea loca clanculùm circundat.in quibus latitare conſueuerunt,& in laqueos ac plagas incautas adigere conatur: ita & Saul Dauidem cum ſuis paſsim more venatorio perſequutus eſt. Et hoc eſt quòd dicit: *Greſſibus noſtris obſeruatis,nunc circundant me.* Quòd dicit, *Greſſibus noſtris*:intelliget de ſuis ſuorum veſtigijs. & quod ſubijcit: *Circundant me*: ſignificat,ſe vnum quæri.Quòd autem non ſimpliciter dicit,*Circunderunt me*: ſed,*Nunc circundant me*: videtur ad certam quandam hiſtoriam reſpicere.& eam orationẽ hîc referre,quam ad Deum in præſenti periculo conſtitutus deſtinârit.Hanc arbitror eſſe,quam 1. Sam.23.legimus. Sic cui libet,inſpiciat eam diligenter,& huc conferat.

Illud quod dicit: *Oculos ſuos defigunt ad ſternendum in terra*: petitum videtur à ſagittarijs,qui vbi feram iaculo petituri ſunt,& ad terram poſtraturi,diligenter intentis in illam oculis collimant. Sic *inquit*,me non ſolùm circundant,ſed iamiam proſtraturi veluti iaculo,oculos habẽt in me defixos. Hiſce verbis periculi lethalis præſentiam exprimere voluit.

Similitudo eius quaſi leonis.]Ex hoc verſu & ſequenti coniectura datur,orare Dauidem hocPſalmo contra perſequutionem Saulis,eò quòd vnius,præcipui alicuius,& præpotentis meminit, quem leoni prædæ cupido comparat.Eſt autem Scripturæ hoc conſuetum, præſertim in Pſalmis & Prophetis,vttyrannos impios leonibus aſsimilet.Et Salom. Prou.28.dicit:Leo rugiens, & vrſus eſu- "
riens, princeps impius ſuper populum pauperẽ. Quin & Apoſtolus 2.Tim. 4.Neronem,ob illius "
crudelitatem leonem vocat.Sic Dauid Saulem hîc,propter nimiam erga ſe ferociam & crudelitatem,leoni comparat,dicens:*Similitudo eius quaſi leonis*.nec ſic contentus addit,*Prædæ cupidi*.Terribilis eſt leonis,etiam dormientis cõſpectus:quid autem terribilius eſt, quàm ſi leo prædę propter eſuriem cupidus,alicui occurrat? Vnde & illud eſt: Leo rugit,& quis nõ timet? Per illud autem quod "
ſubijcit: *Et quaſi catuli leonis latitãtis in abditis*:inſidias occultas notat.quib.à Saule impetebatur:quem inſidiari ſibi perinde dicit,ac ſi catulus leonis in abdito latens, de præda circumſpiciat,in quam ex improuiſo irruat.

Cuſtodi

A *Custodi me sicut pupillam oculi.*] 1. Notandum est hoc loco, quàm infirmitatem suam Propheta, quâ tumuis aliàs cordatus, & in bello strenuus, & agnouerit, & confessus etiam sit, in eo quòd se & custodiri, & sicut pupillam oculi custodiri petit: qua certè petitione satis declarat, quàm in se non fidat, sed vniuersalem sui conseruationem in protectionem Dei collocet. OBSER. *Vers. 8.*

2. Deinde notandum etiam est, qua fuerit erga Deum spe & fiducia, vnde illi hæc nata est petitio. Credidit Deum sperâtes in se haud aliter custodire, quàm nos solemus rationem habere oculorum nostrorum, & quàm gallina solet pullos suos sub alas suscipere, obtegere & conseruare. Alioqui nisi hac fide præditus fuisset, custodiam hanc à Deo non petijsset. Et hanc fidem erga Deum in nobis alendam, faciunt ea quę Deut. 32. legimus: Pars Domini, *inquit*, populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & supra eos volitans, expandit alas suas, *&c.* Deinde & Zach. 2. dicit. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et huius diuinæ bonitatis imaginem in Christo expressam videmus Matth. 23. vbi dicit: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Seruiant ista fidei nostræ, vt & ipsi cum Propheta dicamus: *Custodi nos Domine vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege nos*: cum Propheta, *inquam*, & vera fide dicamus: non cum hypocritis, qui versiculum hunc quotidie in completorijs suis sine fide, spiritu & veritate vsurpant.

A facie impiorum.] 1. Principiò obseruemus hoc versu, quomodo vocet hostes suos, & quid de illis prædicet. Erant de populo Dei: & Saul ipse rex populi Dei, erat socer ipsius Dauidis. Et tamẽ nihilominus vocat eos impios, & inimicos suos. Deinde prædicat de eis, quòd se adfligant: vel, vt alij legunt, *vastent*, & ad auferendam ipsi animam sese circũfundant. Expendamus hanc sortem populi Dei. Videmus in hac imagine, quid expectandum sit pijs in populo Dei, quando datur rex impius. Sub illo regnant impij homines inquieti, & ad omne genus maliciæ propensi. Sub illo adfliguntur insontes ac pij: nec adfliguntur tantùm, sed & vastantur. Sub illo inueniunt pij inimicos, eos qui debebant esse fratres. Sub illo circundantur pij ab impijs, vt feræ in morem capiantur ac prosterrantur.

2. Deinde notandum est hoc versũ, quid causæ sit, quòd Deus ea contingere pijs permittit, de quibus hîc Propheta queritur: vtpote, quòd inimicitiam, maliciam, & persequutionem impiorum hominum experiuntur. Versu præcedẽti dixit: *Custodi me vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum abscconde me*: ac subiunxit: *A facie impiorum, qui me adfligunt*, &c. Ergo facies impiorum & inimicorum à quibus adfligebatur, & ad mortem quærebatur, & circundabatur, adeò erat ipsi terribilis, vt ab illa ad alas Dei confugeret. Innuitur igitur, ob id nos diuina dispositione adfligi ab impijs, vt ab illorũ facie ad protectionem ac custodiam Dei confugiamus. Et reuera nunquam sancti ad alas Dei cupidiùs aduolant, quàm cum horrendis modis agitantur ab impijs. Quantumuis gallina pullos suos mutata voce ad se vocet, parùm efficit, nisi vmbra vulturis vel milui, vel accipitris terreatur, & perterriti aduolent. OBSERV. *Vers. 9.*

Adipe suo concludunt.] Primùm obserua, quòd impijs, inimicis ac persequutoribus suis Propheta tribuit *adipem & pinguedinem*, qua in re per opprobrationem opes illorum perstringit, quas rapacita- B te & pauperum oppressione acquisierant: quibus etiam sic pasti erant, vt præpingues: id est, opulenti & potentes essent. Distribuerat enim illis Saul agros, vineas, & oliueta, *&c.* quæ populo eripuerat: id quod illis etiam Saul ipse opprobrauit. 1. Sam. 22. Ergo pinguedo illa & opulentia ad hunc modum contracta, meritæ est exprobrationi secundum hoc Prophetę exemplum obnoxia. Sic & illi qui Christum in carne persequuti sunt, pingues ac diuites erant ex rapina populi. id quod illis Christus Matth. 23. opprobrat, dicens: Intùs autem pleni estis rapina. Et: Qui deuoratis domos viduarum. OBSERV. *Vers. 10.*

Assuescamus ergo & nos cum Dauide & Christo non simplices, tenues & imbecilles, sed diuites & pingues hostes pati: cogitantes, hanc non Christi modò, tanquam capitis nostri, sed & nostram, qui membra illius sumus, esse sortem. *Cogita hic de pinguedine Pontificum & Abbatum & Prælatorum, vnde illã contraxerint.*

Deinde & illud obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, *Adipe suo sunt impinguati*, vel *pingues sunt*: sed, *Adipe suo concludunt*. Videmus hîc, quid faciant pingues, opulenti & potentes impij. Concludunt contra pios. Quid autem concluderent aliud, quàm quod contra Dauidem & Christum ipsum conclúserunt? Nempe vt tollerentur è medio. Sic Psalm. 2. legimus: Assistunt reges terrę, & principes conueniunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. quem locum Apostoli quoque Act. 4. citant. Quòd autem concluserint, Christum tollendum esse è medio, Ioh. 11. Matth. 26. patet. Idem postea & contra doctrinam Christi concluserunt, Act. 4. & 5 verùm quoniam non est consilium contra Dominum, nihil suis conclusionbus effecerunt nisi quòd seipsi magis ac magis in exitio suo obfirmarunt & innodarunt. quę res consolationi sit etiam nostris temporibus, contra pinguium taurorum conclusiones, quibus veritatis doctrinam extinguere conantur.

Ore suo superba loquuntur.] In eo quòd Propheta non solùm de improbitate & malicia factorum sed & de superbia verborum, impios in conspectu Dei accusat, obseruandũ venit, quàm sit illa detestabilis & coram Deo, & coram pijs. Neq; enim pauperum duntaxat, sed & diuini numinis contemptũ habet. Imò plus subinde animos piorum cruciat, quàm ipsa persequutio. Sic Iudith. 6. populus Bethulię ad Deum orabat, dicẽs Domine Deus cœli & terrę, intuere superbiam eorũ, & respice ad humilitatem nostrã & ostende quàm non derelinquas prę sumentes de te & prę sumentes de se,

de se,& de sua ipsorum virtute gloriantes humilias. Discamus ergo minacem impiorum hominũ superbiam ad aures Dei deferre cum Propheta,nec dubitemus resistere illum superbis, &c. A

OBSER. Verſ. 11. *Gressibus nostris (obseruatis) nunc circundant me,* &c.] 1. Notandum est hoc versu quòd & pluraliter & singulariter loquitur Propheta.Pluraliter,cùm dicit: *Gressibus nostris obseruatis*: singulariter, cùm subijcit: *Nũc circundant me.* Solus quidem nõ erat,sed multos secum habebat,vnà cum ipso in exilio constitutos: verùm vnus quærebatur & circundabatur. Caput erat & princeps eorum quos secũ habebat. Circundabatur à pinguibus regni Saulis satellitibus: sed sic,vt vnà & eorum gressus obseruarẽtur,quos exilij habebat socios. Videmus hîc sortem Christi & Christianorum expressam. Solus non est, sed habet in se credentes, & se principem & vnicum caput sequentes persequutionis socios: & tamen vnus quæritur,perinde atque ab Herode infantium occisore factum legimus. Quæritur adhuc im membris suis,impiorum hominum ac pinguium insidijs expositis. Vnde & ad Saulum cœlitùs dicebat: Saule Saule,quid me persequeris? Faciunt hæc, si diligenter expendantur,ad consolationem omnium fidelium,in quibus hic Mũdus Christum verum Dauidem ad perdendum quærit. Firmum enim illud est Apostoli: Si vnà cum illo patimur, simul etiam cum illo regnabimus. "

2. Deinde in eo quòd dicit: *Nunc circundant me, oculos suos defigunt ad sternendum in terra:* obseruandũ est,si ipsam historiam expẽdas,ad quam Dauid respicit, quàm non debeant pij desperare de protectione Dei,etiamsi sic incidant in manus impiorum,vt iam circundentur,& veluti fera quædam intentis iaculis impetantur. Re ipsa declaratum est in Dauide, quàm sciat Deus suos è medio extremi discriminis eripere,1.Sam 23.

OBSERV. Verſ.12. *Similitudo eius quasi leonis.*] Primùm hoc versu admonemur, quanta sit ea populi Dei miseria, qua qui debebant esse patres & pastores ouium, per metamorphosin in rapacissimos leones mutantur. Accidit hoc Israelitis in Saule. Constitutus erat Rex populo Dei: verùm sic poscente populi ingratitudine & malicia,mutatus est in leonem. id quod & Samuel illis 1. Sam. 8.cùm regem sibi more gentiũ dari peterent,futurũ prædixit. Quęso quid aliud accidit in Ecclesia Christi postquam ad formam terreni regni exaltati sunt Episcopi,præcipuè Romanus ille, qui etiam triplici corona regni gloriam ostentat? Stultitiæ huius & dementiæ pœnas iam diu dedimus,& porrò quoq; dabimus Iob 34 dicit: Dominus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.Flagellum hoc Dei agnoscendum est,& patienter ferendum. Dauid hîc,qui non tulerat leonem & vrsum ouiculis suis insidiantes,Saulem leonis instar & contra se,& in populo Dei sæuientem pertulit,non tollens eum è medio, etiam cùm illius copiam nactus esset, sed dicebat: Absit. Quis enim mittens manum suam in Christum Domini innocens erit? 1. Sam. 24 25. Quid ergo faciendum? Si innocentes fuerimus, clamemus ad Dominum cum Dauide.Si peccata fuerint, emendemus vitam nostram,& coram Deo humiliati misericordiam imploremus.Hæc erit optima & sola efficax ratio,tollendi ac frangendi leonum sæuitiam.Et illud obseruandum est,quòd vnius mentionem facit,cuius similitudo sit quasi leonis,cùm tamen multi essent impij & inimici. Notat Saulem qui reliquorum princeps & caput existens, autor erat omnis persequutionis quam ferebat.Gessit hic imaginem satanę,qui caput est reproborum omnium,sicuti Christus piorum & electorum. De hoc est quod 1. Pet. 5 legimus: Diabolus,*inquit*, sicut leo rapiens ac rugiens circuit, quærens quem deuoret.Non circuit solus,sed innumero satellitio malorum & spirituum & homi- " num instructus. Curandum ergo nobis,vt sub veri Dauidis, Christi videlicet vnici nostri pastoris, " custodia & protectione nos indesinenter cõtineamus. Sic enim ille oues suas tuetur,vt à nemine manibus ipsius eripi queant Iohan. 10. Ne longiùs itaque ab illius custodia euagamur. Non enim poterimus tuti esse ab incursu leonum infernalium, qui non solùm aperto rictu & manifesto rugitu horribiles occurrũt,sed & per insidias incautos adobruunt Vnde & hîc Propheta dicit: *Et quasi catuli leonis latitantis in abditis.* Etenim trãsfigurat se satan in angelum lucis,vt seducere queat imperitos ac simplices. Non solùm igitur illis qui manifestè sunt impij, & tyrannidẽ palàm exercent, sed & in falsis prophetis, falsis sacerdotibus, hypocritis & hæreticis,in quibus velut latibulis quibusdam latitat,timendus est,& summa diligentia cauendus.

13. Exurge Domine,præueni faciem eius,supplanta eum:eripe animam meam ab impio framea tua.

14. A viris manus tuæ Domine, à viris huius seculi: quorum pars in hac vita,quorum ventrem de thesauro tuo adimples,quorũ saturantur filij, & relinquũt reliquias suas paruulis suis.

15. Et ego in iustitia videbo conspectum tuum: satiabor cùm euigilauerit gloria tua.

LECTIO. Verſ.13. *Framea tua.*] Ebr. חרבך Græcus, ῥομφαίαν σου. Vulgata Latina. *Frameam tuam.* Et vtrobique coniungitur hęc particula sequentibus,& sic legitur: *Frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* vt finis versus 13.& principium 14 coniungantur. Iustinianus & Pagninus legunt: *Qui est gladius tuus.* Hos sequuta est & Tigurina versio,& paraphrastes Campensis. Et Felinus legit: *Qui tibi vice gladij est.* Zuinglius sic: *Et redme gladio tuo animam meam ab impio.* Chald. *Qui meretur interfici gladio tuo.* Et Græca scholia sic habẽt: τῇ ῥομφαίᾳ σου χρώμενον καὶ ὠνοῦμαι. Sic etiam Symmachus reddidit τὰς μαχαίρας σου.

Verſ.14. *A viris manus tuæ Domine.*] Ebr. מתים ידך Græc. ἀπ' ἀνθρώπων τῆς χειρός σου. Et vulgata Lat. *Ab inimicis manus tuæ.* Et vtrobique versus 13. hîc finitur,& dictio *Domine* ad sequentis versus initium refertur. Chald. *Et iustorum qui deuouerunt animas suas propter te in mortẽ de terra.* Hîc. מתים legit per zere,quæ dictio *mortuos* significat. At exemplaria Ebræa habent מתים per scheua, quæ vox significat *viros.*

Pagni.

A Pagninus: *A viris qui sunt flagellum tuum erue Domine.* Tigurina versio: *A mortalibus istis qui manus tua sunt, ô Domine.* Sic & Felinus. Felix verò sic: *A viris manu tua Domine.* Et Zuinglius: *Manu tua Domine à mortalibus.*

A viris huius seculi.] Ebr. מִמְתֵי מְחֶלֶד. Græcus: ἄνδρες ἀπὸ ὀλίγων ἀπὸ γῆς. Et vulgata Latina: *Domine à paucis de terra.* Felix: *A viris ex tempore.*

Quorum pars in hac vita.] Ebr. חֶלְקָם בַּחַיִּים. Græcus, quoniam sine punctis legit, quod in Ebræo est, חלקם, reddidit verbaliter ad hunc modum: μέρισαι αὐτοὺς ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν. Et vulgata Latina: *Dimide eos in vita eorum.* Significat enim חלק *dimisit.* Vnde est חֵלֶק *portio.* Verùm reliqui legunt nominaliter חלקם: id est, *Portio eorum.*

Quorum ventrem, &c.] Græc. καὶ ἀπὸ κρυμμένων σου ἐπλήσθη ἡ γαστὴρ αὐτῶν, ἐχορτάσθησαν υἱῶν, καὶ ἀφῆκαν τὰ λείμματα τοῖς νηπίοις αὐτῶν. Vulgat. Lat. *Et de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filijs, & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.* Alij reddunt in futuro: *Adimplebis, saturabuntur, dimittent,* &c. alij sic: *Vt impleas, vt saturentur filijs, & dimittant,* &c.

Satiabor cùm euigilauerit gloria tua.] Ebr. אֶשְׂבְּעָה בְהָקִיץ תְּמוּנָתֶךָ. Græc. χορτασθήσομαι ἐν τῷ ὀφθῆναί μοι τὴν δόξαν σου. Vulgata Latina: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Chald. *Satiabor in tempore quo euigilabo, à gloria similitudinis tuæ.* Significat autem תמונה *formam figuram & similitudinem.* Hinc Felix: *Satiabor dum surrexit similitudo tua.* Et Pagninus: *Satiabor cùm expergefacta fuerit imago tua.* Felinus & Tigurina versio: *Satiabor cùm euigilauero specie tua.* Arabs verò: *Et satiabor à splendore magnificentiæ tuæ.* *Vers. 15.*

Exurge Domine.] Vers. 13. & 14 reditum habent ad precationem, & auxilij diuini imploratione versu octauo cœptam, & querimonia de crudelitate, & improbis insidijs inimicorum interruptam. Dicit itaque: *Exurge Domine, præueni faciem eius, & supplanta eum.* Loquitur autem de Saule, qui ipsum leonis instar sæuus & improbus prosequebatur. Et quoniam dixerat: *Nunc circundant me, & oculos suos defigunt ad sternendum in terra:* celerem opem Dei implorat, oratque, vt irruens hostis præueniatur, & in ipso impetu supplantetur, atque ita anima sua ab impio veluti gladio Dei eripiatur. quasi dicat: Nisi tu Domine subditò exurrexeris, & irruentis in me leonis faciem præuenias, & sæuientem supprimas, animamque meam eripias, actum est de vita mea, euadere non poterò. Perspicuum est itaque, exprimere Prophetam his verbis angustiati animi suspiria & clamorem, quibus ipso vitæ discrimine comprehensus, cœlestem opem, eamque festinatam & celerrimam implorauit. EXPLANATIO. *Vers. 13.*

A viris manus tuæ Domine.] Hoc versu coniungit iterum Saulis improbitati, subseruientium illi impiorum maliciam & ingenium. Vocat autem eos primùm *viros manus Dei.* quæ loquutio non eodem sensu capitur. alij sic *A viris manus tuæ:* id est, à viris qui tibi sunt vice manus, quibus ad ea vteris, quę secundum voluntatem tuam exequeris. Alij ad hunc modum: *A viris manus tuæ:* id est, ab illis qui manui tuæ atque vindictæ reseruentur, vt eos aliquando merita vltione perdas. Deinde vocat eos *viros huius vitæ.* quod Kimhi Ebr sic exponit: מִמְתֵי מְחֶלֶד חֶלְקָם בַּחַיִּים שֶׁכָּל תַּאֲוָתָם וְחֶמְצָם בָּזֶה הָעוֹלָם id est, *A viris qui de hoc seculo sunt, quorum omne desiderium & votum est in hoc seculo.* Significat autè dictio חלד *tempus huius vitæ breue & exiguum.* Sic Psalmo 89. versu 47. dicit: Memòr sis (מַה חָלֶד אָנִי) id est, *quantuli æui ego sim.* Et Psal. 49: Audite hoc omnes populi, auscultate quotquot (יֹשְׁבֵי חָלֶד) vitâ hanc breuem inhabitatis. In se quidem vita hæc breuis est omnibus, & pijs & impijs: verùm illis meritò breuitas huius vitæ obijcitur, qui illius gratia contra Deum improbè peccant, & sempiternæ vitæ felicitatem susque deque faciunt. Tertiò dicit, *portionem eorum esse in hac vita.* Declarat præcedentem particulam, quid sit esse de hoc seculo. Est portionem suam habere in hoc seculo, corde esse præsenti huic Mundo addictum, & dies suos in bonis ducere in hac vita. Quartò, *Quorum ventrem,* inquit, *de thesauro tuo adimples.* Subijcit specificationem quâdam eius portionis, quam impij in hoc seculo quærunt. Carnales sunt, & carnalia quærũt, videlicet vt ventri & ingluuiei bene sit prospectum, nec desit posteris ea rerum terrenarũ saturitas. Vnde & subdit: *Qui saturantur filijs, & relinquãt reliquias suas paruulis suis:* quibus verbis impijs & curam liberorum Prophetа adscribit, & eã rerũ opulentiam, qua non solùm ipsi abundent, sed & liberis suis omnia abundè suppedident. *Vers. 14.*

Et ego in iustitia.] Recepto per precationem animo, & fiduciam suam ac spem de futura felicitate conceptam omnibus inimicorum suorum conatibus, & quibuscunque fortunis ac delicijs, quibus illi abundabant, opponit, dicens: *Ego verò in iustitia videbo conspectum tuum, satiabor cùm euigilauerit gloria.* q d Hostes mei huc omnia dirigunt, vt in bonis ducant dies suos, & rerum abundantiam relinquant filijs suis & hoc me nomine & quosuis pios omnis iustitiæ studio reiecto persequuntur: egò verò interim, quamuis misere profligatus & adflictus, iustitiæ studium non deseram, sperans futurum, vt aliquando conspectum tuum videam, & gloria tua, cùm illa euigilauerit, abundè satier: hac spe cuncta aduersa fortiter feram, & ope tua adiutus, victor euadam. Intelligunt nonnulli ista de tempore regni, cuius promissionem & vnctionem à Samuele acceperat: verùm plenius est si de futura felicitate intelligamus. *Vers. 15.*

Exurge Domine, præueni faciem eius.] 1. Principiò notandum est obiter, quòd dicit: *Exurge Domine.* Sic solent pij, dũ extrema periclitari videntur. Præualescentibus contra se impijs, Deum putant altũ dormire, dum aduersariorum impietati aliquandiu parcit, & ad omnia illorum & consilia & facta conniuere videtur: atque ideo anxiè illum inclamant, dicentes: *Exurge Domine.* Sic suprà Psalm. 3. 7. 10. & infrà 44. 68. Verùm vt Psal. 121. canitur: Non dormitat, neque dormit, qui custodit Israelem. OBSERV. *Vers. 13.*

2. Deinde obseruandum est quòd dicit: *Præueni faciem eius, supplanta eum. eripe animam meam ab impio,* &c. quibus verbis tria perstringit in Saule, quæ in leone prædam iamiam inuadente vehementer sunt horrenda. Primũ est, velocissimus incursus, quę præda nõ effugit. Deinde robur ac violẽtia in corripien-

corripiendo,cui resisti non poterit. Tertium, mors certa. Hæc tria imminebant Dauidi à Saule, A
quem leoni truculento & prævalido comparat.Incursus eius adeò erat præproperus,vt illum Dauid effugere nequiret.1.Sam.23. Deinde adeò erat Saul venator robustus,vt si correptus|ab illo fuisset Dauid,certissima morte interijsset.Ideo orabat,dicens: *Exurge Domine,præueni faciem eius,supplanta eum, eripe animam meam ab impio.* Considerandum itaque fuerit hoc locò,quàm velox,præsens, & prævalidus suorũ defensor Deus.Expertus est hoc Dauid 1.Sam.23.& Petrus Actor.12.quem Dominus misso angelo velut è faucibus Herodis eripuit: & Israelitæ ante faciem Pharaonis per mare rubrum transeuntes:& Paulus quoque,qui se ore leonis ereptum fuisse scribit.

OBSERV. Verſ.14. *A viris manus tuæ Domine.*] 1. Primùm, si prior sententia placet, vt impij dicantur *viri manus Dei*, quòd illi vice manus sunt: notandum est, quòd Propheta ea quæ per Saulis impietatem & maliciam patiebatur,perinde Deo adscribit, quasi manu illius inferrentur, quantumuis per iniuriam à Saule adfligeretur. Sic Iob 19. quæ ferebat incommoda,manui Dei adscribebat,dicens: Manus « Domini tetigit me. Ad eum modum & nos, quando ab impijs exercemur & adfligimur,agnoscamus eos esse manum Dei. Deinde & hoc notandum est,quòd ab impijs liberari petit,quamuis agnoseret eos esse viros & ministros manus Dei. Sic Psalm. 38 dicit: Obmutui,& non aperui os « meum,quoniam tu fecisti:amoue à me plagas tuas.facilè feruntur quæ ab hominibus inferuntur:à « Domini verò manu impeti,grauissimũ est. Quid enim hîc aliud sentit caro:quàm Dominum stare à partibus inimicorum? Quapropter magna hîc fide opus est,ne succumbamus, ac mordicus tenendum aduersarios esse improbos,impios,& aduersus dexteram Dei rebelles,ac tales quibus Dominus fauere nequeat.Sic & Ezechias,quamuis regem Assur sciret esse virgam furoris Domini(Esa10)id quod & legatus Assyriorum manifestè prædicabat,2.Reg.18: Nunquid sine voluntate « Domini ascendi ad locum istum,vt demolirer eum? Dominus dixit mihi:Ascende ad terram « hanc,& domolire eam: nihilo tamen minus,magno studio impietatem illius in conspectu Dei ac- « cusat,qua Deum Israelis blasphemabat,& aduersus illam opem Dei implorat.Discamus itaque & nos, etiam contra viros manus Dei ad Deum ipsum clamare,præsertim quando non per iniuriam adfligunt & persequuntur.

2.Si verò posterinr huius loci expositio placet,vt viros manus Dei eos intelligamus,de quibus ipse manu sua sumpturus est supplicium, secundum illud Psal. 21: Inueniat manus tua omnes qui « te oderunt:& suprà 10:Vt des in manu tua:obseruandũ est,impios illos præpingues, prævalidos, « leones,piorum persequutores,qui in hoc seculo regnant,nec sibi à mortalium vel iudicio vel viribus timent,ideoque pro libitu suo cuncta faciunt impunè,esse viros manus Dei:id est,diuinæ vltioni reseruatos,non humanæ.

A viris huius seculi.]Obseruandum est hoc loco,quòd non dicit,*A viris qui sunt in hoc seculo*: sed,*A viris huius seculi*: vel,vt in Ebræo est מֵחֶלֶד:id est,*De hoc seculo.* Aliud est, esse in hoc Mundo:& aliud, B
esse de hoc Mundo.In Mundo sunt etiam pij,& erat in Mundo Christus ipse:de Mundo verò nõ sunt:id est, ad hũc Mundũ non pertinent.Sic Iohan:16,dicit Christus:Si de Mundo essetis,Mun- «
dus quod suum esset, diligeret: quia verò de Mundo non estis,sed ego elegi vos de Mundo, pro- «
pterea odit vos Mundus. Et ca.17:Mundus eos odio habet,quia non sunt de Mundo,sicut & ego «
non sum de Mũdo. Et tum eodem cap.dixit: Iam non sum ampliùs in Mũdo,& hi in Mundo sunt. «
Cauendum itaque nobis est,ne sic viuamus in hoc seculo,vt & ipsi, perinde atq; impij, viri huius seculi dici queamus. Admonet Apostolus Rom. 12. ne conformemur huic seculo. & Ioannes in Canonica sua cap.2.ne diligamus hunc Mundum.

Quorum pars in hac vita.]3.Notandum hîc est,quod sit ingenium,& quæ sors filiorum huius seculi.Postquam dixit:*A viris huius seculi*:adijcit,*Quorum pars in hac vita.*Ergo filij huiuius seculi portionẽ suam in hac vita & quærunt & inueniunt Est autem cuiusque portio, vltra quam nec quærit ille quicquam,nec inuenit etiam.Qui de hoc seculo sunt,quæ huius sunt seculi quærunt. Nos igitur qui de hoc Mundo non sumus,primùm thesauros colligamus non terrenos,sed cœlestes: Matth. «
6.quæramusque non quæ sunt super terram,sed quæ sursum sunt in cœlis,vbi Christus est ad dex- «
teram Patris:Colossens.3.nec respiciamus præsentia,sed futura:2.Corinth.4. Deinde,si misere in «
hoc seculo accipimur & tractamur, cogitemus, non esse nos de hoc seculo:ideoq; portionem nostram non esse in hac vita,sed in futura. Tertiò,non inuideamus filijs huius seculi qualemcunque illorum & breui perituram portionem, quæ reuerà digna non est,vt illius nomine quisquam inuideat impijs diuitibus gloriosis & potentibus, qui in bonis ducunt dies suos,& in puncto cum diuite epulone descendunt ad inferos.Sed de hac materia vide suprà quædam, Psalmo præcedente.

Quorum ventrem de thesauro tuo adimples.] 4 Notandum est,quòd vẽtris adimpletionem filijs huius seculi adscribit. *Ventris* dictio,licet creatura Dei sit venter, subinde tamen malè audit in Scripturis,nimirum propter abusum illius turpem ac probrosum, quo ingluuiei illius seruitur impensè: quasi ad hoc nati simus,vt comedamus & bibamus. Salom. Prouerb.13.distinguẽs inter iustũ & impium: Iustus,*inquit*,comedit ad satiandum animam suam,venter verò impiorum eget. Non di- «
cit,*Iustus comedit ad satiandum ventrem suum*:sed,*Ad satiandum animam suã*: vt ostendat,iustum edendo & bibendo non ventris ingluuiei seruire,sed necessitatis vitę duntaxat sustentandæ habere rationẽ. Nec dicit,*Anima impiorum*:sed,*Venter impiorum eget*:vt significet,eos esse mancipia ventris,cuius tanta sit ingluuies,vt saturari nequeat, eò quòd impij non ad naturæ necessitatem, sed ad præscripta concupiscentiæ ac voluptatum comedant ac bibant.Tale quid notauit Apostolus in Cretensibus, Tit.1.dicens: Cretenses semper mendaces,malæ bestiæ,ventres pigri.Quantum mali nascatur ex «
ista ventris ingluuie,nec præsentis est instituti,nec possibile etiam,si quàm maximè velim,vt exa-

ctè re-

A ctè recenſeam. Quæ corporum ex illa pernicies proueniat, excutiant phyſici, quib. ex ea haud modica pars lucri naſcitur. Nos cogitemus primùm, quàm ferax ex illa ſit peccatorum prouentus, potiſſimùm ſcortationis variæ libidinis, & adulterij. Vide Ezech. 16. vbi inter cauſas Sodomiticæ ac ſceleſtæ impuritatis, ſaturitas panis nominatim ponitur. Et Apoſtolus cùm Roma. 13. dixiſſet: Non in comeſſationibus: ſubiunxit, Nec in cubilib. & impudicitijs. Deinde, quàm corda mortalium per crapulam vſq; adeò obturentur, grauentur, & excæcentur, vt nihil rerum cœleſtium vel cogitent, vel audiant, operumq; ac iudiciorum Dei nullam rationem habeant. Sunt enim huiuſmodi ventres in eo prorſus abſorpti, vt bene habeant in hac vita, nec aliud præterea curant, cæci ad omnia ea quę diuinitùs geruntur. Hinc eſt quod Deut 6. Moſes Iſraëli dicit: Caue, ne quando comederis & ſatiatus fueris, obliuiſcaris Domini Dei tui. Sic filius prodigus, donec in luxu erat, paternæ domus obliuione tenebatur. Sic Eſa. 22. legimus: Et vocat Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum ſacci, & ecce gaudium & lætitia: occidunt vitulos, iugulant arietes, comedunt carnes, bibunt vinum, ac dicunt: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. *Hæc ibi.* Quid aliud queritur eo loco Propheta, quàm quod & nos hodie querimur? Iram Dei minantur omnia, & ad pœnitentiam vocamur quotidie: verùm ita paſſim obtinuit hoc explendi ventris malum, & corda mortalium aggrauauit, vt pauciſſimi ſint qui ſeſe ad pœnitentiam permoueri ſinant: vſq; adeò verum eſt, q. Græcorum prouerbio, *Venter aures non habere*, dicitur. Non eſt itaq; præter rationem, quòd CHRISTVS de nouiſſimis temporibus, illorumq; malis præmonens Lucæ 12. dicit: Attendite vobis, ne corda veſtra aggrauentur crapula & ebrietate, & curis ſeculi, *&c.* Adhæc non ſolùm ſeipſos ventris mancipia perdunt, ſed & alijs plurimùm incommodant. Primùm vndequaq; corradunt, quod ad ſeruiendum ventri inſumant: quorum ſumptuum nec modus eſt, nec finis. Huc ſeruiunt vſura rapina, depilationes, exactiones, & innumeri modi, quib. pauperes opprimuntur & ſpoliantur. Deinde qui tales in magiſtratu conſtituti ſunt, ad rerum gubernacula ſuſtinenda tàm ſunt inutiles, quàm animum appoſitum ad illa non habent: quem habent mollem, teneréq; educatum, obtuſum, & nunquam non ebrium, & crapulam ſpirantem. Et ob hanc cauſam omnia committunt illis, quos aſtutiores in hunc vſum ſplendidè fouent, qui etiam pulchrè res ſuas curant, & ex obſcuro in magnum ſplendorem emergunt: qua re quo modo conſultum ſit ſubditorum neceſſitatibus, deplorandum eſt, admonendum non eſt: vt non fruſtrà dictum ſit à Salomone Eccleſiaſt. 10. Væ tibi terra, cuius rex puer eſt, & cuius principes manè comedunt: Beata terra, cuius rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxum. Quid eſt aliud quod dicit, *Cuius principes manè comedunt*: quàm, Cuius principes ventres ſunt, commeſſationib. ac luxui indulgentes? Hoc genus principum opus Domini non reſpiciunt. vnde eſt illud Eſa. 5. Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis: Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia in conuiuijs veſtris, & opus Domini non reſpicitis. Conſimili

B modo habet & eorum conditio, qui cùm volunt eſſe paſtores ouium Chriſti, perſpicuè ventris eſſe mancipia reperiuntur. Eſt autem falſorum paſtorum vitium hoc peculiare, vt ventri ſeruiant, ſicut Eſaias quoq; de illis queritur, dicens: Speculatores eius cæci omnes, *&c.* vide cap. 56. Et Apoſt. Ro. 16. & Phil. 3. dicit eos ſeruire ventri ſuo, & ventrem illorum eſſe Deum. Et Chriſtus quoq; notam hanc malo ſeruo inurit, quòd comedat & bibat cum Ebrioſis, Matthæi 24. Quid autem peſtilentius Eccleſiæ Chriſti accidere potuit, quàm, quòd pro miniſtris Chriſti nacta eſt ventris ſeruos?

De theſauro tuo.] Quòd autem non ſimpliciter dicit, *Quorum ventrem adimples*: ſed, *Quorum ventrem de theſauro tuo adimples*: non videtur velut inane prætereundum. Primùm itaq; obſeruemus, quod vitæ noſtræ alimoniam theſauro DEI adſcribit, theſaurum illius vocans omnem eam ſubſtantiam, qua paſcimur in hac vita: vt ſimul admoneamur, qua fide creaturis DEI & ſubſtantia Mundi huius vti debeamus, & quàm ſint omnia nobis ab illo vnicè petenda. Deinde & illud obſeruandum eſt, quam copiam Deo earum rerum adſcribat, quib. omnia abundè paſcit: dum non ſimpliciter dicit, *Quorum ventrem bonis tuis*: ſed, *Quorum ventrem de theſauro tuo adimples*. Etenim *theſauri* dictione, infinitam & inexhauſtam abundantiam exprimit. Cogitemus de immenſis iſt's theſauri Dei diuitijs, quot ſecula durauerit hic Mundus, quibus omnia de theſauro ſuo non hominum modò, ſed & diuerſorum animantium & creſcentium genera pauit: quorum ſingulorum tanta eſt multitudo, vt ne vnius quidem generis fœcunditas vlli mortalium numerabilis eſſe queat. Et tamen ne in hunc quidem d em quicquam eſt theſauro iſto diminutum. Vide Pſalm. 104. quo ſpiritu Propheta bonorum Dei diuitias, quibus tam largiter paſcit, expendat.

Tertiò notandum eſt, quòd tali dictione vtitur, quæ ſignificat abſconditum & arcanum. Vnde & quidam reddiderunt, *De abſcondito tuo.* Admonemur, theſaurum hunc bonorum Dei eſſe abſconditum: vnde quaſi ex arcano quodam promptuarium omnis omnium alimonia prouenit, & ſecundum diuinam prouidentiam alijs plus, alijs minus diſpenſatur. *Et hic theſaurus* duplici ratione rectè *abſconditus* & *arcanus* dicitur. Vna eſt quòd illum humana nō poteſt aſſequi ratio, nec vllo pacto perſcrutari, non modò propter infinitam & inexhauſtam illius copiam: ſed & ob eam cauſam, quòd nullo illum loco, etiam ne in abſtruſiſſimis quidem terræ receſſibus inuenire licet. Eſt enim nihil aliud hic theſaurus, quàm omnipotens illa diuinæ prouidentiæ ac bonitatis virtus, omnia creans ex nihilo, & creata efficaci ſuo incremento multiplicans & conſeruans. id quod ſingulis anni manifeſtiſsimo oculorum noſtrorum experimento cernimus quidem: verùm licet illius etiam cooperatores ſimus, nunquam tamen ſatis pro dignitate expendimus. Sola fides eſt, quæ in abditiſſimum hunc & copioſiſſimum bonorum DEI theſaurum ſic penetrat, vt etiam ſi foris omnium rerum neceſſarium ſumma ſit penuria, nihilo tamen minus nihil ſibi defuturum ſperet: qua fide & infrà

Psalmo 23. Propheta dicit: Dominus pastor meus, non egebo. Huic fidei etiam in media hyeme frugifera est terra cum omni suo germine, huic omnia etiam in media siccitate aquis abundant, ita vt ex petra quoq; aquam inueniat: Numer. 20. Exod. 17. Non enim impeditur istius oculus externo rerum spectro, quem in ipsam Dei prouidentiam ac copiosissimas diuitias, vnde cuncta producuntur ex nihilo, perpetuò intentum habet. In hunc thesaurum Dei fide prospiciebat Elias apud Sareptam Sidoniorum, 1. Reg. 17. & Elizæus, 2. Reg. 4. Si Moses Num. huc respexisset, Deo respondisset longè aliter. adeò scil. magni ac sublimis animi exercitium est, thesaurum hunc inconcussa fide contemplari, vt & Moses hac in re defecerit. Altera ratio est, ob quam *thesaurus Dei absconditus* dicitur, quòd non cuiuis pro libitu patet. Neq; id mirum. Tametsi enim infinitus sit, ita tamen absconditus est, clausus & obsignatus, vt nemini quicquam ex eo tollere liceat, nisi diuinitùs detur. Sic Psal. 104. legimus: Aperiente te manum tuam, omnia implentur bonitate. Bonitate quidem Domini plena est terra, verùm sicut Apost. quoq; dicit: Qui plantat, nihil est, & qui rigat, nihil est, sed Deus qui dat incrementum. Thesauri regij non sunt cuiuis expositi, nedum cœlestis iste bonorum omnium thesaurus. Deo non dante, *inquit ille*, nihil potest labor. Ex hoc autem abscondito thesauro Dei non quæramus ventris duntaxat, sed & animæ cibum, qui non pereat, sed permaneat in vitam æternam: quem thesaurarius ipse filius Dei nobis dare & vult, & potest Ioan. 6.

Quorum saturantur filij, & relinquunt reliquias suas paruulis suis.] Datur hic verbis huius seculi filijs, quòd non solùm ipsi ventris sint mancipia, sed & filios suos in eodem secum ventris luxu educent. & hoc fine illis bona sua relinquant, vt etiam post mortem ipsorum habeant vnde ventri seruiant. Est igitur hic locus de præpostero amore ac studio parentum erga liberos, diligenter notandus, hoc præsertim seculo, quo potissimum ingluuies ventris non modò regnat in parentibus, sed & in liberos transmittitur.

Principiò culpandum non est, quòd parentes liberis suis in reb. necessarijs prouident. Sic enim diuinitùs ipsi naturæ inditum est, vt qui parens est, sobolem suam diligat: vnde monstra potiùs iudicandi sunt quàm homines, qui nulla liberorum suorum cura tenentur. Quin & bruta animantia naturâ sic comparata esse videmus, vt fœtus suos diligant: in quib. vtiq; natura non peccat, sed diuinam nobis sapientiam ob oculos exponit. Tam abest igitur vt pios amor & cura liberorum ac domesticorum dedeceat, vt Apost. fidem eum abnegasse, & infideli deteriorem esse dicat, qui suorum, & præcipuè domesticorum, curam non habeat, 1. Timoth. 5. Neq; id poterit esse culpabile, si parentes reliquias facultatum suarum relinquant paruulis suis: id quod & pij faciunt, & Abraham Genes. 25. fecisse legitur. Si malum esset in se, diligere liberos, idem non faceret Deus: si illicitum esset prouideri soboli suæ, & hæreditatem illi relinquere, nec filijs suis prouideret Deus, nec vllam illis hæreditatem destinasset. Quid igitur reprehenditur hoc loco in impijs? Illud videlicet, quòd liberos suos peruerso modo diligunt: amore scil. carnali, quo eos ob id amant, quòd sui sunt. sic de Mundo Christus Ioannis 15. dicit: Si de Mundo essetis, Mundus quod suum esset diligeret. Hic amor ex φιλαυτίᾳ nascitur, qua seipsam caro nostra diligens, propter seipsam, & id diligit quod ad ipsam pertinet, maximè quod ex ipsa nascitur, in quo & seipsam diligit & complectitur: amore videlicet cæco & corrupto, qualia sunt omnia ea quæ ex carne cæca & corrupta proueniunt. Ex hoc peruerso liberorum amore fructus quidam prodeunt, ex quibus perspicuè deprehendi cognosciq; potest.

Primus est, quòd per ipsum dilectio Dei, super omnia, etiam nos ipsos, nedum nostra diligendi supprimitur, dum impensiùs amantur liberi, quàm & illorum & noster creator DEVS. fit hoc vtiq; quando liberorum gratia vel ea committuntur, quæ gloriæ DEI repugnant, sicut Israëlitis factum est, Num. 14. vel illis permittuntur ea quæ Deo displicent: quale est quod ab Eli sacerdote, 1. Sam. 2. factum legimus. vel quando parentes contra suam ipsorum salutem peccant, vt filijs sit prospectum: vtpote quando parens viduus matrimonium vitat, ne quid facultatib. deteratur, quas liberis asseruat, & interim scortatur. Ergo recti ac legitimi amoris fructus est, quando infra DEVM dilecti, soli gloriæ Dei destinantur. Notum est exemplum Abrahæ, Gen. 22. deinde & matris 7. Machabæorum, 2. Mach. 7. Cogitemus hîc, quid à nobis requiratur, qui liberos nostros recens natos, in nomen Patris & Filij & Spiritus sancti sacro baptismate obsignandos damus: à quib. Seruator ipse Christus hoc exigit, vt se plus quàm liberos nostros diligamus, cùm Matt. 10. dicit: Qui amat filium aut filiam plus quàm me, non est me dignus

Secundus peruersi amoris fructus est, quod omnem iustæ correctionis disciplinam corrumpit: quò fit, vt præsentis seculi iuuentus sit omnium corruptissima. Notum est illud: *Blanda patrum reprobos facit indulgentia natos.* Stultitia est in corde pueri (*inquit Sapiens Prouerbiorum 22.*) virga disciplinæ effugabit eam. Hanc quomodo effugaret peruersus ille liberorum amor, qui etiam quodammodo delectatur malis illorum moribus? Quid autem poterit hoc amore peruersius excogitari, quo liberi sic amantur, vt amando perdantur? Sequendus igitur cœlestis Pater est, qui suos quos diligit, castigat & emendat, Ebr. 12.

Tertius corrupti amoris fructus est, quo curatur, vt in saturitate, abundantia, & luxu tàm vestimentorum quàm ciborum educentur liberi: deinde, vt in hoc seculo splendidè viuant. Redduntur delicati, sic vt nihil incommodi ferre queant: citiùs Christum ipsum negaturi, quàm aliquid molestiæ pro ipsius nomine subituri. Deinde redduntur insolentes erga quosuis, etiam magistratus, immites erga pauperes, arrogantes erga conciues, in religione Christi fragiles, imò tales, qui quamuis religionem, modò adsit aliqua commoditas, in speciem amplecti queant.

Postremò expendenda est etiam ea stultitia, qua magnæ facultates per fas & nefas coaceruantur, quæ liberis relinquantur. Primùm incertum est, cui illæ congregentur, sicut infrà Psal. 39. legimus:

A mus: Thesaurizat, *inquit*, & nescit cuinam congreget ea. Multis modis fieri potest, & sæpenumerò sic accidere videmus, vt ad liberos nostros quæ congregamus, non perueniant. Deinde esto ad illos perueniant: vnde scimus, quomodo relicta ipsis hæreditate post mortem nostram sint vsuri? vnde certi reddimur, ne pro sustentatione exitium illis paremus? Si mala congregamus, relinquimus illis quæ nec nostra sunt, nec ipsorum, sed aliorum. Ad ista autem quæ nam poterit accedere benedictio? Si malè instituti sunt, vel sal em non bene: quomodo partis bene vtentur, cùm maxim ę sit scientiæ, quæsitis rectè vti? Quis nescit quantum libidini seruiant opulentæ hæreditates? Quæ nam est ista insania, quòd huc tantùm propendemus, vt liberis multas facultates destinemus: & interim parum soliciti sumus, vt eos sic instituamus, quo partis bene vti sciant? Annon satis peccatorum contraximus in hac vita, nisi liberis nostris causas magnorum & multorum malorum suppeditantes, peccatorum ipsorum reddamur autores? Quapropter si consultum volumus liberis nostris, curemus primùm, vt ipsi in conspectu illorum & DEI piè viuamus, ac misericordes simus & benigni in pauperes: vt & in nobis ac liberis nostris locum habeat illud Psalm. 37. Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit. Et illud: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Benefacit DEVS posteris propter maiorum pietatem. Hinc illud: Propter Dauid seruum meum. Et Exod. 20. Faciens misericordiam in mille generationes, eorum qui me diligunt, &c. Contrà Psalm. 34 inquit: Nihil deest timentib. DEVM. Catuli leonum inopes facti sunt, & esurierunt. Deinde illos etiam piè iuxta DEVM instituamus, & huc dirigamus, vt aliquo honesto exercitio victum quærant. Post mortem non sunt ampliùs nostræ, sed DEI prouidentiæ commissi, qui pater est orphanorum. Bonitate Domini plena est terra, vnde victum facili poterunt labore quærere. Possunt auiculæ acceptis alarum subsidijs absq; ope materna nidum egressæ, quærere vnde viuant: & non possunt hoc ingenia mortalium, rationis beneficio prædita? Moriens auicula non habet de suo quod pullis relinquat: at interim vniuersas illis telluris opes, vnde sustententur, relinquit. Væ nostræ incredulitati.

Et ego in iustitia vide conspectum tuum.] 1. Principiò illud notandum est, quòd sese ab impijs inimicis suis, viris huius seculi, ventris studio per fas & nefas deditis, separat dicens: *Et ego*: quod aliqui discriminationis huius gratia reddunt, *Ego autem*. Magnus est separationis ac differentiæ huius vsus in cordibus credentium, non modò in eo quòd se diuersos ab impijs esse iudicant, sed & quod diuersimodè ab illis animati, diuersa ratione vitam suam instituunt, & spe quoque ab illis diuersa ducuntur, & in quibusuis tribulationibus sustentantur & eriguntur. Sciebat Propheta inimicos suos, vt impios, & non futuri, sed præsentis seculi filios diuersa fortuna vti in hac vita, & alienos esse à spe B futuræ felicitatis: ideoq; consideratione differentiæ huius se spe solatur, dicens: *Et ego in iustitia videbo conspectum tuum*.

OBSER. *Vers. vltim.*

2. Deinde quòd *iustitiæ* meminit, in qua conspectum DEI visurus sit, non ad hoc factum est, vt respectu propriæ iustitiæ spem sibi futuræ felicitatis faceret, sed vt collatione quadam impiorum & filiorum huius seculi, qui propter ventris studium iniustitiæ seruiebant, in studio iustitiæ sese conseruaret, & spe cœlestis gratiæ animaret. Ad eum modum & nos cogitemus, quotiescunq; iniustitiam impijs ad hoc facere videmus, vt floreant & regnent in hoc seculo, satiùs nobis esse, vt iustitiæ dediti, futuram felicitatem cum electis expectemus, quàm vt iniustè cum impijs viuentes, ventri ac splendori huius vitæ seruiamus.

3. Et illud tertio loco notandum est, quòd non solùm discrimen illud inter se & inimicos suos respicit, quod vitæ & studiorum, sed & id quod felicitatis ac sortis diuersitatem concernit. Illis patebat conspectus Saulis ipsorum regis, & huius beneficio diuites ac saturi reddebantur: cùm ipse interea à facie regis eiectus, afflictus, inops, & profugus exularet. Contra hanc illorum sortem meminit conspectus Dei, quem se visurum aliquando dicit: & saturitatis illius, quam eo tempore futuram expectabat, quo euigilatura est gloria Dei. Ad hunc modum decet & nos ad id temporis spe certa & immota prospicere, quò perventuri sumus ad conspectum Patris nostri, visuriq; illum facie ad faciem: & in ea visione vera, incorrupta, perpetua, & perfecta saturitate potituri.

PSALMVS XVIII.

TITVLVS PSALMI.

Ad præcinendum, serui Domini Dauidis: qui loquutus est Domino verba cantici huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saulis.

QVod sit Psalmi huius argumentum, & qua de re, ac quando compositus sit à Dauide, ipse Psalmi titulus satis perspicuè tradit. Primùm vocat illum שיר: *id est*, canticum. *Nihil enim aliud toto Psalmo facit Propheta, quàm quòd de eo canit, quomodo diuinitùs sit de manu omnium inimicorum suorum liberatus: sic vt nullam precationem illi immiscuerit, huc tantùm intentus, vt sacrificium laudis Deo liberatori suo offerat. Deinde exprimit autorem & conditionem illius: nempe Dauidem seruum Dei. Tertiò addit & tempus, quo sit compositus hic Psalmus:* In die, *inquit*, qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saulis. *Vide 2. Sam. 22. quomodo, & quo loco hic Psalmus historijs Dauidis insertus sit.*

OBS. 1. *Ad præcinendum ſerui Domini Dauidis.*] Primùm notandum eſt, quòd non ſolùm ipſe Dauid ſacrificium hoc laudis DEO obtulit, ſed canticum liberationis ac laudis à ſe compoſitum, populo & Eccleſiæ Dei præcini curauit. Hoc videlicet ſtudio mentes credentium ad fidendum Deo, illumq; in cunctis tribulationib. exemplo ſuo excitare voluit. Cogitemus hîc, quis ſit vſus Pſalmorum in Eccleſia Dei, & quàm parùm illi ſeſe accommodent, qui linguam incognitam aurib. fidelium cantando ingerunt. De vſu Pſalmorum extat non ſolùm admonitio Apoſtolica, Eph. 5. Col. 3. ſed & clara teſtimonia, quòd vulgò in prima Eccleſia decantati ſint Pſalmi, in Epiſtola Plinij ad Traianum, & in Auguſtini operib. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 13. vt hiſtorias Eccleſiaſticas taceam. Deinde & illud expendendum eſt, quòd Dauidem vocat *ſeruum Dei*. Eſt autem duplex genus ſeruorum Dei. Generale vnum, ſpeciale alterum. In genere ſerui Dei ſunt omnes pij propter obedientiam, quam illius verbo ac voluntati debent, ac præſtant etiam. De hoc ſeruitutis genere loquitur Apoſt. Rom. 6. dicens: An neſcitis, quòd cui vos exhibetis ſeruos, &c. Vide locum ipſum. Specialiter ſerui DEI ſunt quib. aliquid muneris obeundum diuinitùs eſt impoſitum: ſiue id ſit cum illorum conſcientia, quales ſerui Dei fuerunt Moſes, Ioſue, Iudices, Reges, Sacerdotes, Prophetę, Chriſtus ipſe, Eſa. 42. Matth. 12. & Apoſtoli, & Epiſcopi ac Paſtores, Doctores etiam, & Euangeliſtę: ſiue pręter illorum conſcientiam, & obediendi voluntatem, qualis erat Nabuchodonoſor, qui Hierem. 25. ſeruus Dei vocatur. Eſt autem huiuſmodi ſeruorum DEI duplex genus: Gratiæ vnum, iræ alterum. Vbi ſerui gratiæ contemnuntur, ſit locus ſeruis irę Dei. Vide Hierem. 25. Contempſerant Iudæi prophetas, ſeruos Dei, ideoq; mittebatur Nabuchodonoſor ſeruus vltionis Dei. A

Plinius lib. Epiſtolarum 10.

OBS. 2. *Qui loquutus eſt Domino verba cantici huius.*] Notandum hîc eſt, quid pij Domino rependere ſoleant, ſi quando per illum periculis fuerint erepti ac liberati. Nec aurum illi, nec prætereà terrenarum aliquid diuitiarum, ſed gratiarum actionem & canticum: id eſt, ſacrificium laudis rependunt, quo animi ſui gratitudinem erga illum declarant & effundunt. Nihil enim nobis eſt aliud, quod tantis beneficijs ad reddendas vices referre queamus: nec ipſe prætereà quicquam exigit quàm iſtam animi gratitudinem. Sic Pſal. 50. dicit: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Hoc præſtitit Propheta præſenti hoc, & multis alijs Pſalmis. Pſal. 51. dicit: Et os meum annunciabit laudem tuam. Et Pſal. 69. Laudabo nomen Dei cum cantico, & placebit Deo ſupra vitulum nouellum, &c. Hoc ſtudio fuerunt & reliqui priſci pij, vt Moſes & Maria, Exod. 15. Delbora, Iudicum 5. Et Iudith, cap. 16. & Ezechias, Eſa. 38.

OBS. 3. *In die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.*]

Primùm videmus hîc, Dauidi ſeruo Dei quoſdam fuiſſe inimicos. Eſt hęc ſors ſanctorum ac ſeruorum Dei in terris, vt dũ Deo fideliter ac ſedulò miniſtrãt, inimicitiam malorum ſuſtinere cogantur, quantumuis pij ſint ac iuſti, ſic vt non modò Prophetæ Apoſtoli, ac reliqui pij, ſed & Chriſtus ipſe, caput dominus ſeruorum DEI, inimicos inuenerit in hoc ſeculo. Sic ſolet ſatan, hoſtis Dei, ſua mancipia pijs ac Dei timentib. reddere infenſa. Solentur ſe pij hiſce exemplis. 2. Deinde notandum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, *De manu inimicorum*: ſed, *De manu omnium inimicorum eius*. quib. verbis oſtendit, fuiſſe Prophetę non paucos aliquot, ſed multos inimicos. Etenim ſi pauci fuiſſent, quid opus fuiſſet dicere: *De manu omnium inimicorum*? Sic Pſal. 69. dicit: Multiplicati ſunt ſupra capillos capitis mei, qui oderunt me ſine cauſa. Tolerabile eſſet, ſi viro pio pauci aliqui ſint infenſi: verùm, vbi multi mali reperiuntur qui pios odio proſequantur: quis non intelligit, quàm ſit hic Mundus ferax malorum? 3. Tertiò, obſeruemus & hoc, quod dicit: *In die qua liberauit eum Dominus*, &c. Admonemur diuinę prouidentię, qua pij ex tribulationib. eripiuntur. Vbi expendendum eſt, quòd diei meminit, in qua DEVS Dauidem liberauerit. Habet diuina prouidentia ſua tempora, liberandis pijs deſtinata. Deinde, quod non ſimpliciter dicit, *Liberauit*: ſed, הִצִּיל id eſt, *eripuit*: & addit: *De manu inimicorum*. Ergo fuerat in extremis periculis, vtpote in manu inimicorum. Sic DEVS ſuos non ſtatim liberat, ſed tum primùm, cùm iam velut in manib. inimicorum conſtitutis, omnino perendum eſſe videtur. Huius rei multa ſunt exempla in ſacris hiſtorijs. Tertiò, conſiderandum & illud eſt, quòd non dicit: *In die qua liberauit eum Dominus de manu malorum inimicorum eius*: ſed, *De manu omnium inimicorum eius*. Sic exprimitur potentia illa Dei, qua ſuos contra quorumuis, quamuis potentum, malicias & tyrannidem tueri poteſt. Vnde addidit etiam: *Et de manu Saulis*: qui Dauidi prorſus fuerat inimiciſſimus, illumq; indefinenter ad mortem fuerat venatus. Verùm nihil potuerunt omnes inimici Dauidis, ne Saul quidem, contra eum qui ſuos ex omnibus malis eruere poteſt. B

VERS. 1. ET *dixit: Diligam te Domine fortitudo mea.*

2. *Dominus petra mea, & præſidium meum, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, ſperabo in eum, clypeus meus, & cornu ſalutis meæ, refugium meum.*

LECTIO. *Verſ.* 1. *Diligam te.*] Ebr. אֶרְחָמְךָ. Græc. ἀγαπήσω σε. Vulg. Lat. *Diligam te.* Sic vertit & Chald. אוֹחֵבִינָךְ & Arabs: *Diligam te*: quemadmodum & ex recentioribus aliqui reddiderunt. Verùm Ebręa dictio non ſimpliciter *diligere*, ſed ex intimis viſceribus, ſic aliquem diligere ſignificat, ſicuti mater filium vteri ſui amore tenerrimo proſequitur. Vnde & Tigurina verſio habet: *Ex intimis viſceribus diligam te Domine.* Aretius Felinus reddidit: *Miſericordia tua mihi ſatiat Autophyes.*

Verſ. 2. *Dominus petra mea.*] Ebr. סַלְעִי. Græc. στερεωμά μου. Vulg. Lat. *Firmamentum meum.* Iuſtin. *Arx mea.*

Præſidium meum.] Ebr. מְצוּדָתִי. Græc. καταφυγή μου. Vulg. Lat. *Refugium meum.* Pag. *Arx mea.* Iuſtin. *Robur meum.* Felix: *Propugnaculum meum.* ſic & Tigurina. Munſterus: *Munitio mea.*

Deus

A *Deus meus, rupes mea.*] Ebræ. צורי. Græc. βοηθός μου. Latina vulgata: *Adiutor meus.* Iustinianus: *Fortis meus.* Pagninus: *Petra mea.* Felix: *Lapis meus.* Aretius: *Propugnator meus.* Munsterus: *Robur meum.* Campensis: *Fortitudo mea.*

Refugium meum.] Ebr. משגבי Græc. ἀντιλήπτωρ μου. Lat. vulgat. *Susceptor meus.* Arabs. *Adiutor meus:* vel, *Adiuuit me.* Pag. *Eleuatio mea.* Felix: *Protectio mea.* Tigurina: *Arx mea.*

Primi duo versus scatent affectibus animi erga DEVM liberatorem ardentis, & in laudem illius vbertim prorumpentis. Primò DEVM ipsum alloquitur. Nec immeritò. Etenim illius amore flagrabat. Vnde etiam non est vsus verbo אהב, sed רחם, vt se DEVM in ipsis intimis viscerib. amare: imò non modò in præsenti, sed in futurum, per omnem scilicet vitam amaturum significaret: ideoq; non est visum reddere, *Diligo te:* sed, *Diligam te Domine.* Deinde post dilectionis professionem, subijcit encomia liberatoris ac seruatoris sui Dei: eaq; talia, quib. commemorationem beneficiorum ab illo acceptorum, & sacrificium laudis breuiter quidem, sed admodum luculenter complectatur: de quorum catalogo Græca quædam scholia sic habent: καὶ τὸν καταλογον ἂν ἐτυχῶν ἀγαθῶν, καταλογον ὀνομάτων ἐργάζεται.

Primùm vocat DEVM *fortitudinem suam.* quo elogio in genere omnia reliqua comprehendit, quæ vers. 2. ponit. vocat enim eum *fortitudinem suam,* ob eam causam, quòd illius potentia & auxilio contra omnes omnium inimicorum suorum insidias & insultus saluus præstitisset. EXPLANATIO.

Deinde subijcit octo elogia DEI liberatoris sui: quæ in summa hoc vnum exprimunt omnia, quòd vnius illius ope seruatus sit ex omnib. periculis. *Dominus,* inquit, *petra mea.* Metaphora sumpta est ab illis, qui vt tuti sint ab hostibus, refugia sua in petris inaccessis collocant. sicuti 1. Sam. 13. de populo legitur, quòd absconsus fuerit בסלעים: id est, *in petris præruptis:* id quod & aues, ac bestiæ quædam solent, secundum illud: Et petra refugium herinacijs. Vel. si magis placet, ab eo quòd sicut, qui supra petram ædificat, firmam suam habitationem constituit: ita & ipse Domino Deo suo innixus, firmus permanserit.

Et præsidium meum.] Ebræa dictio significat locũ munitum, sicuti sunt arces & fortalicia. Significat, sibi nusquam fuisse tutum locum ac satis munitum, nisi in solo Deo, in quo vno etiam seruatus est.

Et liberator meus. Q. d. Non solùm custodiuit me, sed & velut ex ipsis inimicorum meorum manib. eripuit. 2. Sam. 22. sic legitur hæc particula, ומפלטי לי: i. e. *Et liberator meus mihi.*

Deus meus.] Potest legi, *Fortis meus,* Mein Held. אל enim ideo DEVS dicitur, quòd fortis sit. Verùm magis placet vt legamus *Deus meus.* Q. d. In summa, Deus meus est: hoc est, seruator ac protector meus. 2. Sam. 22. legitur אלהי צורי i. e. *Deus rupis meæ.*

Rupes mea.] Metaphora rupis laudat DEVM ab immobili & insuperabili robore: qua & Moses Deut. 32. vsus est aliquoties: vt huc quadrare videatur similitudo domus supra petram fundatæ.

Sperabo in eum.] Q. d. Tot periculis expertus, quàm firmum in Deo mihi sit præsidium, toto ab illo
B pectore pendebo, & firma illi fiducia per omnem vitam meam innitar.

Clypeus meus.] Clypeo defenditur miles ab ictibus hostis. Sic se Dauid diuina protectione in omnibus periculis, veluti clypeo quodam aduersus hostium suorum impulsus, conseruatum fuisse prædicat.

Et cornu salutis meæ.] Metaphora sumpta ab animantib. illis, quæ robore cornuum sese quàm fortissimè defendunt. Dicit sibi DEVM fuisse *loco cornu,* idq; *salutis:* i. e. quo salutem suam conseruarit. Vsus est hac metaphora & Zacharias pater Ioannis, Lucæ 1. dicens: Et errexit nobis cornu salutis in domo Dauidis pueri sui.

Refugium meum.] Sicut ij qui infestantur, locis sublimib. sese tuentur, quæ refugij loco habent: sic se Propheta ad DEVM, veluti sublimem quandam arcem, in omnib. periculis confugisse dicit, ideoq; illum *refugium suum* vocat. 2. Sam. 22. adijciuntur ista verba: ומנושעי מחמס תושיעני: id est, & asylum meum: Seruator meus, à violentia, vel rapina seruasti me.

Diligam te Domine.] Obseruandum hîc est, vnde sit affectus dilectionis erga DEVM. Si consideres ea quæ habet epigraphe Psalmi: hoc est, quando & quib. de causis compositum sit hoc canticum, satis patet, sensum & viuam experientiam beneficiorum DEI peperisse hunc Prophetæ dilectionis affectum. Etenim quomodo ardentissimè amasset eum, cuius se bonitate, fide, & virtute de manu omnium inimicorum liberatum esse sciebat? Orandus itaq; DEVS est, vt det nobis hunc beneficiorum suorum sensum, ne simus instar pecudum, sed animo grato benefactorem ex intimis viscerib. & ipsi cum Propheta diligamus. Cogitemus etiam de futuro illo tempore, quo ab omnib. malis, etiam morte liberati, toti ad amandum DEVM rapiemur. OBS. 1.

Fortitudo mea.] Vide hîc, quomodo ex affectu dilectionis proferatur sacrificium laudis. Postquàm dixit: *Diligam te Domine:* mox laudem benefactoris sui subiungit. Et reuera hi demum sacrificium laudis verè & ex animo coram Deo offerunt, qui ex sensu redemptionis, dilectionis affectum conceperunt. Vt rectè dixerit Aug. *Non cantans, sed amans, cantat in aure Dei.* Deinde in eo quòd DEVM *fortitudinem suam* vocat, obseruandum est quomodo sibi ipsi nihil relinquat, nisi summam infirmitatem: qua etiam pereundum sibi fuisset, nisi auxilio Domini conseruatus fuisset. Hæc est autem conditio animi DEVM laudantis, vt sibi nihil laude dignum, sed Deo omnia adscribat. Sic Propheta hoc loco, dum Deum *fortitudinem suam* vocat, vtiq; infirmitatem suam confitetur. OBS. 2.

Cogitemus autem hîc, quantò satiùs sit vt contempta nostra quantacunq; fortitudine, robore DEI nitamur. Quàm felices sunt illi, quorum DEVS & fortitudo est, & sapientia, & prudentia, quamuis in se sint infirmi, stulti, & rerum imprudentes? Quis enim eos subuertet, qui diuina fortitudine, sapientia & prudentia sustentantur? Hinc est quod Paulus Rom. 8. dixit: Si DEVS pro nobis,

bis, quis contra nos? Fortis erat Saul, potentes erant illius satrapæ, inimici Dauidis: verùm quantumuis sæuirent, & ad subuertendum extinguendumq; Dauidem omnia tentarent, nihil tamen effecerunt aliud, quàm quòd seipsi perdiderunt. Quare? Quia eum persequebantur, cuius fortitudo erat Dominus exercituum. A

OBS. 3. *Dominus Petra mea.*] 1. Obseruandum hîc est, quæ sit sanctorum conditio ac sors in hoc seculo, quo veluti oues viuunt in medio luporum: ea videlicet, vt opus habeant liberatore Deo, qui illis sit vice *petræ, præsidij, rupis, clypei, cornu salutaris* ac *refugij*: dum interea impij in hoc Mundo liberè regnant & dominantur. Quid enim aliud sibi volunt hæ metaphoræ, *petræ, præsidij, rupis, clypei, cornu & refugij*, quàm necessitatem euadendi inimicorum insidias ac persequutiones, innuere, ad quam vir DEI, malicia Saulis ac satellitum suorum adactus fuit? 2. Iuxtà verò videmus hîc, paratum esse talibus in DEO omnium fortissimo tutum & inuictum refugium, quo seruentur.

3. Tertiò, fieri etiam, vt in Deo suo de manu omnium inimicorum liberati lætentur, exultent, & liberatoris beneficia deprædicent, in quo se & petram, & rupem, & præsidium, & refugium inuenisse agnoscant.

OBS. 4. *Sperabo in eum.*] Obseruanda est etiam hæc particula. Erat de manu omnium inimicorum suorum liberatus: & tamen agnoscit sibi etiam porrò sperandum esse in eum, cuius erat beneficio seruatus. Vnde trium admonemur. Primùm, vnde alatur spes in DEVM, videlicet ex præteritis & acceptis illius beneficijs. Deinde etiamsi ex malis quibusdam liberati fuerimus, cogitandum tamen esse, in posterum quoq; fieri posse, vt adhuc amplius tentemur, & diuino auxilio opus habeamus. Tertiò, quomodo præsidio, rupe, petra, *&c.* quæ Deus est, vti debeamus, spe sc. Spes sola est, quæ in reb. aduersis ad Deum confugit, illoq; tanquam omnium tutissimo refugio & præsidio vtitur. Ideo recte particulam hanc immiscuit, dicens: *Sperabo in eum.*

3. Celebrem inuocabam Dominum, & ab inimicis meis seruabar.

4. Circundederant me funes mortis, & torrentes Belyaal terrebant me.

5. Funes sepulchri circundederant me, occupabant me laquei mortis.

6. Dum angustiarer, inuocabam Dominum, & ad Deum meum clamabam: audiuit de regia sua vocem meam, & clamor meus in conspectu eius peruenit ad aures eius.

LECTIO. *Celebrem inuocabam Dominum.*] Ebr. מהלל אקרא יהוה Græc. αἰνῶν ἐπικαλέσομαι τὸν κύριον. Vulg. Latina: *Laudans inuocabo Dominum.* Arabs: *Laudabo Dominum.* Felix: *Laudatus inuocabo Dominum.* Aretius: *Celebraui & colui Autophyem.* Zuing. *Laudibus cùm cano Dominum.* Pagn. *Laudato inuocabo Dominum.* Sic legit & Iustinianus. Tigurina: *Dominum laude dignum inuocabo.* Chaldæus: *Dixit Dauid inter laudandum: Ego orabo coram Deo.*

Vers. 3.

Vers. 4. *Circundederant me funes mortis.*] Ebr. est: חבלי מות Græc. ὠδῖνες θανάτου. Vulgat. Latina. *Dolores mortis.* Chal. *Angustia sicut muliebris quæ sedet in partu.* 2. Sam. 22. sic legitur hęc particula: בי אפפוני משברי מות: i.e. *Cùm circundedissent me contritiones,* vel *parturitiones,* vel *fluctus mortis.* B

Et torrentes Belyaal.] Ebræ. נחלי בליעל Græc. καὶ χάραδροι ἀνομίας. Vulgata Lat. *Et torrentes iniquitatis.* Sic legit & Arabs. Felix: *Et congregationes Belyaal.* Pag. *Et torrentes impietatis.* Tigurina: *Et torrentes quidam perditorum hominum.* Sic legit & Aretius. Munsterus: *Et inundationes impietatis.*

Vers. 5. *Funes sepulchri*] Ebr. חבלי שאול Græc. ὠδῖνες ἅδου. Vulg Lat. *Dolores inferni.* quæ tamen 2. Sam. 22. vocem hanc חבלי vertit *Funes,* quam hîc reddit *Dolores.* Arabs legit: *Gehennæ.* Tigurina: *Funes inferorum* Aret. *Angustiæ inferorum.*

Audiuit de regia sua vocem.] Ebr. מהיכלו Græc. ἐκ ναοῦ ἁγίου αὐτοῦ. Vulga. Lat. *De templo sancto suo.* Arabs Ebræam vocem retinuit, sicut & Chald. Pleriq; reddunt: *De templo suo,* demptis Iustiniano & Aretio, & Campensi, qui vertit: *E regio suo palatio.* Significat enim Ebr. vox היכל, *regiam & palatium.* Illud, *Et clamor meus in conspectu eius peruenit & aures eius.* 2. Sam. 22. sic tantùm habetur, ושועתי באזניו: id est, *Et clamor meus in auribus eius.*

EXPLANATIO. *Celebrem inuocabam Dominum.* Veluti summa quadam hoc versu omnia illa complectitur, quæ consequenter est commemoraturus & amplificaturus. Non potuit autem illa succinctiùs comprehendere, quàm quòd dicit, se invocasse Dominum, & ab inimicis suis esse seruatum. quibus verbis admirandam sanè beneuolentiam erga se DEI deprædicat, qua inuocantes se non spernit, sed eripit ac seruat.

Vers. 3.

Illud verò quòd dicit, *Celebrem,* aut, *Laudatum inuocabam Dominum,* bifariam & sic exponi potest: vt vel se Dominum priùs laudasse, quàm inuocasse: vel, illum aliàs innumeris modis & cunctis seculis deprædicatum ac laudatum inuocasse, & ex ea illius celebritate veluti animum inuocandi eum hausisse dicat.

Vers. 4. & 5. *Circundederant me funes mortis.*] Quoniam inuocationis, inimicorum, & liberationis, versu præcedenti meminit: iam recto ordine & de periculis, ac malicia inimicorum subijcit: vt doceat, in quantis malis constitutus Dominum inuocauerit, & ex quantis periculis per illum ereptus sit. faciunt enim ad amplificationem illorum, metaphoricæ illæ loquutiones: *funes mortis, torrentes Belyaal, funes sepulchri, laquei mortis:* deinde & verba illa, *Circundederant me, Terrebant me, Occupabant me,* & ipsa quoq; ingeminatio harum vocum. His metaphoris exprimere voluit pericula illa, è quibus ope Domini ereptus fuerit, non fuisse vulgaria ac leuia: sed talia in quibus pereundum sibi fuisset, nisi diuina beneuolentia succurrisset. *Funes mortis,* inquit, *circundederant me.* Respicit ad similitudinem eorum qui ligati ducuntur ad mortem, quibus nulla spes est liberationis. Deinde, *Torrentes Belyaal,* inquit, *terrebant me.* Magnum terrorem torrentes de montibus vel propter nimiam pluuiam, vel niue soluta

cum

A cum impetu ruentes, illis incutiunt quibus non est euadendi facultas. Ad hunc morem dicit, se hostium suorum impetu vehementer horribili fuisse perterrefactum, vocat autem eos *Belijaal*: id est, *viros inutiles*, בליעל: vel vt aliqui sentiunt, *viros sine iugo*: hoc est, nullis legibus, nulliq; disciplinæ subiectos, temerarios & audaces: qualis Nabal, 1. Samuel. 25. & filij Eli, 1. Sam. 2. & duo falsi
„ testes, 1. Reg. 21. fuisse scribuntur, & qualem se Anna mater Samuelis, 1. Sam. 1. negabat, dicens: Ne
„ reputes me sicut vnam de filiabus Belijaal. Tertiò, *funes sepulchri*, inquit, *circundederant me*. quibus verbis sic se iam velut in morte fuisse dicit, vt haud dissimilis illis fuerit, qui falcijs sepulchralibus ad sepeliendũ ligantur. Huc etiam facit, quòd de laqueis mortis dicit. In summa, hisce versibus nihil aliud dicit, quàm fuisse se mortis periculis comprehensum, & ex illis diuina virtute ereptum.

Dum angustiarer, inuocabam Dominum.] Post commemorationem periculorum, subijcit, quid in angu- *Vers. 6.*
stijs constitutus fecerit, & quò confugerit. *Dum angustiarer*, inquit, *inuocabam Dominum*, &c. Quasi dicat: Audite quotquot in tribulationibus estis. Eram in magno vitæ meæ discrimine, & cordis mei anxietate. Hac comprehensus, ad Dominum Deum meũ confugi, illum inuocaui, ad illum clamaui. Nec ille surdus fuit ad clamorem meum, sed de ipsa sua cœlesti regia clamantem audiuit, & vocem meam ad aures suas admisit. Rursus autẽ rem eandem bis dicit, sicuti solent, qui pleno & abundanti corde loquuntur. Quid enim aliud est, *inuocare Dominum*: quàm ad illum clamare? Et quid aliud est, quod dicit, *Audiuit de regia sua vocem meam*: quàm quod subijcit, *Et clamor meus in conspectu eius peruenit ad aures eius?* Sic Prophetæ non satis est dixisse semel: sed idem iterum atq; iterum repetit, licet non sine emphasi. Habet enim nonnihil intensionis ipsa repetitio. Et ociosum non est, quòd cùm dixisset: *Dum angustiarer, inuocabam Dominum*: subecit, *Et ad Deum meum clamabam*: quasi significans, ob id se clamasse ad Dominum, quòd esset Deus ipsius. Sic & illud emphaticè adiectum est: *Et clamor meus in conspectu eius peruenit ad aures eius.* Non solùm auditum esse se à Domino, sed sine alicuius interuentu, ipsis illius auribus auditum esse dicit.

Celebrem inuocabam Dominum.] Notandum est hoc versu, quomodo breuissimo compendio Pro- OBSER.
pheta id proponat Ecclesiæ Dei, quod illi suo conatur inculcare exemplo. Tria proponit: primùm, *Vers. 3.*
inimicorum se fuisse insidijs obnoxium: deinde, cùm seipsum tueri non posset, inuocasse Dominum: tertiò, seruatum esse se ab inimicis. Hæc ideo proponit, vt & alios instruat, quid in periculis constituti facere: & si id faciant, quid à Domino sperare debeant. Notent ergo hanc summam, quotquot tribulantur & adfliguntur: sequanturq; & exemplum & consilium Prophetæ. Primùm cogitent, se non solos adflictionibus esse obnoxios, sed id sibi commune accidere cum pijs omnibus.

Deinde obseruent hic, quid adflicti facere debeant: nempe id quod fecit Propheta: *Inuocabam*, inquit, *Dominum*. Ergo & ipsi Dominum inuocent. Quod si diffidentia aliqua ab inuocatione Domini retrahuntur, expendant, quomodo ad illam sese Propheta animârit. Non simpliciter dicit, *Inuocabam*
B *Dominum*: sed, *Celebrem*, vel *laudatum inuocabam Dominum*. Ergo celebritate ac laude diuini nominis ad hoc animabatur Propheta, vt Dominum tantopere laudatum inuocaret. Loquitur autem de laude ac celebritate bonitatis Dei, qua sperantes in se, & ad se clamantes exaudit, sicuti Psalm. 22. videre
„ licet, vbi sic legimus: In te sperauerunt patres nostri, & liberasti eos: ad te clamauerunt, & salui facti
„ sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Magna est omnipotentiæ Dei celebritas, qua cuncta & condidit, & condita seruat. Verùm multò præclarius est & celebrius, quòd vsqueadeò bonus prædicatur, vt miseros & adflictos ad se clamantes exaudiat & liberet. Et hanc diuinæ bonitatis laudem in Ecclesia Dei continuam esse vult Spiritus sanctus, propter miseros & adflictos, vt ad inuocationem nominis Dei permoueantur. Hanc à generatione ad generationem propagare conuenit, sicuti videre est Psalm. 78. statim ab initio. Huius laudis ac celebritatis caput est, annunciatio Euangelij: quasi in Ecclesia Dei pura ac sedula retenta fuisset, nulla iam contentio de inuocatione pacem fidelium turbaret. Itaq; exemplo Prophetæ ad inuocandum Dominum laude ac celebritatis bonitatis illius animentur, quotquot tribulantur & adfliguntur. Tertiò sperent etiam obtinere se inuocando Dominum, quod ipse Propheta obtinuit. *Et ab inimicis meis*, inquit, *seruabar*. Nec dicat quisquam: Non sum Propheta, non sum par Dauidi coram Domino, vt illius exemplo spem liberationis concipere possim. Primùm, quod de se Propheta canit, instinctu Spiritus sancti canit, vt & ipsi ad inuocandum Dominum animemur. Quapropter non tàm Dauidis exemplum, quàm Spiritus sancti considerare debemus. Huc accedit, quòd à Deo ipso ad inuocandum se animamur, cùm dicit: Inuoca me
„ in die tribulationis, & eruam te. Et Paulus Rom. 10. Quicunque, *inquit*, inuocauerit nomen Domini,
„ saluus erit. Faciamus ergo, quod non nostræ iustitiæ, sed diuinæ bonitatis respectu facere, & speremus quod sperare iubemur, idque à Deo ipso: qui nisi inuocari adflictis, & inuocationibus se opem ferre vellet, nec exigeret à nobis, vt se inuocemus, nec liberationem inuocantibus se promitteret.

Circundederant me funes mortis.] 2. Primùm obseruemus hîc, quomodo etiam sancti tribulatio- OBSER.
nes & pericula quibus in hac vita exercentur, narrando amplificent & exaggerent. Sic Dauid per- *Vers. 4. & 5.*
sequutiones & insidias hostium suorum, quas aliquandiu perpessus fuerat, *funes* ac *laqueos mortis*, & *funes sepulchri* vocat, quasi iam ipsa morte comprehensus fuisset. Hæc amplificatio præteritorum malorum ad hoc facit, vt simul & auxilium diuinitùs acceptum amplificetur: perinde ac si quis opera medici cuiusdam lethali morbo liberatus, ad hoc, vt medicum suum laudibus extollat, magnitudinem morbi plurimùm amplificet, quàm videlicet morti iamiam vicinus extiterit, & quàm de vita prorsus desperarit, sicque incurabiliter decubuerit, vt moriendum sibi planè fuisset, nisi medici sui cura subleuatus & curatus esset. Sic solent sancti non modò corporum discri-

mina, sed & animorum corrupionem amplificare, vt magnitudinem gratiæ Christi deprædicent ac celebrent. vide Rom. 7. & Ephes. 2. A

2. Deinde expendendum est, quomodo sanctos suos Deus non simpliciter ac tenuiter periculis ac tentationib. obnoxios reddat, sed vim periculorum eousq; progredi sinat, vt pereundum ipsis esse videatur. Hoc non fit ob eam causam, quòd malorum vel hominum vel spirituum maliciæ ac virib. citiùs obsisti nequeat: sed quòd sic expedit mentib. piorum, vt ad extremum vsque periclitati, tandem diuini auxilij momenta experiantur: experti; discant, nunquam esse manum Dei sic abbreuiatam, vt suis extrema periclitantibus opem satis opportunam adferre nequeat. Hoc itaq; pacto & pij in cognitione Dei ædificantur, & gloria diuinæ bonitatis & potentiæ amplificatur.

3. Tertiò, & illud considerandum est, quòd impiorum impetum, quo aliquoties ad mortem fuerat quæsitus, comparat torrentibus, violenter simul & eximprouiso irruentibus, quibus vix meliùs quàm cedendo & declinando resistitur. Alius est cursus eorum fluminum, quæ continua serie & alueo consueto labuntur: & alius torrentis, qui ex improuiso & inuicta quadam violentia de monte quodam ruens, quæuis obuia subuertit. Rectè ergo impetus impiorum impij Saulis satellitum, torrenti comparatur: quo simili significatur, non modò qui vi, sed & quàm inobseruabili momento soleant impij pios viros adobruere, vt reuera diuino sit opus & instinctu & auxilio, quo impetus illorum euadere liceat. Huiusmodi torrens impiorum rectè conuenit valli Kidor: id est, regno tenebrarum.

4. Quartò, nec illud transgrediamur, quòd satellites Saulis, inimicos suos, homines impios vocat *Belijaal*. Certè nec Sauli erant inutiles, nec citra iugum dominij illi seruiebant: & tamen *Belijaal*, id est, *inutiles*, vel *sine iugo* fuisse notantur. Admonemur igitur hoc loco, eos rectè vocari *inutiles* & *sine iugo*, qui populo Dei sunt inutiles ad vsum pietatis, & iugo Dei non subditi, quamuis regno satanæ vsui sint, & ad omnem illius libidinem captiui. Sic stulti vocantur in Scripturis sacris, illi potissimùm, qui iuxta seculum nihil minus quàm stulti, in rebus Dei stulti sunt.

OBSER. *Vers.* 6. *Dum angustiarer, inuocabam Dominum.*] Sunt pleraq; hoc versu obiter notanda, quæ sæpenumero in Psalmis hinc inde occurrunt. 1. Primùm est, quòd angustiæ suæ meminit Propheta. *Dum angustiarer*, inquit. Vnde erat illius angustia? Ex funibus & laqueis mortis, quorum versibus præcedentibus mentionem fecit. Ergo sancti quoq; mentis sunt angustiæ obnoxij: idque etiam ex horrore mortis, vt appareat eos nihil minus esse quàm Stoicos.

2. Deinde obseruandum est, quod angustiæ inuocationem subiecit. *Dum angustiarer*, inquit, *inuocabam*. Sic naturâ comparati sumus, vt pressi & angustiati, liberationem quæramus: & si quando nobis ipsis opem ferre non possumus, aliunde petamus, & alienum auxilium imploremus. Extra mentis angustias ægrè sincera & vera reperitur inuocatio: simulata verò, passim & facillimè. 3. Tertiò, non simpliciter dicit, *Dum angustiarer, inuocabam*: sed simul adddit, quem inuocârit: *Inuocabam Dominum*, inquit, *& ad Deum meum clamabam*. His verbis admonemur, non solùm quem, nempe Dominum, sed & qua ratione Dominũ inuocare debeamus: quòd videlicet Deus noster est. Inuocatio cultum Dei habet. Hunc suo quisque Deo debet. Deus verò communis omnium, & singulorum quoque vnus est. Quod si quisque suum Deum inuocaret, & vnus ac verus Deus solus inuocaretur ab omnibus. B

4. Quartò, in verbo *clamandi* feruor animi pressi, & verè Deum suum inuocantis significatur. Sic pij in necessitatibus constituti, præcordis angustia Deum inuocando clamant. Clamant autem nonnunquam voce, sicuti patet in Christo crucifixo: aliquando non voce, sed affectibus, sicuti Moses ad Dominum clamauit, ad quem Deus: Quid clamas, *inquit*, ad me? Cùm tamen de nullo illius vocali clamore istic legatur. Exod. 14. 5. Quintò, expendendum & illud est, quòd non simpliciter dicit, *Et audiuit. me*: sed vt gratiam hanc, tanquam reuerà mirabilem extollat, dicit: *Audiuit de regia sua vocem meam, & clamor meus in conspectu eius peruenit ad aures eius*. Dat Deo regiam, tanquam potentissimo regi. Hanc sentit esse cœlum hoc illustre & sublime. Et prædicat in eo tantam clementiam erga adflictum se & miserum, vt de ipso cœlo vocem suam audierit, & clamor ipsius ad aures eius admissus fuerit. Et reuerà non immeritò admiranda est hæc, & stupenda cœlestis regis clementia, quà clamores pauperum de summo cœlo veluti regia sua benignissimus audit: si videas, quàm grauatim miserorum subditorum querela ad aures principum suorum in terris perueniant.

Illud Lector ipse tecum cogites, quo vsu nobis esse debeat, quòd cœlum hoc oculis omnium quotidie expositum, *regiam Dei* vocat. Imminet hæc regia omnibus totius Orbis regnis ac prouincijs, ipso suo aspectu tantum non proclamans, Orbem hunc vniuersum cum omnibus regnis suis, cœlestis regis subiectum esse imperio.

7. Commouebatur & contremiscebat terra, & fundamenta montium concutiebantur & commouebantur, quoniam irascebatur.

8. Ascendebat fumus in ira eius, & ignis ex ore eius deuorabat: carbones succendebantur ab eo.

9. Et inclinabat cœlum: & ascendebat: & caligo sub pedibus eius.

a) *Nubes eius, non habetur 2. Sam. 22. Nec grandinis dictio habetur.*

10. Et ascenderat super Cherubim, & volabat: & volabat super pennis venti.

11. Posuerat tenebras latibulum suum: in circuitu eius tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus ætheris.

12. Præfulgore in conspectu eius a *nubes eius transibant: grando & carbones ignis.*

13. Et

A 13. *Et intonabat* b *in cœlo Dominus & altissimus dabat vocem suam*, c *grandinem & carbones ignis.*

14. *Et mittebat sagittas suas, & dissipabat eos: & fulgura* d *multiplicabat, & conturbabat eos.*

15. *Et apparebant inundationes aquarum, & revelabantur fundamenta Orbis, ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.*

b 2. Sam. 22. de cœlo.
c Non habetur 2. Sam. 22.

Fundamenta montium. Eb. מוסדי הרים 2. Sam. 22. מוסדות השמים id est, *Fundamenta cœlorum.* LECTIO.

Quoniam iratus erat.] כי חרה, Græc. ὅτι ὀργίσθη αὐτοῖς ὁ θεός. Vulg. Lat. *Quoniam iratus est eis.* Et Arabs vertit: *Quoniam Dominus iratus est illis.* Chald. מטול דתקיף ליה id est, *Quoniam iratus est ei.* Sic & Iustinian, reddidit Et Camp. *Quoties ipse irascebatur eis.* Reliqui recentiores simpliciter verterunt: *Quoniã iratus est*: vel, *Quoniam irascebatur.* vt quod in Ebræo est כי חרה לו idem sit, quod, *Quoniam indignatus illi.* *Vers.* 7.

Et ignis ex ore eius devorabat.] Ebr. ואש מפיו תאכל Græc. καὶ πῦρ ἀπὸ στόματος αὐτοῦ κατάφαγεται αὐτά. Vulgata Latina: *Et ignis à facie eius exarsit.* Iustinianus: *Et ignis ex ore eius devorans.* Pagninus: *Et ignis ex ore eius consumpsit.* *Vers.* 8.

Et ascenderat super Cherubim.] Ebraicè legitur in singulari על כרוב *super Cherub.* Chald. tamen & Arabs, & Græcus & Vulg. Lat. habent: *Super Cherubim.* *Vers.* 10.

Et volabat super.] Ebr. וירא id est, *Et volabat.* 1. Sam. 22 legitur, ויראו id est, *Et apparuit.*

Super pennis venti.] Sic est in Ebræo, על כנפי רוח. Græcus & vulg. Lat legunt: *Ventorum.*

Posuerat tenebras latibulum suum.] Ebræ. סתרו: id est, *Abscondituum suum.* Hoc. 2. Sam. 22. sic legitur: וישת חשך סביבותיו id est, *Et posuerat tenebras circum se:* סבותו id est, *tabernacula.* *Vers.* 11.

Tenebrosa aqua in nubibus ætheris.] Ebr. חשכת מים עבי שחקים id est. *Tenebras aquarum, nubes ætheris,* vel *densitates nubium.* Potest enim vtrunq; legi. Quod hîc est חשכת מים 2. Sam. 22. est חשרת מים: id est, *Colligant iam aquarum.*

Et apparebant mundationes aquarum] Ebr. אפיקי מים: id est, *Rivi aquarum.* Græc. αἱ πηγαὶ τῶν ὑδάτων. Et Vulg. Lat. *Fontes aquarum.* Iustinianus: *Effusiones aquarum.* Pagninus: *Profunda aquarum.* Tigurina versio, sicut & Campens. *Profundissima aquarum receptacula* Aretius: *Alvei fluminum.* 2. Sam. 22. legitur אפיקי ים: id est, *Inundationes, vel profunda maris.* *Vers.* 15.

Ab increpatione tua Domine. Ebræ. מגערתך יי מנשמת רוח אפך. Hæc particula 2. Sam. 22. legitur ad hunc modum: בגערת יהוה מנשמת רוח אפיו: id est, *In increpatione Domini, ab inspiratione spiritus iræ eius.*

Iam consequenter Propheta canit, quid factum sit à Deo, postquam clamorem suum in ipso cæ- EXPLA-
B lo audisset Inducit Deum ira commotum, & vindictam de impijs sumentem. Inducit autem eum ad NATIO.
formam regis cuiusdam præpotentis, qui à suis contra inimicorum improbitatem imploratus & excitatus, consurgit iratus, exercitum educit, & in hostes magna animi indignatione impetum facit, ac suos liberat. Vt autem potentiam Dei, qua suis contra impios succurrit, velut ob oculos spectandum imponat, tempestatis descriptionem, eamq; horrendam admodum inducit, qua Deus sæpenumerò furorem suum contra impios exerûit & ostendit. Et hanc nouem istis versibus satis graphicè complectitur.

Commouebatur & contremiscebat terra.] Duo dicit hoc versu. Vnum de terræ commotione: alterum, de illius causa. De causis naturalib quibus terra moueatur, disputent Physici: nos audiamus Prophetã, qui cùm dixisset: *Commouebatur & contremiscebat terra, & fundamenta montium concutiebantur & commouebatur:* adiecit, *Quoniam irascebatur.* Ergo terræ motus indicium habet iræ Dei. *Vers.* 7.

Ascendebat fumus in ira eius.] Quoniam iratum Deum inducit, per cuius iram & terra & montium fundamenta concussa fuerint, consequenter etiam vehementiam iræ illius depingit. Vtitur autem Anthropopathia, speciem hominis irati inducens, qui mentis commotionem per spiritus & flatus vehementiam declarat. Hanc per metaphoram *fumi*, ad similitudinem fornacis ardentis, exprimit, Est enim hoc loco *fumus* pro concitato flatu narium positus. Respicit autem Propheta ad initium tempestatis, quo densæ nubes & caliginosæ vnà cum vehementi flatu exurgunt. Per *ignem & carbones* intelligit fulgetra & fulmina. *Vers.* 8.

Et inclinabat cœlum, & descendebat.] Hoc versu festinam Dei properationem ad sumendas de impijs pœnas subiungit, dum dicit: *Et inclinabat cœlum, & descendebat.* Demitti siquidem cœlum ipsum videtur, & vnà cum irato Deo ad terras inclinare videtur, quando obnubilatum montium cacumina occupat, & terram propè contingere videtur. *Vers.* 9.

Et ascenderat super Cherubim.] Inducit Deum veluti regem curru, sic super alis venti aduersus impios non equitantem, sed volantem, vt incredibilem illam tempestatis velocitatem exprimat. Sic tribuit illi ventum vice currus & vento tribuit alas. *Vers.* 10.

Posuerat tenebras latibulum suum.] Includit Deum tenebris, obscuris aquis ac densis nubibus, veluti regem turmis satellitum stipatum ac cinctum. Hoc autem ideo facit, quòd inuisibilis est, licet vim suam potenter exerat. Hoc quomodo fiat, ipse tempestatis aspectus satis ostendit. *Vers.* 11.

Præ fulgore, &c. Vers. 12. 13. & 14. velut ipsum conflictum Dei cum hostibus describit, micantia fulgura, sonitus bombardarum, telaque ignea commemorans. Fulgura vocat *fulgorem conspectus Dei*, ad quorum eruptionem nubes transire videmus, fulmina vocat *carbones ignis.* De tonitruis loquitur, cùm dicit: *Et intonabat in cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam:* fingens illum tonitru, quasi clamore quodam hostes increpare & inclamare. Et illud de fulminum iactu est, quod vers. 14. dicit: *Et mittebat sagittas suas, & dissipabat eos*, &c. *Vers.* 12. 13. 14.

Et appa-

Vers.15. *Et apparebant inundationes aquarum,&c.*] Addit ista de imbrium vehementia, quæ tempestate adobrutis omnimodum minari videtur interitum. deinde & de apertione & hiatu telluris, cuius meminit, dicens. *Et reuelabantur fundamenta Orbis.* quibus verbis profunditatem hiatus exprimere voluit. Per spiritum iræ Dei, ventum turbinis intelligit. A

VARIA HORVM VERSVVM EXPOSITIO.

Primùm, sunt qui Deum huiusmodi horrendis tempestatibus auxilia Dauidi in magnis periculis constituto, tulisse sentiunt: nec putant huic sententiæ reluctari, quòd ea de re nusquam in historijs Dauidis legitur. Horum mihi sententia non improbatur. Neq; enim omnia quæ circa Dauidem diuina dispositione contigerunt, scripta esse putare debemus: quum nec de Christo cuncta sint literis mandata, quæ illi hîc in terris agenti contigerunt Esa. 29. per Prophetam prædictum legimus, quòd Hierosolyma è manu Assyriorum per Dominum exercituum tonitruo, commotione terræ, & voce magna turbinis ac tempestatis, & flamma ignis, liberari debuerit: & tamen in ipsa liberationis illius historia nihil horum, sed tantùm angelus descendisse, & in castris Assyriorum centum octogintaquinque virorum millia occidisse legitur, Quemadmodum igitur Hierusalem ad eum esse modum liberatam non dubito, quem Propheta prædixit: ita & Dauidem à Domino hoc liberatum esse pacto credendum iudico, quo se ipse liberatum esse canit, licet in historijs non legatur. Sed vide an non illud 2. Sam. 5. quod in fine capitis legitur, huc competat.

Deinde nonnulli hos versus de Christo intelligunt, scientes eos vaticinium habere illorum quæ in historia passionis Christi accidisse leguntur: vtpote, de terræ motu, petris scissis, tenebris, terræ apertura, mortuorum resurrectione: & quæ alia illic acciderunt, iræ diuinæ indicia. Ad hæc etiam, ea quæ Iohelis 2. leguntur, respicere videntur. Vide Act. 2.

Tertiò, sunt qui ista nec de Dauide, nec de Christo exponant, sed ea per Dauidem rememorari dicant, quæ Deus olim suos liberaturus, & impios deleturus, horrendis tempestatib. gesserit. Sentiunt illi, solere priscos pios, dum laudare Deum instituunt, aliquod singulare illius beneficium, vel omnia in genere commemorare. iuxta illud Psal. 119: Memor fui iudiciorum tuorum, & consolatus sum. Et Psalm. 77. Memor eor ab initio mirabilium tuorum. Et: Meditabor in omnibus operib. tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Inducunt illi historiam & canticum Diboræ, Iudic. 5. quæ cùm esset diuinam potentiam recens declaratam celebratura, ab exitu Israëlis ex Ægypto exorsa est. Sic in præsenti Psalmo Dauidem quoq; ad eandem historiam respicere iudicant, sicut & Psal. 77. vbi sic legimus: Viderunt: *inquit*, te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi: Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes: Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota. B

Quartò, alij contemptis his omnibus, ad allegorias conuertuntur: id quod facilè faciunt quidem sed quia illud sine ductu historiæ faciunt, vicissim facilè contemnuntur. Haud enim temerè confugiendum est ad allegorias in exponendis Scripturis, præsertim historicis, nisi euidens cogat necessitas. Sed videa mus, quæ sint in his versibus obseruanda.

OBSER. *horum vers.* Primò notandum est, quomodo diuina potentia subinde horrendis terræmotibus ac tempestatibus iræ suæ soleat exprimere indicia. Lege Exod. 9. 19. Iehosuæ 10. Iudic. 4. & 5. Vbi in cantico Diboræ legimus, de cœlo pugnatum esse contra impios. Ad hæc 1. Sam. 12. & in historia passionis Christi, & Act. 4. & 16. Hieronymus hoc animaduertit, qui alicubi de Romana rupe, quam *Tarpeiam* vocat, scribit, quòd Domino displiceat: argumentum iræ Dei ex eo sumens, quòd fulmine crebrò tangeretur. Locus est in Epistola ad Marcellam, de laudibus Bethlehem, vbi sic scribit: Et hic puto locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cœlo sæpiùs fulminata, ostendit quòd Domino displiceat. Lege Apocalypsim Ioannis, & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septẽ montibus, aquis multis, & babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, *inquit Dominus*, de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisque animam suam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio, dæmonum, & custodia spiritus immundi. *Hæc ille.* Reperias, qui multis de naturalibus causis terræmotuum ac tempestatum disputent: nostrùm est, iram simul & potentiam Dei in illis obseruare. Huc nos ducit etiam hoc loco Spiritus sanctus, qui iræ Dei, vocis Dei, increpationis & spiritus iræ Dei meminit.

Deinde obseruandum & illud est, quòd tempestatem hanc Propheta tam multis, tam diligenter, tantaq; tripudiantis animi iucunditate describit ac decantat: cùm tamen res ipsa per se sit terribilis & horrenda, vtpote euidens iræ Dei expressio: quam certè non immeritò ipsa mortalium natura exhorret. Considerandus est itaquè hoc loco animus hominis pij in eo exultantis, quòd gloriam Dei quocunq; modo asserit: & hoc vnicè spectantis, vt omnibus illa mortalibus, si non luce gratiæ ac beneuolentiæ, saltem vitute potentiæ & iræ innotescat: præsertim quando contemptum Dei, & omnis generis impietatem impunè ac liberè obtinere cernit. Sic Psalm. 29. & 148. laudare Dominum iubet Propheta, propter huiusmodi tonitrua.

Cogitemus itaque, cùm tempestatis huius Dauid tanto cum gaudio mentionem faciat, quàm toto corde exultauerit, cùm res ipsa ageretur, agereturq; ad sui liberationem: idque tum, cùm hostes nihil non summa cum temeritate molirentur, quasi in cœlis non esset qui conatibus & maliciæ ipsorum resistere vel posset, vel vellet. Quid enim seruo fideli pro heri sui gloria periclitanti incundius obtingere poterit, quàm si potenti manu ab illo liberetur: idque non tàm suo nomine, quàm propter exertam ac declaratam heri sui potentiam ac maiestatem? Non dubito, quin & hisce nouissimis temporibus reperiantur, qui aliàs propter inemendabilem mortalium impietatem, ac scele-

A scelerum impunitatem lugentes ac flentes, exortis tempestatibus mirum in modum exultent, ac subinde obortis lacrymis potentiam Dei plus æquo contemptam inclament: cùm interea reliqui præ metu propè exanimentur. Viuamus itaque & nos ad hunc modum in hoc seculo, vt declaratio potentiæ Dei quantumuis in se horrenda, gaudio nobis sit, non horrori. Deinde vniuersam omniũ huius seculi principum potentiam ad vnam huiusmodi potestatem conferamus, & euanescet planè quicquid hic Mundus admiratur.

16. Misit de excelso, accepit me: extraxit me de aquis multis.

17. Eripuit me ab inimico meo robusto, & ab his qui oderunt me, quoniam robustiores me erant.

18. Præuenerant me in die vastationis meæ & factus est Dominus firmamentũ mihi.

19. Et eduxit me in latitudinem: eripuit me, quoniam fauet mihi.

LECTIO.

Extraxit me.] Ebr. ימשני. Græcus reddidit, ἐθεσπέσιόν με. Vulg. Lat. *Assumpsit me.* Reliqui interpretes ferè omnes vel *extrahendi* vel *educendi* verbum posuerunt. *Vers.* 16.

Ab inimico meo.] Ebr. מאיבי. Græcus & Vulg Lat. reddiderunt pluraliter, sicut & Felix, & Tigurina, & Aretius Felinus: singulariter verò reddiderunt Pagninus, Iustinianus & Munsterus. *Vers.* 17.

In die vastationis meæ,] Ebr. ביום אידי. Vocatur autem אידי *perditio, vastitas, & quædam malorum lerna.* Græc. reddidit: ἐν ἡμέρᾳ ἀκαθαρσίας μου. Vulg. Latin: *In die adflictionis meæ.* Symmachus παλαιωτέαν posuit: id est, *miseriam.* Chald. ביום טילטולי: id est, *In die interfectionis meæ*: sicuti Iustinianus reddidit. aliàs: *In die migrationis* vel *proiectionis meæ.* Felix: *In die confractionis meæ.* Pagnin. *In die contritionis meæ.* Munsterus: *In die perditionis meæ.* *Vers.* 18.

Eripuit me, quoniam fauet mihi.] Ebræus, יחלצני כי חפץ בי Græcus: ῥύσεταί με, ὅτι ἠβουλήθη μοι. Vulgata Latina: *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Arabs: *Quoniam dilexit me.* Iustinianus: *Quia complacuit ei in me.* *Vers.* 19.

EXPLANATIO.

Misit de excelso.] His quatuor versibus Propheta canit, quomodo à Deo ad clamorem suum excitato, irato, & desuper hostes grandine ac fulminibus prosternente, liberatus fuerit, Versũ 16. inimicorum suorum improbissimam irruptionem validis aquis comparat, seque similem ei facit, qui iam iam submersurus ex medijs vndis ereptus sit. Consimile est, quod infrà Psalm. 69. mox initiò legitur. Huc facit & modus ereptionis, quem veluti ob oculis exponit, dicens: *Misit de excelso accepit me*: vel, *apprehendit me, extraxit me ex aquis multis.* quib. verbis, extremis se periculis manu Dei velut cœlitùs demissa, extractum ac seruatum prædicat. *Vers.* 16.

B *Eripuit me ab inimico meo robusto.*] Præcedentis versus allegoriam iam manifestis verbis exponens, è quib. vndarum fluctibus extractus fuerit, significat. Quod autem singulariter de inimico suo robusto canit, de Saule intelligendum est: quem *robustum* vocat, vt virtutem Dei amplificet, per quam fuerat ex illius manibus ereptus. adijcit: *Et ab his qui oderunt me*, &c. Intelligit de reliquis inimicis suis, tàm Philistæis, quàm Saulis satellitibus. *Vers.* 17.

Præuenerant me in die vastationis.] Quod dicit, *Præuenerant me in die vastationis meæ*: ad præcedentia pertinet, quib. inimicos suos robustiores se fuisse dixit. Vt idem sit, *Præuenerant me*, atq; *Præuenerant mihi. In die*, inquit, *vastationis meæ*: id est, eo tempore, quo nihil apparebat aliud, quàm adesse mihi extremum interitum. Videtur autem respicere ad ea, quæ 1. Sam. 22. & 23. legimus. *Vers.* 18.

Et factus est Dominus firmamentum mihi. Hoc est, Adeò eram in summa vitæ meæ desperatione, adeò obruerant me, mihiq; præualuerant inimici potentissimi, vt actum planè fuisset de salute mea, nisi cœlitùs diuinum affulsisset auxilium.

Et eduxit me in latitudinem.] Idem rursus alia metaphora vsus canit, sumpta ab illis quibus omnia facta sunt angusta, nec quicquam est securitatis: vel ab illis qui iam in manibus hostium conclusi videntur. quale erat, quod filijs Israël Exod. 14. accidisse legitur: & quod Dauidi contigit, cùm in modum coronæ cinctus esset à Saule, 1. Sam. 23. è qua angustia ope diuina eductus fuit, per hoc quod Philistæis in Iudæam irruentibus: Saulis exercitus ab insequendo ipsum necessariò reuocatus fuit. Illud כי חפץ בי: id est, *Quoniam fauet mihi*, causam habet huius ereptionis, & omnium eorum quæ illi in præcedentibus versibus sunt annexa: quòd videlicet clamorem inuocantis se Deus in ipso cœlo audiuit, quòd iratus fuit contra impios, quòd illos horrenda tempestate prostrauit, & quòd in angustijs constitutum seruum suum eripuit: quæ omnia fauori diuino adscribit. *Vers.* 19.

OBSER.

Misit de excelso, accepit me, &c.] Obseruandum est hoc versu, quòd non simpliciter dicit, *Accepit me & extraxit me de aquis multis*: sed præmittit, *Misit de excelso.* Caro nostra, vbi de sublimitate cœlorum ac sedis Dei cogitat, argumenta desperandi mente concipit, quasi Deus ille cœlorum habitator, ob id quod in excelso est, vel procul sit à nobis, vt in tempore & articulo necessitatis periclitantib. succurrere nequeat, vel propter cœlestem diuinæ Maiestatis celsitudinem hìc in terris repentes & adflictos despiciat & contemnat. Huiusmodi carnis nostræ tentationibus medetur Spiritus sanctus hoc versu: in quo vates de se quidem canit, quòd in aquis multis constitutus, & iamiam interiturus fuerit: de Deo autem, quòd licet ille sedem suam habeat in excelso, in ipso tamen periclitationis articulo de excelso miserit, & mergentem ex validis vndis extraxerit: ac reipsa declarauerit, nec esse se Deum è longinquo, licet cœlos inhabitet, qui suis in hac miseriarum valle in tempore necessitatis succurrere nequeat: nec propter cœlestis sedis sublimitatem eos despiciat, qui in terris adflicti ad ipsum clamant. *Vers.* 16.

Extraxit me de aquis multis.] Consideranda est etiam hæc metaphora eorum qui periclitantur in aquis

aquis vallis, vtpote ampliſſimorum fluuiorum, vel ipſius maris. Tanta ſunt huius generis peri- A
cula, vt certiſſima mors periclitantibus verſetur ob oculos, nec aliquid humani auxilij ſperare lice-
at: vnde & illi qui ſic periclitantur, toti ad cœleſtem opem implorandâ rapiuntur. Quòd ergo vates
hîc ſua pericula periculis validarũ aquarum cõparat, è quib. extractus ſit à Deo ipſo, admonet nos,
quanta ſit vis ſatanæ in impijs tyrannis, qualis erat Saul ad perſequendũ inſontes ac pios. Tale quid
& in Pharaone erga Iſraelem conſiderari poteſt: cuius imago quædam in eo propoſita eſt, quòd Mo-
ſes, futurus liberandi populi miniſter, ex aquis extractus, & ob eam cauſam *Moshe* dictus fuit.

OBSER. *Eripuit me ab inimico robuſto*, &c.] Obſeruandum eſt hoc verſu, quòd inimicis ſuis Propheta odium
Verſ. 17. adſcribit, & potentiam: quæ duo coniuncta in inimicis, vehementer timenda videntur. Nec imme-
ritò. quid enim non faciet potens inimicus, aduerſus eum quẽ odio perſequitur? Quid illius poten-
tia aliud eſſe poteſt, quam concepti odij miniſtra, & pernicioſorum conſiliorum quæ dictat odium,
exequutrix? Attamen ne huiuſmodi quidem inimici, quod aduerſus Dauidem quærebant, & mo-
liebantur, perficere potuerũt. Quare eripiebat eum Dominus. Caueamus ergo, ne ſic odia potentum
huius ſeculi declinemus & metuamus, vt illorum gratia contra Dominum peccemus: ſed ſpe auxilij
diuini inimicitiam illorum, ſi aliter cum Domino fieri nequeat, magno animo ſuſtineamus.

OBSER. *Præuenerant me in die vaſtationis meæ.*] 1. Primùm illud hîc notandum eſt, quòd tempus tribulationis
Verſ. 18 ſuæ vocat *diem*. Admonemur, ea tempora quibus adfligimur, & certa eſſe determinatione diuinitùs
conſtituta, & iuxtà non diuturna, ſed breuia. Annos aliquot iactatus fuit Dauid, & tamen fi-
nitis illis vocat eos *diem*. In ipſis tribulationibus vnicus dies anni, & annus ſeculi videtur habere ſpa-
cium: verùm ſuperata tentatione, apparet quàm ſit momentaneum tribulationis noſtræ tempus.

2. Deinde & hoc obſeruandum eſt, quòd diem adflictionis ac probationis, vocat *diem vaſtationis ſuæ*. Sic illi tùm videbatur, cùm dies ille adeſſet. Non erat conſilium Dei, vt quod Saul moliebatur, &
ipſi Dauidi videbatur, in effectum abiret. Ad hunc modum illi qui tentantur ac probantur, non pro-
bari ſe, ſed vaſtari putant: & quod ſecundum conſilium Dei dies probationis eſt, illis videtur eſſe
vaſtationis & exitij. 3. Tertiò notandum eſt, quòd in die vaſtitionis ſuæ præuentum ſe fuiſſe dicit
ab hoſtibus, Ante eum diem à Domino conſtitutum, nihil poterant in Dauidem impij quamuis po-
tentes, & indeſinenter inſidiantes. Sic Chriſtus ad eos qui cum gladijs & fuſtibus ad capiendum ſe
veniebant, dixit: Quotidie ſedebam apud vos in templo docens, *&c.* & non me tenuiſtis: ſed hæc eſt
hora veſtra, *&c.* 4. Quartò, & illud obſeruemus, quòd nõ dicit, *Interemerunt me*, vel *comprehenderunt me*: B
ſed *Præuenerant me*. Non erat animus hoſtium, præuenire tantùm, & coronæ inſtar cingere: ſed ca- "
pere & occidere. Verùm hactenus non pertulit Deus illorum conatus. Ergo ne in ipſo quidem die "
adflictionis noſtræ tantum permittitur impijs, quantum animo deſtinarunt. 5. Quintò. Et hoc no-
tandum eſt, quod ſubiicit: *Et factus Dominus firmamentum mihi*. Sic Deus nec in breui illo tribulationis
ac probationis tempore ſuos deſerit, ſed ſuffulcit & corroborat. Sic Pſalm. 37. Robur eorum, *inquit*,
in tribulatione. Et Pſam. 91. Cum ipſo ſum, *inquit*, in tribulatione, Itaq; ſicut argentum non commit-
titur igni, niſi cùm aurifabro placuerit, nec antea ignis aliquid in aurum poteſt, nec tum quoq; quan-
do nactus eſt aurum, tantum poteſt, quantum ardore ſuo poſſet: & tempus conflationis breue eſt, &
in eo quoq; non deſeritur ab artifice, & tandem purgatum eximitur: ad eum modum pij non com-
mittuntur impiorum maliciæ, niſi die diuinitùs conſtituto, ante quem in eos nihil poſſunt impij, &
id, eo ipſo non tantum poſſunt, quantum vellent: & tempus probationis abbreuiatur, inq; illo à Do-
mino non deſeruntur, ac tandem purgati ac probati educuntur. 6. Sextò nec hoc prætereundum
eſt, quòd hoc verſu infirmitatem ſuam in eo confitetur, quòd Dominum ſibi ſuſtentaculum & fir-
mamentum fuiſſe canit: metaphora eorum vſus, qui quoniam infirmi exiſtentes, per ſeipſos ſubſi-
ſtere non poſſunt, ideoq; robuſto aliquo & firmo ſuſtentaculo innituntur. Huc etiam facit, quòd
verſu præcedenti inimicorum ſuorum potentiam agnoſcens, dicit. *Quoniam robuſtiores me erant*. Sic
pij infirmitatem ſuam & aduerſariorum vires ad hoc confitentur, vt Deo hanc gloriam tribuant,
quòd ipſos ſuſtentauerit.

OBSER. *Et eduxit me in latitudinem.*] 1. Notandum eſt hîc, quòd ſe Propheta in anguſtijs fuiſſe fatetur, dum
Verſ. 19. ſe à Domino in latitudinem eductum eſſe canit. Ergo non ſolùm carnales homines, ſed & pij arctã-
tur, & anguſtias in animo ſentiunt, quando ab aduerſarijs premuntur & iactantur. Beneficium Do-
mini eſt, eſſe in latitudine, ac liberum ab omnibus infeſtationibus. Id non agnoſcitur, dum abeſt.
Rectè ergo trahimur aliquando in anguſtias, vt inde liberati, ſecuræ ac liberæ latitudinis benefici-
um diuinitùs datum agnoſcamus ac prædicemus.

Quoniam fauet mihi.] Obſeruanda eſt hæc acceptæ liberationis εὐαγγελία. Non tribuit illam pro-
prijs meritis, ſed liberrimo fauori diligentis ſe Dei. *Eripuit me*, inquit, *quoniam fauet mihi*. Fauoris hu-
ius nullam cauſam reddit, ſed liberationis tantùm reddit. *Fauet mihi*, inquit. Vnde fauorem hunc er-
ga ſe Domini cognouit? Ex beneficio liberationis. Non dicit, כי חפצתי בו: id eſt, *Quoniam illi faui*: ſed
כי חפץ בי id eſt, *Quoniam fauit mihi*. Dubio procul erat Propheta corde erga Deum propenſo: verùm
eam animi ſui propenſionem non adducit, adducit autem fauorem Dei erga ſe, illiq; omnium be-
neficiorum cauſam tribuit.

Occaſione præſentis particulæ dicendum eſſet de certitudine gratiæ Dei erga nos: at ea de re "
ſuper Ioan. c. 13. in augmentatione priori editioni adiecta, dixi ibi: Mandatum nouum do vobis, vt "
diligatis vos inuicem, ſicut ego dilexi vos.

20. *Rependit mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: ſecundum puritatem ma-*
nuum mearum reddidit mihi.

21. *Quia*

A 21. *Quia custodiui vias Domini: nec impiè defeci à Deo meo.*
22. *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: & statuta eius non repuli à me.*
23. *Et fui integer cum eo: & obseruaui me ipse ab iniquitate mea.*
24. *Et reddidit mihi Dominus secundum iustitiam meam: secundum puritatem manuum mearum coram oculis eius.*

Rependit mihi.] Ebr. וישב לי. Græc. & vulg. Lat. reddiderunt in futuro, *Retribuet, reddet.* & vers. 23. *Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo,* &c. Et vers. 24. *Et reddet mihi,* &c. sicut & Felix. Pag. vers. 20. in futuro: 23. verò, & 24. in præterito reddidit. LECTIO Vers. 20.

Nec impiè defeci.] Ebr. ולא רשעתי: i.e. *Et non impiè egi.* Verùm quoniam in Ebræo sequuntur מאלהי: i.e. *A Deo meo:* visum est sic reddere: *Nec impiè defeci à Deo meo.* Munsterus: *Nec vt impius recessi à Deo meo.* Tigurina versio: *Neq; impiè à Deo meo defeceram.* Areti. *Nec improbus defeci à Deo meo.* Et Campensis Paraph. *Nec eò perueni, vt impiè de Domino sentiens, deficerem a Deo meo.* Vers. 21.

Et statuta eius.] Ebr. וחקותיו. Græc. καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ. Vulga. Latin. *Et iustitias eius.* Notum est autem חוק vocari *statutum, decretum, ius,* &c. Vers. 22.

Et fui integer. Ebr. ואהי תמים Græc. καὶ ἔσομαι ἄμωμος. Vulga. Latina: *Et ero immaculatus.* Significat autem dictio תמים *integrum* ac *sincerum.* Iustinianus: *Et fui integer:* Tigurina versio: *Integrè & candidè versor cum illo.* Pagninus: *Et fui perfectus cum eo.* 2. Sam. 22. quòd hîc vers. 22 legitur, לא אסיר ממני: id est, *Non repuli à me:* habetur ad hunc modum: לא אסור ממנגד vt legatur sic: *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & statuta eius, non recessi ab illis.* R. D. Kimhi sic: לא אסור ממנגדי מצותיו ולחקיו לא: id est, *Non recessi ab eis, ab omni præcepto & statuto.* Et quòd hic est vers. 23. עמו ואהי תמים: i e. *Et fui integer cum eo:* 2. Sam. 22. sic legitur: ואהיה תמים לו: id est, *Et fui integer ei.* Et quod hîc vers. 24. est כבוריי: id est, *Secundum puritatem manuum mearum:* illic est כבוריי: id est, *Secundum puritatem meam.* Minuta quidem sunt hæc: verùm ob id illa indicare volui, vt diuersitatem lectionis etiam in Ebræo obseruemus. Vers. 23.

Prædicat his versibus Propheta, in summa, hæc duo: primùm, quàm integrè ac iustè se gesserit, idq; non coram hominib. modò, sed & coram Domino. Deinde quomodo iustitiæ & integritatis suæ rationem habuerit Dominus, illiq; rependerit. EXPLANATIO.

Respondit mihi Dominus.] Suo exemplo ad studium iustitiæ & integritatis Ecclesiam Dei prouocaturus, Dominum sibi secundum iustitiam suam rependisse dicit. *Respondit,* inquit, *mihi Dominus secundum iustitiam meam.* Intelligit de innocentia sua erga inimicos, Saulem & alios: dicitq; Dominum, habita illius ratione, ab omnib. se liberasse inimicis. Nihil enim aliud per verbum *rependendi* intelligit, quàm ea quæ Dominus secum gessit, dum ipsum, respectu ipsius innocentiæ, ab hostib. liberauit. Vers. 20.

B Rem autem eandem pro suo more bis canit. Idem enim est quod dicit: *Rependit mihi Dominus secundum iustitiam meam:* cum eo quod subijcit, *Secundum puritatem manuum mearum reddidit mihi:* nisi quòd iustitiæ dictionem, de qua loquitur, per *puritatem manuum* nonnihil explicat. Genus enim est iustitia, ad cuius speciem pertinet manuum puritas: id est, vitæ & actuum innocentia.

Quia custodiui vias Domini.] Hisce trib. versib. 21. 22. 23. q ipsum innocentiæ fontem declarat, vnde puritatem manuum suarum erga Saulem & quosuis alios inimicos suos hauserit: quam ex eo sibi fuisse dicit, quòd *vias Domini custodierit:* hoc est, placitis illius studiosè adhæserit. Etenim qui hoc studio tenentur, vt vias DEI custodiant, non poterunt facilè improbi esse erga homines, sed omnia cum illis candidè & integrè gerere malunt. Vers. 21. 22. 23.

Nec impiè defeci à Deo meo.] Custodire vias Domini, est illi pio corde adhærere: negligere & proijcere vias Domini, est impiè ab illo deficere. sed de hoc postea in obseruationibus. 22.

Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo.] Rem eandem alijs verbis dicit. *Iudicia & statuta Dei* vocat hoc versu, quæ antea *vias Domini* vocauit. Intelligit autem expressa DEI placita, quæ populo suo præscripsit, siue illa sint iudiciaria, siue moralia, vt vocant, siue ceremonialia. Omnia illa in conspectu sibi fuisse, neq; ea à se proiecisse dicit: quod nihil est aliud, quàm ea summa & indefessa religione obseruasse.

Et integer fui cum eo.] Radicem ac summam præmissorum ponit hoc versu. Ea est cordis erga Deum integritas. Ex hac nascitur custodia viarum DEI, & religio illa quæ iudicia & statuta eius sedulò respicit, & id quod subijcit, dicens: *Et seruaui meipse ab iniquitate mea.* Vocat autem hîc *iniquitatem suam,* non factum aliquod iniquum, quod certè vt factum, cauere nequit: neq; propositum aliquod iniustum: sed perinde est quod dicit: *Obseruaui me ipse ab iniquitate mea,* atq; dixisset: Cohibui me ne iniquè agerem: vel, ne delinquerem ego, quicquid interim, quamuis iniquum, contra me molirentur inimici. 23.

Et reddidit mihi Dominus.] Vicesimum versum repetit tanquam ea continentem, quorum gratia ea commemorauit, quæ vers. 21. 22. & 24. canuntur. Et vt ostendat ista se cum conscientia veritatis absq; omni fictione, teste Deo, dicere: adiecit: *Coram oculis eius.* quasi dicat: Quicquid de me Saul & omnes alij inimici mei senserint ac sparserint, innocentia mea, ac puritas manuum mearum, nota fuit oculis Dei. 24.

Rependit mihi Dominus secundum iustitiam meam.] 1. Certum est, Dauidem nihil aliud hoc Psalmo canere de Deo, quàm quòd per illum liberatus sit ab hostibus. Vnde & hoc constat, quòd cùm hic dicit: *Rependit mihi Dominus secundum iustitiam meam:* nihil aliud quàm hoc ipsum intelligat, quod toto Psalmo deprædicandum sibi sumpsit. Quærendum ergo videtur, quomodo præsens hic versus cum eo conueniat, quod præcedenti dixit: *Eripuit me, quoniam fauet mihi.* quibus vtiq; verbis nullam OBSER. Vers. 20.

aliam liberationis suæ causam assignat, quàm diuinæ gratiæ fauorem: cùm tamen mox de iustitia sua subijciens dicat: *Rependit mihi Dominus secundum iustitiam meam.* Etenim ista dicens, causam liberationis suæ non iam gratuitæ dilectioni DEI, sed propriæ iustitiæ, qua vt liberaretur meruerit, tribuere videtur. A

Habent sancti, si quando dilectionis Dei erga se, deinde & iustitiæ suæ mentionem faciunt, non eundem, sed alium atq; alium respectum. Illic, quoniam ad DEVM respiciunt, ac beneficij illius causas assignare volunt, vt q; nihil aliud adferre possunt, quàm gratuitam illius dilectionem ac beneuolentiam. Etenim coram illo agnoscunt se planè culpabiles esse, nec sibi quicquam deberi, nisi extremam perditionem, nisi vna succurreret illius misericordia ac bonitas. Vnde hic idem vates Psal. 143. dicit: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hîc vero, quoniam impios hostes & inimicos suos respiciunt, à quib. improbè ac iniquè adfliguntur, & causas considerant, propter quas ab illis premuntur, illasq; iusto iudici DEO commendant, vel iustitiam illius in eo prædicant, quòd ipsos liberârit, tanta fiducia & innocentia conscientiæ iustitiam suam commemorant, vt iudicium Dei appellare aut celebrare non dubitent. Sic suprà 7. dixit: Iudica me Domine secundum iustitiam meam & 17. A facie tua iudicium meum prodeat. Itaq; Propheta eiusdem liberationis suæ geminas causas adfert. Primam de gratuito fauore Dei, alteram de propria sua iustitia & innocentia, respectu inimicorum desumptam. Neq; rarum est, quòd vnius & eiusdem rei variæ causæ dantur. 2. Deinde obseruandum, est hoc loco, qua sit nobis constantia aduersus impiorũ hominũ iniquitatem innocentiæ nostræ asserenda iustitia, quantumuis coram DEO peccatores simus & culpabiles. Patienter quidem ferendum est, quicquid nobis malorum ab impijs præter meritum nostrum infertur. Verùm iuxtà non debemus testimonium innocentiæ nostræ deserere, nec probare illorum maliciam. 3. Tertiò, videmus etiam hoc loco, esse apud DEVM rationem iustitiæ & innocentiæ, & תשובה id est, *repensionem* illis qui innocenter adflictati, causam suam ipsi commendant, vtvt coram Deo peccatores & sint, & esse se cognoscant. Etenim innocentiæ studium seminis instar est, in terram bonam proiecti: quod licet hyemis tempore aliquandiu, ne emergat, detineatur, tandem tamen in apertum prodit, efficique vt agricola competentem תשובה vel תבואה reportet. Perdurandum igitur est in studio innocentiæ, ferendumq; si multa tristia veniant. Erit enim aliquando, vt cum gaudio & ipsi dicamus: Rependit nobis secundum iustitiam nostram, & secundum puritatem manuum nostrarum. 4 Quartò consideremus & illud quòd innocentiam vitæ, *puritatem manuum* vocat, dicitq; sibi Deum secundum illam reddidisse. Quid est autem *innocentia* ac *puritas manuum* aliud, quàm vita innoxia, qua sic vivimus, vt nemini noceamus, nec quicquam mali cuipiam inferamus? Et tamen ista innocentia portio duntaxat iustitiæ est, non plenitudo, nec superior, sed inferior portio est. Superior enim est, qua iustitia perficitur studium benefaciendi omnib. Iam si inferior ista iustitiæ portio tanti apud Deum momenti existit, vt secundum hanc quoq; non dedignetur rependere: quomodo non magis hoc faciet, si etiam superior accesserit, & studium iustitiæ perfectum reddiderit? B

OBSER. *Vers.* 21. 22. 23. *Quia custodiui vias Domini.*] 1. Trib. hisce versib. 21. 22. & 23. videmus in genere, vnde sit mortalib. veræ iustitiæ & innocentiæ studium: nempe ex custodia & obseruantia viarum Domini, iudiciorũq; & statutorum eius: hoc est, ex vero timore DEI, & studio colendi ipsum. Commemorauit versu præcedenti iustitiam & innocentiam suam, ac mox subiecit: *De custodia viarum ac mandatorum Dei.* Stultissimus hic Mundus, pios ac timentes DEI persequitur, & impios fouet: cùm non sunt in Orbe, à quib. possit verum iustitiæ ac innocentiæ studium certiùs sperari, quàm à pijs.

2. Denide & illud cogitandum est, quàm timor ac religio DEI non consistat in cultu templario, quo solo Mundus hic ad promerendum diuini numinis fauorem vtitur, sed in studio iustitiæ & innocentiæ erga proximos. Primarium quidem est, fide, dilectione, ac religione integrum esse erga Deum. Vnde & hîc versu. 23. dicit: *Et fui integer cum eo.* Verùm ista integritas, quoniam consecrata est voluntati DEI, & illa etiam iustitiam erga proximum requirit, non potest plenum pietatis studium eo cultu perfici & consummari, quo neglectis proximis solo, templaria ac ceremoniaria religione Mundus hic fauorem ac gratiam DEI ambire se simulat.

3. Tertio, admonemur etiam hoc loco, id potissimum placere Deo in studio innocentiæ nostræ, quòd causa illius non terreno respectu vel affectu nititur, sed ex obseruantia voluntatis illius proficiscitur. Dixit: *Rependit mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum reddidit mihi*: ac statim subiecit: *Quia custodiui vias Domini*, quib. verbis satis indicat, id potissimùm placuisse Deo, quod propter custodiam viarum illius innocentiæ studium seruârit erga mortales. Plurimùm refert, quare manuum puritatem & innocentiam seruemus. Alius hoc facit, quia facultatem nocendi non habet: alius humano aliquò affectu vel respectu manus ad se cohibet: pauci sunt qui id respectu diuinæ voluntatis faciant.

4. Quarto: *Nec impiè*, inquit, *defeci à Deo meo.* Admonemur hîc impietatem esse, & defectionem à Deo, si quis nulla teneatur viarum, iudiciorum ac statuorum DEI obseruantia. Debet quisq; suo Deo summum obseruantiæ studium tanquam suo Deo. Huius contemptus, rectè impiæ defectionis loco habetur. Sic non simpliciter dixit, *Nec impiè defeci à Deo* sed, *A Deo meo*, inquit.

5. Quinto in eo quòd dicit: *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo:* non solùm hoc obseruandum est quanta diligentia ad custodiam mandatorum DEI requiratur, nempe, qua iudicia eius & statuta perpetuò in conspectu: id est, iugi memoria habeantur: siquidem illorum obliuio, radix est omnis præuaricationis: sed & quàm plenam & perfectam oporteat hanc esse obseruantiam. Non simpliciter dicit, *Quoniam iudicia eius in conspectu meo*: sed, *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo.*

Sinceri

A Sinceri non sunt in custodia mandatorum DEI, qui partem illorum quam obseruent, deligunt, reliqua negligunt. Qui enim in vno offendit, omnium reus est.

6. Sextò. *Et statuta eius non repuli à me.*] Expende lector hanc particulam accuratiùs, quòd verbum *repellendi* attinet. Non dicit, *Et statuta eius quæsiui*: sed, *Non repuli à me.* Statuta DEI obscura non erant populo Dei. Sapientia Dei clamitabat in plateis, occurrebant quotidie, præterquam quòd mentib. mortalium occulto quodam instinctu suggeruntur. Illis non acquiescere, repulsæ notam habet. Reuerà est mortalium quisquam, qui bona conscientia hac in re se destitui queri possit.

7. Septimò. *Et fui integer cum eo.*] Suprà dixi, hanc integritatem esse veluti radicem eorum, quæ hic de custodia viarum & iudiciorum Dei canit. Integritas ista est puritas, simplicitas & candor cordis erga Deum, quam ille à suis cum primis requirit, sicut ad Abrahamum dicebat: Ambula coram me, & esto integer. Tanta est integritatis huius virtus, vt non modò coram Deo, sed coram hominib. probitatis laudem mereatur: & si qua per imperfectionem culpanda accidunt, excusabilia reddit. Non enim locum in illa habent nequitia hypocrisis, versutia, malicia, &c. quæ mortalium delicta vehementer aggrauant.

8. Octauò. *Et obseruaui meipse ab iniquitate mea.*] Videndum hîc est, quid de seipso Propheta senserit, quàm se ad iniquitatem ex corruptione naturæ propensum non ignorauerit: eamq; ob causam sei pse haud aliter obseruauerit, quàm seruus nequam obseruari solet, ne quid damni adferat. Hanc naturę corruptę iniquitatem agnoscunt in se omnes sancti, illamq; studiosissimè & summa cautione obseruant: cùm interea Pharisęi & hypocritę in vtranq; aurem, quod ipsos concernit, securè dormiant, aliorum verò vitam curiosissimè obseruent.

9. Postremò. Quoniam hisce versib. Propheta custodisse se vias Domini, & omnia illius iudicia ac statuta in conspectu suo retinuisse dicit: videndum est, quomodo intelligendum sit, quando talia de seipsis prædicant sancti, qualia sunt ista, & quæ infrà Psal. 119. leguntur: vtpote: Eloquium tuum custodiui, ab omni via mala prohibui pedes meos, custodiuit anima mea testimonia tua, seruaui omnia mandata tua, viam mandatorum tuorum cucurri, à iudicijs tuis non declinaui: *& quæ alia sunt eiusmodi.* Non sunt ista sic à Dauide dicta, q. senserit se omnia præcepta Dei perfectè & accurratè seruasse, nec vlla in re deliquisse: sed quòd eo seruandæ legis DEI studio præditus fuerit, vt quantis potuerit virib. omnib. mandatis illius custodiendis intentus fuerit. Et de eiusmodi studio loqui se Ps. 119. vers. vlt. sicut & alijs quibusdam locis satis indicat, cùm dicit: Erraui sicut ouis perijt, quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Tale etiam est, quòd in præsenti loco non dicit, *Quoniam omnia iudicia illius seruaui & impleui*: sed, *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo*: hoc est, habeo illa coram oculis meis, seruandis illis sum intentus ac deditus. Nec subdit: *Et statuta illius non sum transgressus*: sed, *Et statuta illius non repuli à me.* Rursus cùm dixisset: *Et integer fui cum eo*: non addidit, *Nec quicquam aduersus eum deliqui*: sed, *Obseruaui meipsum ab iniquitate mea*, videlicet ne delinquerem.

Apparet ex hac consideratione, quid discriminis sit inter pios & impios. Impij nullo pietatis stu-
B dio tenentur: vias, iudicia & statuta DEI à se quàm longissimè proijciunt, seipsi ab iniquitate sua nō obseruant, cordibus sunt peruersis, non integris, nec cohibent maliciam suam, nisi quantum timore pœnæ repelluntur. At pij, quoniam corde sunt rrga Deum integro, diligunt illum, ac vias, iudicia & statuta illius summo studio obseruant: toti ad id propensi, vt ei se se probent, quem tanquam Deum suum integro corde diligunt & colunt. Peccant impij, peccant subinde & pij. Verùm illi ex contemptu DEI, isti autem ex infirmitate carnis delinquunt: illis dolet, quòd non licet satis indulgere carni: istis molestissimum est, quòd aliquando concupiscentijs carnis superati deliquerunt.

Quæ versu 24. obseruanda sint, suprà 20. annotata sunt.

25. Cum sancto sanctus es, & cum viro integro integer es.
26. Cum puro purus es, & cum peruerso peruerteris.

LECTIO Vers. 25.

Cùm sancto.] Ebr. עִם חָסִיד: i.e. *Cum bono*, vel, *Cum beneuolo.* Significat enim חֶסֶד *bonitatem* ac *beneuolentiam.* Placuit tamen reddere cum alijs, *Cum sancto.*

Sanctus es.] Ebr. תִּתְחַסָּד Dictionem hanc verbaliter positam duob. tantùm locis in sacris Scripturis inuenio. In piel, Prou. 25. ad hunc modum: בֶּן יַחְסָרְךָ שֹׁרְרֶךָ: i.e. *Ne fortè exprobret tibi audiens*: Et in hithpahal, hoc loco, עִם חָסִיד תִּתְחַסָּד: i.e. *Cum sancto sanctificaris*: vel, *Cum bono ac misericorde bonus ac misericors redderis.* Græc. & Arabs. & vulg. Lat. & Iustin. & Felix, legunt, *Cum sancto sanctus eris.* Pag. *Cum misericorde misericors eris.* Aret. Felin. *Etenim bono bonum te exhibes.* Tigurina versio: *Qui bonitati studet, ei benignè facies.*

Et cum viro integro.] Ebr. עִם גִּבּוֹר תָּמִים. Græc. καὶ μετὰ ἀνδρὸς ἀθῴου. Vulg. Lat. *Et cum viro innocente.* Felix: *Et cum viro immaculato.* Iustin. ac Pag. *Et cum viro perfecto.*

Et cum purus es. Ebr. עִם בָּר. Græc. καὶ μετὰ ἐκλεκτοῦ. Et vulgata Latin. *Cum electo.* Cum his consentit Felix Prat. Vers. 26.

Et cum peruerso peruerteris.] Ebr. עִם עִקֵּשׁ תִּתְפַּתָּל. Græc. καὶ μετὰ σκολιᾶς διαστρέψεις: i.e. *Et cum peruerso peruertes.* Si reddit Iustin. Pag. *Et cum peruerso peruersus videberis.*

EXPLANATIO.

Hi duo versus aliter atq; aliter exponuntur. Vulgata illorum expositio hæc est. Multùm refert, quo cum hominum genere viuas, cum quib. mortalib. vitæ commercium habeas, iustis ne vel iniustis coniungaris. Etenim si sancto coniunctus fueris, sanctus eris, cum integro integer, cum puro purus, & cum peruerso peruersus eris. Quapropter si sanctus, integer, purusq; euadere cupias, coniunge te sanctis, integris ac puris. Hoc sensu vulgò plerunque ista verba citantur. Haud quidem ista præter rationem dicuntur. Sic enim comparati sumus, vt mores eorum quibus cum degimus,

præsertim malos facilè imitemur. Ad malum quippe propensi sumus à iuuentute, Gen. 8. Vnde & illud est Sap. 4. Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Ob hanc causam Israëlitis tanto serio interdicta fuit à DEO omnis idololatrarum societas & communicatio, ne tali commercio ad cultum eidolorum abducerentur. Et huc illud quoq; pertinet quod Apost. dicit: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Verùm hæc expositio ad argumentum præsentis Psalmi non facit. Haud enim cum hominib. Propheta sed cum Deo loquitur: & ista eo sensu canit vt cum præcedentibus & sequentibus conueniant. A

Alij exponunt ad hunc modum: Vt æstimas Deum, ita habes eum. Deus sic possidet corda piorum, vt quicquid facit, non possint non sanctum, innocens, electumq; iudicare: id quod ipsis à Deo reputatur ad iustitiam. Et sic ipse cum sancto sanctè, cum innocente innocenter, & cum electo electè agit: atq; hoc nos sumus Deo, quod ipse est nobis. Contrà, sic derelinquit peruersorum corda, vt quicquid facit, non possint non peruersum & iniustum iudicare. Et sic apud eos peruersus est. Qui hos versus sic exponunt, videntur hæc verba: *Cum sancto sanctus es*, perinde legere, atq; si diceret Propheta: *Sancto sanctus, viro integro integer, puro purus, peruerso autem peruersus es.* Verùm quidem & hoc est, vnus & idem Deus, sanctis, integris ac puris sanctus, integer ac purus: impijs contrà & peruersis, peruersus habetur. At interim hac de re non loquitur Propheta hoc loco.

Tertia expositio eorum est, qui duos hosce versus de integritate & æquitate Dei exponunt, qua soleat ega bonos, integros & puros bonum se, & integrum & purum præstare: rursus, qui peruersis etiam ac prauis iuxta peruersitatem ac prauitatem illorum respondeat. vt sit hic sensus: In te nemo fallitur. Integer planè es & æquus: modò curet hoc quisq;, vt simplici integro, ac puro corde coram te ambulet. Quòd si prauus quisquam ac peruersus fuerit, reperiet & ille talem te, qualem prauitate sua meretur. Hinc Kimhi Ebræus particulam istam: *Et cum peruerso peruerteris*, sic exponit: תפרא עלי׳ברורו תפתחל: hoc est, *Induces super illum iuxta viam eius peruersam.* Horum expositio propiùs accedit ad argumentum Psalmi, & pulchrè cum præcedentib. cohæret. quapropter eam retinendam duxi.

OBS. 1. *Cum sancto sanctus es.*] Obseruandum hoc loco est, quid exigatur ad hoc vt Deum erga nos bonum, integrum, ac purum experiamur. In se quidem sanctus est, bonus, integer & purus: verùm multum refert, quales nos erga ipsum simus. Etenim licet in se sit idem & immutabilis, erga mortales tamen varius est: non suopte, sed illorum vitio. Quòd autem varius sit erga mortales, in eo satis patet, quòd Propheta eum *erga integrum ac purum, integrum & purum: & erga peruersum, peruersum* esse dicit. Quos etenim aliud peruersum, & aliud integrum & purum esse negabit? Admonemur igitur, vt boni simus, puri & integri, si talem erga nos Deum experiri voluerimus.

Deinde notandum est, quòd non dicit: *Cum sapiente, cum potente, cum diuite, sapiens, potens, ac diues es:* sed, *Cum sancto vel bono, bonus ac sanctus, cum integro integer, & cum puro purus es.* Non prouocamur ad hoc, vt simus sapientes, potentes, ac diuites, sed vt boni, integri ac puri simus. Si tales fuerimus, experiemur Deum erga nos & bonum & integrum, & purum, ac simul etiam sapientem, potentem, ac diuitem: verum non viceuersa. Sed dicit aliquis: Haud quaquam dubito verissimam hanc esse Prophetæ sententiam, talem videlicet vnicuiq; esse DEVM, qualem se erga eum quisq; gerit: erga bonum bonum, integrum integrum, purum purum: verùm vnde mihi dabitur vt sim bonus, integer ac purus? Nemo bonus, *inquit Christus*, nisi solus Deus. Non ausim mihi cor adscribere castum & purum. Neq; ea conditione sum, vt ipse cor mundum in visceribus meis creem. B

Respondeo: Propheta simpliciter quod verum est dicit, nempe bonis, integris ac puris, bonum, integrum ac purum esse DEVM. inde autem nemo pius colliget, à nobis esse quòd tales simus, sicuti tempore Augustini quidam dicebant, quòd homines sumus, à Deo: quòd iusti homines, à nobis ipsis habemus. quos ille non assertores, sed peruersores liberi arbitrij vocat: super Ioan. cap. 15. ibi: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c. Cæterùm locum hîc habet illud Iob: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es?

OBS. 2. *Et cum peruerso peruertêris.*] Videtur hæc particula aliquid habere absurdi, in eo quòd Deum Propheta *peruerti* dicit. Notũ est, quid sit esse peruersum: ingenio videlicet esse malicioso, astuto, ac versuto, quod aliud promit, & aliud occulit, nemini fidit, mutatur in horas, ac tale se gerit, cui nihil tutò credere possis: cuius oppositum sit, esse simplicem & integrum. Vtiq; talem peruersitatem Deo nemo pius tribuet: sed cum talib. peruerti ob id dicitur, quòd alium se erga eos gerit quàm erga bonos, integros ac simplices: hoc est, quòd iusto iudicio peruersam illam malorum prudentiam & astutiam stultam faciat, prudentesq; in astutia ipsorum comprehendat. Quid aliud cum versutissimo Satana egit? Peruersissimus impostor parentib. generis nostri diuinitatem pollicendo, mortis occasionem obiecit. Deus contrà modò eque contrario filium suum in mortem tradendo, mortis imperium quod habebat Satan, destruxit. Ad hunc modum astutum impostorem in astutia sua comprehendit. Talem se gessit aduersus Pharaonem, contra impios quoq; Israëlitas, præsertim eos qui dicebant: Ne forte veniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem. Ex hoc fonte est illud, quòd impios excæcare, obdurare & incrassare dicitur, &c. Esa. 6. Matth. 13. Ioan. 12. Roman. 11. Act. vlt. In summa hæc est via illa iudicij Dei, quo super impium venit quod timet, Prou. 10.

27. *Quoniam tu populum afflictum seruasti: & oculos sublimes deiecisti.*

28. *Quoniam tu illuminasti lucernam meam: Dominus Deus meus illustrauit tenebras meas.*

29. *Quia in te perrupi aciem: & in Deo meo transiliui murum.*

Vers.

A Vers. 27. & 28. 2. Sam. 22. ad hunc modum leguntur: ראתה עני תושיע ועיניך על רמים תשפיל LECTIO
hoc est. *Et populum adflictum seruas, & oculos tuos super excelsos deijcis.* Deinde: כי אתה נירי יהוה ויהוה יגיה חשכי
i. e. *Quoniam tu es lucerna mea Domine, & Dominus illuminauit tenebras meas.*

Quoniam tu populum adflictum.] Ebræ. עם עני. Græc λαὸν ταπεινόν. Vulg. Lat. *Populum humilem* Felix habet: *Populum pauperem* Sic & Pag. & Iustin. Adflicti plerunq; sunt humiles & abiecti: ob eam causam dictionem עני *humilem* reddere solent. *Vers.* 27.

Quia in te perrupi aciem.] Ebr. כי בך ארוץ גדוד Græc. ὅτι ἐν σοὶ ῥυσθήσομαι ἀπὸ πειρατείας. Vulg. Lat. *Quoniam in te eripiar à tentatione.* Pagnin. *Quoniam in te conteram exercitum.* Iustin. *In te enim insequar aciem.* Felix: *Quoniam in te conteram militum cuneum.* 29.

Quoniam tu populum adflictum seruasti.] Tribus hisce versib. probandi eius gratia quod duob. præcedentib. dixit, argumenta quædam subijcit, vnde constet esse Deum bonum bonis, integrum integris, ac rursus peruerti peruersis. Sunt autem argumenta illa non è longinquo, ac priscis maiorum exemplis, sed è vicino, illis videlicet historijs, quæ non suo tempore tantùm, sed & sibi & populo Israëlis, cui rex datus fuerat contingerant. Et primùm de populo meminit, dicens: *Quoniam tu populum adflictum seruasti.* quæ verba, æquè ac sequentia, in præterito legi possunt ad hunc modum: *Quoniam tu populum afflictum seruasti, & oculos sublimes deiecisti*, Per *oculos sublimes* intelligit Saulis ac satrapum illius, deinde & Philistinorum, & Moabitarum, & Idumæorum, Assyriorumq; superbiam, quam Dominus potenti brachio deiecerat: & populum adflictum aliquoties violentiæ illorum eripuerat ac seruauerat. Nihil tamen impedit, quò minus legamus in præsenti, vt sit ex re gesta generalis desumpta sententia. Q. d. Propheta: Quod te integrum esse, bonum ac purum integris, bonis ac puris erga te, rursus peruerti erga peruersos dico: ex eo satis patet, quòd populum adflictum & oppressum seruas, & fastum ac ferociam impiorum deijcis. EXPLANATIO. *Vers.* 27.

Quoniam tu illuminasti lucernam meam.] Iam consequenter de se quoq; canit, ex beneficijs DEI in se declaratis, eius rei quàm deprædicat, argumenta ducens. Prædicat autem hoc versu, à Deo se liberatum esse ex magnis periculis. Per *tenebras* enim intelligit tribulationes, ac rerum vitæq; discrimina. Has sibi diuinitùs illustratas esse canit: intelligens per lucem qua tenebræ discutiuntur, restitutam rerum prosperitatem, more Scripturæ. Vt Iob 18 Prouerb. 13. & 24. Psal. 112. & Esa. 58 & 59. Iohelis 2. & Zephan. 1. & Gen. 15. cùm Abrahæ DEVS de posteris ipsius prænunciaret, quòd seculis aliquot seruitute premendi essent in Ægypto, visionem illi, tenebris horrendam induxit. Si enim comparati fumus, vt dum tristamur, omnia videantur obscurari: rursus dum reb. prosperis vtimur, cuncta appareant esse lucida ac splendida: præsertim superatis tribulationib. sicuti Esther 8. legimus, quòd Iudæis noua quædam lux oriri visa sit, cùm per Mardochæum tam grandi periculo
B essent erepti. Dicit itaq; Propheta: *Quoniam tu illuminasti lucernam meam*, q. d. Quoniam tu es, qui prosperitatem hanc meam (illam dictione *lucernæ* intelligit) qua fruar, mihi seruo tuo procurasti, calamitatesq; omnes quib. premebar, ac veluti tenebris densissimis obruebar, dispulisti. Clam me non est, esse aliam quorundam præsentis versus expositionem, qui Prophetam de spirituali luce ac spiritualib. tenebris loqui intelligunt, quasi canat hîc de luce diuinæ cognitionis, sine qua nulla humani ingenij ratio operum Dei vias cognoscere potest. q. d. Quòd autem tibi credidi, quòd toto pectore abste pependi, quòd talem DEVM cognoui, non mihi debeo, sed illuminationi tuæ, qua mihi intellectum hunc indidisti, ac tenebras ignorantiæ meæ dispulisti. Ob hanc causam quidam in dictione נרי: id est, *lucerna*, philosophantur, rationem per illam intelligentes, quæ quidem nomen habeat lucernæ, planè tamen cæca sit in reb. diuinis, nisi à Deo illuminetur: propterea quòd hîc tenebræ sint super faciem abyssi. Vera est, fateor, hæc sententia: at Psalmi huius argumento, meo iudicio, non admodum conueniens. 28.

Quia in te perrupi aciem.] Dat liberationi diuinitùs acceptæ duas partes. Vnam, qua fuerit liberatus ab hostibus, ne ab illis extingueretur: alteram, qua illos etiam bellica virtute prostrauerit ac fregerit. De priore, versu præcedenti: de altera, hoc præsenti canit. Intelligunt autem Prophetam loqui, alij de victoria, qua Goliath prostrauit, vt illum sentiamus hic גדוד: i. e. accinctum ac militariter indutum & armatum, cuius mentionem hic faciat, cùm quòd fuerit clarissima, tùm quòd extiterit omnium prima: alij in genere de omnib. victorijs, ita vt dictio גדוד pro plurali posita accipiamus, perin de atq; nos militem pro exercitu militum dicimus. Posterior hæc sententia mihi vero videtur esse similior ac simplicior. 29.

Illud, *Et in Deo meo transiliui murum*: & ipsum non est singulariter de vnius ciuitatis muro intelligendum, sed de superatis Ammonitarum, Moabitarum, Syrorum & Idumæorum ciuitatibus.

Quoniam tu populum adflictum seruas.] 1. Principiò obseruandum est, quòd non dicit, *Quoniam tu hominem adflictum seruasti*: sed, *Quoniam tu populum adflictum seruasti*: qua in re videmus, quam non potuerit obliuiscì adflictionis eius, quam fuerat populus sub Saule & ab alijs vicinis impijs perpessus. Declarat ergo hoc versu, quo fuerit, etiam in ipsa regni gloria ac summa rerum prosperitate, erga populum DEI sibi concreditum, animo. Agnoscit hic, & cum gaudio fatetur, omnia illa quæ sibi diuinitùs benefacta fuerant, populi gratia fuisse facta. Sit hac in re boni ac sinceri principis exemplum, quod imitentur illi, qui rerum in Christianos in populo Dei potiuntur. OBSER. *Vers.* 26.

2. Deinde notandum est, quàm nihil suæ industriæ ac potentiæ adscribat, sed populi adflicti liberationem DEO referat acceptam. Liberauerat ipse populum primùm de manu Philistinorum, deinde & de reliquorum hostium infestatione, quos multis ac magnis prælijs confregerat. Verùm nihil horum agnoscit. Non dicit, *Ego liberaui populum adflictum, & oculos sublimes deieci*: sed, *Tu es ille*, inquit, *qui populum adflictum seruasti*, &c. Discamus hoc exemplo, nihil nostris, sed omnia DEI operatio-

rationibus ac viribus adscribere, quo gloria non sit organorum, sed operantis omnia in omnib. Dei. A

3. Tertiò considerandа venit etiam vulgata versio, quæ habet: *Quoniam tu populum humilem saluum facies*, &c. Vnde AVGVSTINVS sic exponit: *Quoniam confitentes peccata sua saluabis, & eos qui iustitiam Dei ignorantes, suam constituere volunt, humiliabis.* Quanquam Propheta humilis animi virtutem hoc loco nec in se, nec in populo prædicat, sed adflictionem notat populo ab improbis illatam, eamque meritam etiam, sicuti videre est 1. Sam. 8. nihilo tamen secius verum est, DEVM sic esse comparatum, vt humiles saluet, elatos ac sublimes humiliet. vnde & 1. Petri 5. sic legimus: DEVS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Est autem hoc de Deo sic compertum, vt quotquot vnquam pij, irascentis DEI timore perculsi, gratiam propitiationis ambiuerunt, ad humilitatis consilia sese demiserint. Sic videre est in historijs Esther, Iudith, Achab, ac multis alijs. Vnde illis vsus fuit sacci & cinerum. Sic Dauid fecisse legitur 2. Samuelis 13. Iudith 4. Hester 4. Niniuitæ Ionæ 3. & CHRISTVS Matthęi vndecimo: Olim, *inquit*, in cilicio & cinere pœnitentiam ad saccum & cinerem vocare solebant. Hierem. 6. 25. Ioelis 1. & 2. Quæ res tandem relicta vera pœnitentia & animi humiliatione, in nudam quandam & hypocriticam ceremoniam abijt, quam & Prophetæ aliquoties reprehendisse leguntur, vt Esa. 58. & Ioelis 2. Neque frustrà. Est enim reuerà magna patientiæ DEI irritatio, quòd non solùm à peccatis non abstinetur, sed & impudenti hypocrisi Deo omnium cordium scrutatori illuditur. quale est & illud, quod in Papatu singulis annis, quando ieiunia sua inchoant, quæ nihil minus quàm vera ieiunia, cinerem capitib. suis pro consuetudine inspergunt. Quid sibi vult ea ceremonia? Humilitatis speciem præ se ferunt, quasi ad id intenti, vt Deum sibi propitium reddant. Verùm is animus eorum est, qui verè & ex corde resipiscunt, & à vijs suis malis ac peruersis conuertuntur. Quotus autem quisque est, qui hoc seriò agat? Notum est factum Bonifacij octaui, qui cùm in die Cinerum Prochetus Genuensis Archiepiscopus, Cæsaris partib. fauens, ad pedes ipsius more Persico prostratus esset, & cinerem à sanctissimo accepturus, caput submitteret, dicebat: Memento homo quòd Gabellinus es, & cum Gabellinis in cinerem redibis. (Erant autem Gabellini Cæsariani, & Guelphi Pontificij) & cinerem acceptum non supra caput, sed in oculis procumbentis ante se Episcopi coniecit. Tanta scilicet erat in ipsa humilitatis ceremonia sanctissimi modestia & humilitas. Locum hîc illud habet: —— *& crimine ab vno, Disce omnes* ——Huiusmodi non hypocrisi modò, sed & impudentia, quid aliud efficitur, quàm vt patientia Dei ad extremum vsq; exacerbetur?

4. Quartò: *Et oculos sublimes*, inquit, *deiecisti.*] Obseruandum hic est, quòd eos quos versu præcedenti *peruersos* vocauit, vocat iam *superbos*: per id, quòd oculos illis sublimes tribuit.

Admonemur de ingenio impiorum ac peruersorum, esse illud elatum ac superbum: sicut contrariò piorum & bonorum humile & modestum. Nec ociosum est, quòd superbiam peruersorum perstringens, oculorum sublimium meminit. Hac enim parte corporis, animi elati fastus, quem & supercilium vocare solemus, insigniter exprimitur. Notat igitur Propheta in peruersis, non modò B internam mentis arrogantiam, sed & externum illorum habitum, mores & gestus, elatione ac fastu impudentes. Incedunt enim dum florent, elatis supercilijs sublimes, nihil humile vt sentientes, ita & spirantes. Atq; tales in hoc seculo potissimùm suspiciuntur. Verùm in cœlis est, qui hos oculos sublimes deijcit. Sic Esaiæ 2. & 5. Et oculi sublimes, *inquit*, deijcientur. Et Prou. 6. vbi enumerantur quæ Deus peculiari odio prosequatur, primùm ponuntur oculi sublimes. Cogitemus de hac ipsa historia, cuius Propheta hoc versu meminit. Saul cum suis interea, cùm Dauid exilio, & populus tyrannide adfligerentur, oculis elatis incedebant, regnabant & insolescebant. Dauid & miser populus oculis erant in terram deiectis, vt solent adflicti foris, intùs in corde humiles pij. Quousq; verò durabat ista rerum facies? Donec sc. & in istis diuinitùs declarabatur, esse in cœlis DEVM, qui humiles & adflictos saluet, & superbos deijciat. Discamus ergo, humilib. & adflictis potiùs quàm superbis & insolentibus coniungi, sicut & Moses fecisse legitur, Exod. 2. & Ebr. 11.

OBSER. *Vers.* 28. *Quoniam tu illuminasti lucernam meam.*] Videmus hic, quis ille sit qui tenebras tribulationum dispellere, lucemq; rerum prosperarum reducere queat, & soleat etiam: is nimirum qui tenebras creat, & lucem format: pacem facit, & creat malum. Esa. 45. Solet Deus tenebras primùm inducere, quib. pij adobruantur, & vel castigentur, vel exerceantur & probentur: deinde tandem lucem illis liberationis & gaudij restituere. Præcedunt tenebræ, sequitur lux. Sic priores sunt passiones, & posteriores gloriæ. Prior diei pars nox est, alteram Solis exortus inchoat. Acerbum quidem est, quodcunq; adflictionis tempus: verùm cordatus homo satiùs ducet, post modici temporis tenebras cum Iob 17. sempiternam veræ felicitatis sperare lucem, quàm post exiguam terreni successus lucem ad tenebras transire nunquam finiendas. Nemo itaq; nostrum ordinem hunc tenebrarum ac lucis, filijs DEI magno consilio destinatum, inuertere cùpiat. Et illud notandum est obiter, quòd Propheta temporib. lætis ac splendidis præteritarum tribulationis tenebrarum non obliuiscitur, sed earum sic recordatur, vt ex illarum memoria argumentum celebrandi beneficia Dei excerpat.

OBSER. *Vers.* 29. *Quia in te perrupi aciem.*] Perspicuum est, hoc versu celebrari à Propheta dexteritatem ac virtutem bellicam. Qua in re notandum est, quòd hanc à Deo se accepisse canit. Sunt hîc pleræq; circumstantiæ obseruandæ. Primùm, qualis fuerit hic rex, pius planè ac fidelis: deinde, iussu Dei populo Israëlis datus: tertio, ad hoc datus, vt Israëlem liberaret ab hostib. quartò, ad hunc ille scopum bella gessit. Horum consideratione apparet, quo spiritu dicat: *Quia in te perrupi aciem, & in Deo meo transiliui murum.* Admonemur igitur, esse præclarum hoc donum, quando dux datur adflictis, qui bellandi dexteritate impios supprimat & frangat, quales pleriq; fuisse in sacris Scripturis leguntur. Deinde, quanta sit fidei virtus in talibus viris, qui non suapte virtute confisi, sed fide in DEVM suum corroborati

hostium

A hostium cuneos & exercitus animo infracto perrumpunt. Vide Ebræ. 11. Deficiet, *inquit*, me tempus narrantem de Gedeone Barach, Samson, Iepte, Dauid, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Obtulerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugarunt aciem gladij, conualerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra subuerterunt exterorum, &c. Hanc fidei virtutem innuit Propheta, cùm non simpliciter dicit, *Quia perrupi aciem, & transiliui murum*: sed, *Quia in te*: id est, *fide erga te, fiducia auxilij tui perrupi aciem, & in Deo meo transiliui murum*. Et emphasim huius fidei in eo exprimit, quòd non dicit, *Quia in te restiti acies, in Deo meo impugnaui muros*: sed, *Perrupi*, inquit, *aciem & transiliui murum*. Obiectum autem fidei huius in eo notat, quòd dicit: *Et in Deo meo*. quod iam secundò facit. Dixit enim & versu præcedenti: *Dominus Deus meus illuminauit tenebras meas*. Significat se per id fuisse animatum fide erga Dominum, quòd esset ille Deus suus. Cogitemus itaq; hoc versu, vnde sit nostris temporibus, quòd tam parum animi ac successus est principibus nostris contra acies Turcorum, & reliquorum impiorum. Parum est fidei, qua sola dexteritas ista concipitur in rebus bellicis, quàm hîc celebrat Propheta: & in sequentibus latiùs deprædicabit.

30. Deus integra via eius: eloquium Domini igne probatum, clypeus est omnibus in se sperantibus.

31. Quoniam quis Deus præter Dominum? & quis petra præter Deum nostrum?

LECTIO. *Deus: integra via eius.*] Ebr. האל תמים דרכו Græc. ὁ θεός μου ἄμωμος ἡ ὁδὸς αὐτοῦ. Vulg Latina: *Deus meus impolluta via eius*. Arabs Ebræum sequutus, reddidit sine pronomine, *Deus*. Pagninus: *Dei perfecta est via*. Tigurina versio: *Via Dei integra est*.

Et quis Petra.] Ebr. ומי צור Græc. καὶ τίς θεός; Vulg. Lat. *Aut quis Deus?* Iustinianus: *Et quis fortis?* Sic & Pagninus. Felix Prat. *Et quis creator?* Etenim verbum צור Ebræis aliquando etiam *formare* & *fingere* significat.

EXPLANATIO. Rursus per exclamationem, integritatem Dei, nunquam satis obseruatam, deprædicat dicens: *Deus? integra via eius*, &c. quasi dicat: Quid de eo prædicem? In summa, via eius integra est. Hoc est, quicquid agit cum suis, integrum est ac candidum. Hoc illi ingenium est perpetuum, vt candidè & integrè agat omnia. Subijcit experimenti gratia: Eloquium Domini igne probatum hoc est: Quicquid Dominus promittit, quicquid dicit, firmum est, certum & constans: idque iam innumeris modis probatum est, perinde atq; aurum igne probatur. Et hinc colligit gnomen illam, supra modum omnibus adflictis consolatoriam. *Clypeus*, inquit, *est omnibus in se sperantibus*. hoc est: Quisquis cognita
B integritate viarum Dei, & veritate eloquiorum illius, spem suam in illum collocat, & firma pendet ab illo fiducia, perinde securus est ac communitus, atq; si miles fido quodam & infracto scuto contra hostium iacula protegatur.

Quoniam quis Deus, præter Dominum?] Magno spiritu ex consideratione eorum quæ hactenus de Deo prædicauit, ad exprobrandum dijs gentium vanis illis & confictis, prorumpit, dicens: *Quoniam quis Deus, præter Dominum? & quis petra, præter Deum nostrum?* quasi dicat: Quare de Deo nostro vero & vnico non prædicem, quòd clypeus ille sit omnibus in se sperantibus? cùm non sit præter illum Deus alius, qui petra possit esse & firmamentum in se sperantibus. Etenim dij gentium, qui coluntur in Mundo, dij non sunt, nec possunt ad esse suis in necessitatibus. Et vt hanc certitudinem inuictam exprimat, insultando erumpit, dicens: *Quoniam quis Deus præter Dominum?* quasi dicat: Detur aliquis vel in cœlo, vel in terra, qui sit verus Deus. Quis autem dari poterit, nisi Dominus? Ergo solus ille est, qui suis, in se sperantibus, clypeus esse possit.

OBSER. *Deus? integra via eius.*] Considerandum hîc est, quanta sit integritatis laus, quòd hanc Propheta de Deo tantopere prædicat. Poterat illius extollere potentiam omnibus modis infinitam, vel encomion incomparabilis illius proferre sapientiæ. Verùm maluit in Deo suo commendare, quòd via eius sit integra. Itaq; satis declarat, plus habere miraculi coram sanctis Dei, quòd certo experimento cognoscunt eum esse integrum, quàm quòd & omnipotens est, & sapientissimus. Vtinam gloria hęc integritatis locum haberet apud huius seculi principes, qui magis potentiæ & opum, quàm integritatis encomio delectantur. Deinde & illud obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, *Deus integer est*: sed, *Integra via eius*. Via Dei, cursus est actionum, & moderationis eius qua cuncta gubernat & disponit. Hanc dicit esse *integram*, vtpote de integritate illius certis experimentis instructus. Sic itaq; comparatum est, vt qui corde est integro, viam quoq; integram habeat: id est, omnia candidè & integrè faciat. *Vers. 30.*

Eloquium Domini igne probatum.] Obserua hîc, quòd non simpliciter dicit, *Eloquium Domini verum est ac certum*: sed, *Eloquium Domini igne probatum*. Non solùm hoc de verbo Domini prædicat quòd in se sit verum ac firmum, sed quòd tale etiam esse comprobatum sit. Argentum etiam antequam igne probetur, argentum est: verùm certitudo illius tum demum habetur, quando probatum fuerit. Huc pertinent omnia illa experimenta eloquij Dei, quàm sit certum ac verum, quæ in sacris literis proponitur. Quæ præterea sunt hoc loco consideranda, vide suprà Psal. 12. vers. 6.

Clypeus est omnibus in se sperantibus.] De hac particula vide Psalmo præcedenti, versu. 7. ibi: *Seruator sperantium*, &c. Multos quidem habent in hoc Mundo inimicos & hostes, qui spe firma pendent à Domino, illumq; ex animo colunt. Verùm iuxtà & scutum habent, quo conseruantur. Putant se filij huius seculi bene securos sub protectione & scuto principum: quibus tamen virtus seruandi non est. Scutum Dei valet contra vim principum: at scutum principum non valet contra manum Dei.

OBSER. *Quoniam quis Deus, præter Dominum?*] Obseruandum est hoc versu argumentum Prophetæ, quo A
Vers. 31. contendit Deum esse scutum omniũ in se sperantium, ex eo quòd non sit alius Deus præter ipsum. In quo sunt ista consideranda. 1. Primùm, omnium seruandi ac protegendi potentiam solius esse Dei, & non eorum qui dij non sunt. Qui Deus non est, scutum in se sperantium esse non potest. 2. Deinde, in hunc solum esse sperandum. Stultissimum est sperare in eos, qui vt dij non sunt, ita & seruare non possunt. 3. Tertiò, esse Deum patrem firmam ac immotam omnibus ipsi innitentib. Et è contrà baculum esse arundineum, omnes eos, quibus cùm dij non sint, humana cæcitas, vanitas, & temeritas innititur. Et hæc non modò cognoscenda sunt, & credenda de Deo nostro, sed & exemplo Prophetæ huius ex animo ad gloriam illius decantanda.

32. Deus est, qui præcinxit me virtute ⌣, & posuit expeditam viam meam.

33. Coæquauit pedes meos ceruis, & super excelsa mea statuit me ⌣.

34. Instruxit manus meas ad prælium: & dedit vt confregerim arcum æreum brachijs meis.

35. Et dedisti mihi clypeum salutis tuæ, & dextera tua suffulsit me ⌣: & mansuetudo tua auxit me ⌣.

36. Dilatasti gressus meos subtus me ⌣, & non sunt moti tali mei.

37. Persequutus sum inimicos meos, & comprehendi illos: nec reuersus sum, donec consumpserim eos.

38. Confregi illos, nec poterant stare: ceciderunt subtus pedes meos.

39. Et præcinxisti me virtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me.

40. Et inimicorum meorum dedisti mihi ceruicem: & odientes me disperdisti.

41. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum: nec exaudiuit eos.

42. Contudi eos velut puluerẽ ante faciẽ venti: sicut lutum platearũ cõminui eos.

LECTIO. *Et posuit expeditam viam meam.*] Ebr. ויתן תמים דרכי Græcus καὶ ἔστρωσε ἄμωμον τὴν ὁδόν μου. Vulgata
Vers. 32. Latina: *Et posuit immaculatam viam meam.* Sic legit & Hier. & Felix Prat. Chald. ומתרין שלים ארחי: id est, *statuisti perfectam viam meam.* Iustinianus: *Et dedit perfectam viam meam.* Sic & Pagn. & Munster. Tigurina & Felinus: *Et viam meam expeditam facit.* Zuinglius: *Et viam meam integram seruat.* 2. Sam. 22. legitur ad hunc modum: וישר תמים דרכי: id est, *Et aperuit integram vel expeditam viam meam.*

Vers. 33. *Coæquauit pedes meos ceruis.*] Ebræ. משוה רגלי כאילות. Græcus: καὶ παρατιθέμενος τοὺς πόδας μου ὡσεὶ ἐλάφου. Vulgata Latina: *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Hieron. & Iustin. *Coæquans pedes meos ceruis.* Pagninus in futuro legit: *Ponet pedes meos, sicut ceruarum.* B

Et super excelsa mea statuit me.] Ebr. ועל במותי. Arabs, Græc. & Vulg. Lat. simpliciter legunt: *Super excelsa statuens me:* sicut & Hieron. Chald. verò pronominis adiunctionem secundũ Ebræam lectionem seruauit, sic vertens: ועל בית תוקפי יקימיגני: id est, *Et in domo fortitudinis meæ statuet me.* Recentiores quoq;, dempto Felino & Zuinglio, verterunt: *Super excelsa mea.*

Vers. 34. *Et dedit vt confregerim arcum æreum brachijs meis.*] Ebr. נחתה קשת נחושה זרועתי: id est, *Et confractus est arcus æneus brachijs meis.* Græcus sic: καὶ ἔθου τόξον χαλκοῦν τοὺς βραχίονάς μου. Vulg. Lat. *Et posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Et Chald. *Et corroborans velut arcum æreum brachium meum.* Hieron. *Et componens quasi arcum æreum brachia mea.* Recentiores verò communiter Ebraicæ lectionis sensum exprimunt.

Vers. 35. *Et dedisti mihi clypeum salutis tuæ.* Ebr. est ישעך: id est, *salutis tuæ:* sicut & Vulgata Lat. & Hieron. & recentiores legunt. Chal. verò & Græc. pronomen adiectum non expresserunt.

Et dextera tua suffulsit me.] Ebr. est, תסעדני: id est, *Sustentauit me.* Græc. ἀντελάβετό μου: id est, *Adiuuit me.* Sic & Arabs. Vulg. Lat. *Suscepit me.* Hieron. verò, & recentiores, sensum Ebrææ vocis seruarunt.

Et mansuetudo tua auxit me. [Ebr. וענותך תרבני. Græc. καὶ ἡ παιδεία σου ἀνόρθωσέ με εἰς τέλος: id est, *Et disciplina tua correxit me in finem:* sicut & vulgata Lat. habet. Illud: *In finem,* non est in Ebræo, sicuti nec sequens particula: quæ in Græco est ad hunc modum: καὶ ἡ παίδευσίς σου αὕτη με διδάξει. & in vulgata Lat. *Et disciplina tua ipsa me docebit:* quam lectionem & Arabs posuit. Hieron. verò, & recentiores, cum nostra versione consentiunt.

Et non sunt moti tali mei.] Ebr. ולא מעדו קרסלי. vocatur autem קרסל *iunctura tibiæ* ac *pedis*, & *vertebra.* Hieron. *Et non deficient tali mei.* Felix: *Et non sunt lapsi malleoli mei.* Iustinian. *Calcanea mea.* Pagninus: *Crura mea.* Græc. vul. Lat. & Munster. *Vestigia mea.*

Persequutus sum, &c.] 2. Sam. 22. sic: ארדפה איבי ואשמידם: id est, *Persequutus sum hostes meos, & deleui eos.*

Vers. 38. *Nec poterant stare.*] Ebr. ולא יוכלו קום dictionem קום per verbum *surgendi* reddiderunt Hieronymus, Iustinianus, Pagninus, Felix Prat. Tigurina versio, Zuinglius & Munsterus. Verùm commodius visum est cum Græco & vulg. Lat. reddere: *Nec poterant stare,* vel *consistere:* maximè cùm id Ebręæ vocis significatio ferat sicut & suprà Psal. 1. לא יקימו: id est, *Et non stabunt:* vel, *Et non consistent.* 2. Sam. 22. sic: ואכלם ואמחצם ולא יקומון: id est, *Et consumpsi eos, & perfodi eos, non steterunt,* vel, *non surgent.*

Vers. 40. *Et inimicorum meorum dedisti mihi ceruicem.*] Sic reddidit & Pagninus. Reliqui ferè omnes Ebręam vocem עורף *dorsum* reddiderunt. Græcus sic: καὶ τοὺς ἐχθρούς μου ἔδωκάς μοι νῶτον. Et Vulg. Lat. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum:* sicut & Hieron.

Vers. 41. *Clamauerunt.*] Quod hîc est ישועו, 2. Sam. 22. est ישעו, quod aliqui reddunt, *Circumspexerunt.*

Reliqua

A Reliqua conueniunt: nisi quod 2. Sam. 22. vers. 24. sic legitur: Contudi eos velut puluerem terræ, sicut lutum platearum comminui eos, attriui eos.

Vndecim hisce versibus ea fusiùs exponit Propheta, quæ versu 29. summatim de rerum suarum successu cecinit, quo fuerat ad id vsq; temporis in motibus bellicis aduersum hostes vsus. Primis quinq; ad 37. vsque deprædicat, quomodo varijs virtutibus ad bella gerenda necessarijs diuinitùs fuerit instructus ac munitus. EXPLANATIO.

Deus est, qui præcinxt me virtute, &c.] Prædicat hoc versu animi fortis & infracti virtutem, qua cœlitùs aduersum hostes præditus fuerat: qua nimirum opus habent, quibus bellandum est fortiter ac feliciter. Nihil enim hic efficit animus fractus, tener ac mollis, qui non modò impetum hostilẽ ferre non poterit, sed solo irruentium hostium rumore terretur & deijcitur: adeoq; non sibi tantùm inutilis est in rebus bellicis, sed & aliorum animos frangit. Vnde & Deut. 20. Duces belli ad populum clamare iubentur: Quis est homo formidolosus, & corde pauido, vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. *Vers.* 32.

Et posuit expeditam viam meam.] Canit his verbis, quàm inoffenso victoriæ successu fuerit potius. id quod per metaphoram viæ expeditæ exprimit: quòd & ipsum summopere ad consequendam victoriam facit, quæ ægerrimà obtinetur, nisi cuncta expedito quodam ac veluti vltroneo rerum cursu prosperè succedant. Itaq; nec illi quicquam hîc agunt, quibus omnia retrocedunt, & longè aliter cadunt quàm instituerant: nec vllus ventus flat prosperè, sed sinistrè cuncta accidunt, etiamsi sint fortes ac robusti.

Coæquauit pedes meos ceruis.] Canit hoc versu, insignem sibi & eximiam fuisse concessam à Deo pedum velocitatem, non ad fugiendum, sed ad quæuis hostium excelsa superandum. Propter hanc virtutem laudantur, qui de tribu Gad, ad Dauidem exulem confugerant. de quibus 1. Par. 12. scribitur, quòd pedibus veloces fuerint, perinde atq; capreæ in montibus. *Vers.* 33.

Instruxit manus meas ad prælium.] Commemorat hoc versu, qua fuerit bellandi, ac confligendi dexteritate & robore brachiorum præditus. Pertinent ista singulariter ad eum qui militiæ ac dimicationibus deputatur. Atque hinc est, quòd sacra Scriptura Domino Deo exercituum brachium robustum & dexteram inuictam tribuit: per anthropopathiam de diuina virtute loquens, qua conteruntur impij, proteguntur pij & adflicti. *Vers.* 34.

Et dedisti mihi clypeum salutis tuæ.] Canit his verbis, adfuisse sibi diuinam protectionem, in bellis summopere necessariam, vbi se clypeo Dei munitum, ac dextera illius sustentatum, hostibusque superiorem factum esse commemorat. Vtvt enim animo forti, pedibus velocibus, brachio robusto, manuumq; dexteritate præditus sit miles, nisi diuinitùs quasi fideli ac firmo quodam scuto protegatur, fieri nequit, vt non tandem prosternatur & cadat. Illud: *Et mansuetudo tua auxit me*: idem est ac si dicat, Et benignitas tua sic mihi adfuit, vt me indies magis atque magis prouexerit, & res meas, vires ac potentiam conspicuis incrementis ampliauerit. *Vide Psal. 144. vbi eadem commemorat.* *Vers.* 35. B

Dilatasti gressus meos, &c.] Rursus commemorat, qua fuerit vsus bellandi prosperitate, & quo rerũ successu potitus, id quod per metaphoricam viæ latitudinem, & gressuum expeditionem significat. *Vers.* 36.

Persequutus sum inimicos meos, &c.] Iam incipit per ipsum effectum declarare, quæ versibus quinque præcedentibus cecinit. Ostendit enim, quàm sit donis à Deo acceptis, quorum hactenus mentionem fecit, fideliter ac prosperè ad gloriam nominis Dei, & liberationem populi sibi commissi vsus. Canit itaq; versibus istis de victorijs, quas ope diuina adiutus, ab hostibus Philistæis, Ammonitis, Moabitis, Syris, ac reliquis retulit: quarum mentionem historiæ sacræ faciũt, sicuti videre est 2. Sam. 5. 8. 10. 12. Non canit autem simpliciter, quòd hostes suos deuicerit, sed vt gratiam Dei, qua fuerat vsus, amplificet, hypotyposi quadam rem ipsam velut ob oculos exponit, & magna animi iucunditate rememorat, dicens: *Persequutus sum inimicos meos*, (notat illorum fugam) *comprehendi illos*, &c. Huc & 42. versus referendus est. Nam 39. & 40. studio celebrandæ gloriæ Dei inserti sunt. *Vers.* 37. & 38.

Et præcinxisti me virtute ad bellum, &c.] Duobus hisce versibus rursus omnem victoriarum gloriam diuinæ virtuti adscribit, ne sibi ipsi quicquam ex gestis rebus ex eo tribuere videatur, quod præcedentibus versibus cecinit persequutum se comprehendisse, cæcidisse, strauisse, & pedibus suis subiecisse hostes suos. Ob eam causam mox subiungit: *Tu me virtute bellica præcinxisti*, tu vires illas tribuisti tu dedisti vt hostes persequi, comprehendere, cædere, prosternere, ac pedibus meis subijcere potuerim. Tua est omnis hæc gloria, non mea. *Vers.* 39. & 40.

Clamauerunt, &c.] Canit hoc versu de ira Dei aduersum impios hostes, quæ vsqueadeò propter ipsorum scelera ad vindictam iam matura exarserit, vt ne clamantibus quidem ad se parcere sustinuerit: imò nihil prorsus responderit: hoc est, nullam misericordiæ significationem dederit. Poterit etiam ex his verbis intelligi, quanta fuerit plaga & clades impiorum, qua per Dauidem sunt percussi. Tanta nimirum, vt ad Dominum clamare coacti sint: id quod ab impijs plerunque, reb. omnibus desperatis, demum fieri solet. Sic 1. Samuel. 8. cùm populo Samuel extremam ac desperatam calamitatem prædicere vellet, dixit: Et in die illo clamabis ad Dominum à facie regis, & non exaudiet, &c. *Vers.* 41.

Contudi eos, &c.] Tale quid legitur 2. Sam. 12. in calce capitis. Vide locum ipsum.

Deus est qui præcinxit me.] Principiò inspiciendum est hoc Dauidis exemplum, propter eos qui inter magistratus pij esse, & rerum habenas feliciter moderari cupiunt. Cùm hic Dauid ordinatione diuina rex esset & pastor constitutus populi Israëlitici, miserè adflicti ac pressi, innumerisq; impiorum insidijs obnoxij, essentq; illi necessariò cum hostibus gerenda bella: factum est diuina prouidentia, vt quicquid ad eam rem neeessariò requirebatur, haudquaquam deesset futuro seruato ac liberatori. Admonentur igitur hoc exemplo, quotquot in populo Dei publicis magistratuum fun- *Vers.* 42. OBSER. *Vers.* 32. 33. 34. 35. & 36.

ctionibus

ctionibus præficiuntur, vt quæ ad exequutionem illarum necessaria sunt, à Domino sperent & petant: nec dubitent illum conatibus iustis ac pijs adfuturum, modò integro corde ad exemplum Dauidis cuncta in illius conspectu gerere & obire studeant. A

Deinde non magistratus modò, sed & cuncti fideles habent hoc loco quod obseruent: nempe, non esse nobis dubitandum de prouidentia Dei, daturam illam omnia ad salutem nostram necessaria, si nos liberare constituerit. Liberaturus Deus populum suum de manu Saulis, & omnium reliquorum hostium, puerum elegit, etiam in ædibus paternis neglectum: illumque sic instruxit, ornauit & muniuit, vt omnis generis virtutibus, zelo videlicet & amore domus Dei, animo forti & infracto, ac rerum gerendarum felici successu ac dexteritate cumulatus, ad id muneris, cui destinabatur, omnium esset appositissimus. Ad eum modum cùm populum suum ex Ægypto liberare vellet, Mosen excitabat, & Aaronem: introducturus eum in terram Cenaan, Iehosua, ad eam rem instructũ reddebat: deniq; liberaturus suos de manu hostium ac tyrannorũ, dabat illis Gideonem, Baracum, Simsonem, Iepte, &c. Huiusmodi prouidentiam Dei credamus nec nobis defuturam, si humiles ac resipiscentes in conspectu illius apparuerimus, ac misericordiam illius erga nos prouocauerimus.

Tertiò, videmus etiam hoc loco, animi fortitudinem, & militarem dexteritatem ac successum, cum reliquis virtutibus ad gerenda bella necessarijs, esse dona Dei præcipua & eximia. Vnde non hoc tantùm Psalmo Propheta, sed & infrà 144. Deum ob id laudat, quòd manus suas ad bellum rediderat instructas. Et Esa. 3. videre est, quomodo irascente Deo tollatur è medio vir fortis & bellator, & effœminati substituantur. Liquet igitur, ad ministrationem bellorum non esse connumerandam inter ea quæ simpliciter sunt impia. Simpliciter impium est, non esse Deo morigerum: rursus pium, in omnibus illi sponte & ex animo obedire. Bellorum verò administratio talis est, vt fide possit geri à sanctis: sicuti videre est Ebr. 11. Loquor autem de bellis, qualia gessit Dauid aduersum hostes Dei, ad asserendam diuini nominis gloriam, & defendendum contra impios populum Dei. Qualia inter Christianos, & à Christianis, aliquot seculis gesta sint bella, & hodie quoq; gerantur, quid attinet referre? cùm omnia plus quàm ethnica impietate & crudelitate pro libidine Imperatorum, regum, principum ac magnatum, sine vllo æqui ac iusti respectu gerantur? Vnde haudquaquam præter meritum accidit, quòd dum bellum instituitur, & ad conflictum colluuies hominum deploratorum committitur, nulla prorsus habetur diuini auxilij ratio. Sic enim sine timore Dei ad bella gerenda rapiuntur impij, vt teste ipsorum conscientia, nihil opis diuinæ sperare queant. Ideo nunc omnia viribus humanis institui ac præsumi videmus. Adijciam hoc, tanquam propriè ad Christianos spectans. Gerendum nobis bellum est aduersum Satanam, & quoscunque spiritus immundos. Opus est viribus, & armatura bellica. Vnde debeant ista, & qualia peti, vide Eph. 6.

OBSER. *Vers.* 37. 38. & 42.

Persequutus sum inimicos meos.] Perspicuum est, Dauidem tribus hisce versibus. 37. 38. & 42. haud obitur memorare, sed cum quadam animi iucunditate canere, quomodo hostes suos persequutus sit, comprehenderit, cæciderit, sub pedes suos strauerit, & sicut puluerem terræ ac lutum platearum contriuerit: vt palàm sit non modò vsum esse eum ingenti feruore in proterendis hostibus, sed & eam hostium cladem cum quadam animi voluptate tanquam rem iucundam ac delectabilẽ referre ac commemorare. Oritur itaque quæstio, quomodo sancti non solùm perpetrare talia, sed & olim perpetrata cum eiusmodi delectatione cantando possint commemorare, cùm sint & humanissimi, & à cæde cruenta admodum abhorrentes? Respondendum est, sanctos ac pios dum huiusmodi feruore opprimunt impios, & de illorum oppressione cum gaudio exultant, non agere priuatam ac suam ipsorum, sed cumprimis diuinæ gloriæ, deinde & populi Dei causam: ob quam eos qui gloriæ Dei resistunt, & populum piorum opprimunt, odio persequuntur omnium infensissimo, cùm aliàs in suis ipsorum causis sint omnium mitissimi, malorumq; tolerantissimi. Sic infrà Psalm. 139. Propheta dicit: Qui oderunt te Domine, odi, & contra inimicos tuos tabesco. Perfecto odio odi illos, inimici facti sunt mihi. Quæ ipsum verò priuatim concernebant, quamuis dura & iniqua, summa cum patientia pertulit: id quod in causa Saulis sic manifestum reddidit, vt & ipsi Sauli fuerit miraculo, 1. Samuelis 24. Est itaque præposteræ patientiæ & clementiæ genus, dum ea patienter feruntur, quæ gloriæ Dei ac populi illius saluti incommodant: priuata verò iniuria ad vltionem & vindictam excitat. Saul parcendo regi Amalechitarum; Achab dimittendo Benadab regem Syriæ; iram Dei aduersum se prouocarunt. Succensebat Elizæus regi Ioas, quòd tribus duntaxat vicibus percussurus esset Syros, & non prorsus deleturus. Videmus hoc in sacris Scripturis, eos potissimùm qui pietatis laude inclaruerunt, aduersum impios Dei hostes, & populi sanctorum oppressores, omnium fuisse acerrimos: quales extiterunt Moses, Iehosua, Barac, Gideon, Samuel, Dauid, Ezechias, & Iosias. Zelum hunc peperit illis eximia illa dilectio, qua erga Deum suum afficiebantur. B

1. *Sam.* 15. 1. *Reg.* 20. 2. *Reg.* 13.

Deinde & hoc fuerit obseruandum. Si sancti possunt esse persequutores & oppressores impiorum: erga non est putandum, mox bonam & iustam habere causam eos qui persequutione premũtur: malam verò eos, qui persequutionem inferunt. Alioqui damnaremus hic Dauidem persequutorem, & iustificaremus impios, quos ille persequutus est, & internecioni dedit. Ideo rectè Christus non simpliciter dixit: Beati qui persequutionem patiuntur; sed adiecit: Propter iustitiam. Sicui libet videat hac de re Epistolam Augustini ad Bonifacium scriptam.

OBSER. *Vers.* 39. & 40.

Et præcinxisti me virtute ad bellum, &c.] Obseruandum est in genere in his duob. versibus, quàm debeamus omnem omnium factorum nostrorum gloriam non nostris viribus, quamuis à Deo acceptis, sed soli Deo adscribere, qui vires ad perficiendum dedit. Sic Dauid hoc loco, cùm dixisset. *Et præcinxisti me virtute ad bellum*; subsequutus adiecit: *Supplantasti insurgentes in me subtus me: Et inimicorum meorum dedisti mihi ceruicem, & odientes me disperdidisti.* Non dicit, Supplantaui insurgentes in me subtus

A subtus me, cùm tamen ipse eos ope Dei adiutus suppressisset: sed totam eius rei gloriam Deo tribuit. Haud quaquam mirum est, si tales viri per gratiam ac virtutem Dei multa possunt ac perficiunt, quibus id solùm in votis est, vt & faciendo & patiendo gloriam Dei sui, operantis in ipsis, extollant & amplificent.

Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret.] Poterit hîc quæri, quomodo clamantes ad se Deus non ex- OBSER.
» audierit, cum Psal 50. dicat: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te; scriptumq; sit: Omnis qui *Vers.41.*
» inuocauerit nomen Domini, saluus erit? Quod enim ad verum Deum clamauerint illi, quorum hîc Propheta mentionem facit, ex eo liquet, quòd eos ad יהוה clamasse dicit.

Sunt causæ quædam, ob quas clamatores isti à Deo non sunt exauditi: quas considerare ex circumstantijs oportet, quandoquidem ab ipso Propheta non sunt expressæ. Primùm, erant eidolatræ
» & impij. Tales promissio Dei non concernit, qua dicit: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Erant enim maledicti à Deo. Non est itaq; sperandum, vt eidololatræ, quamuis miseri, & præangustia spiritus clamantes, à Deo exaudiantur.

Sed rursus quæri poterit, quomodo יהוה verum & vnicum Deum inuocauerint, cùm essent eidololatræ, ac multorum falsorumq; deorum cultores? Respondendum est ex Apostolo, eidololatras verum Deum agnouisse, & inuocasse, & alios deos haud aliter quàm ad illius honorem coluisse: cui sententiæ, & Augustinus alicubi attipulatur. Credibile etiam est, eidololatras istos primùm deos suos, deinde cùm se extrema periclitari, & frustrà opem à dijs suis expectare cernerent, tandem etiam verum Israëlis Deum inuocasse. Atque hoc ipsum Dauid innuere videtur, cùm primùm dicit: *Clamauerunt, & non erat qui saluos faceret.* Deinde addit: *Ad Dominum, nec exaudiuit eos.* quibus verbis indicat, imploratse eos primùm deorum suorum quos secum habebant in castris auxilium: quo desperato, demum ad Israëlis Deum esse conuersos, sed frustrà. Et vtinam vtraq; ista de illis dici nequeant, qui sibi solis verum Christianismum adscribunt.

Adhæc, nonnulli inter hosce Dauidis hostes iam antea coram Domino fuerant anathemate damnati, quos Israëlitæ terram Cenaan ingressi expellere debuerant, quales erant Philistijm: rursus nonnulli aliàs erant ad hoc Dauidi dati à Deo, vt extinctis partim, partim subactis illis, liberaretur Israël. Reliqui tametsi essent Israëlis cognati, nihilo tamen minus pertinaci prosequebantur eum odio, ac hostium partibus fauebant: vtpote Ammonitæ, Moabitæ, & Idumæi. Cùm ergo decreuisset populum suum Deus ab impiarum istarum gentium liberare malicia & tyrannide, ac vicem illis rependere, mirum non est, quòd extrema periclitantes & clamantes exauditi non sunt. Etenim tum frustrà clamatur ad Dominum, quando consummata iam iniquitate tempus visitationis & iusti
B iudicij aduenit. Vnde Prophetas aliquoties diuinitùs admonitos legimus, ne pro populo pertinaci, & iudicio Dei iam obnoxio, preces vllas funderent, eò quòd exaudiendi non essent. Vide Hier. 7.
» 11. 14. Hinc clamat Esa, cap, 55 Quærite Dominum, dum innueiri potest: inuocate eum, dum propè
» est: derelinquat impius viam suam. Et prouerb. 1: Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam,
» & non respexistis, &c. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam Et Esa. 1. tale quid legimus.

Præterea & illud accessit, quod hostes isti Dauidis tumultuabantur, & insurgebant aduersus Dominũ & Christum eius: vt & hac ratione cùm iudicio Dei ac merita plaga pressi clamarent, exauditi non sint. Neq; enim exaudiri possunt hostes Christi, quantumuis orent & clament. Quod in Dauidis hostibus præcessit, locum habet etiam, imò multò verius valet in ijs qui Christo filio Dei aduersantur. Hæ sunt causæ, propter quas inimici Dauidis, cùm extrema calamitate adobruti ad Dominum clamarent, frustrà non exauditi clamarunt. Videndum igitur omnibus illis, qui clamantes in tribulationibus exaudiri cupiunt à Deo, ne cuipiam ex illis sint obnoxij.

43. Eripuisti me de contentionibus populi, constituisti me in caput gentium: populus quem non cognoui, seruit mihi.

44. Ad auditum auris obediunt mihi: filij alieni mentiti sunt mihi.

45. Filij alieni contabuerunt: & trepidarunt in munitionibus suis.

Ad auditum oris obediunt mihi.] Ebr. לשמע אזן ישמעו לי. Pagninus reddidit: *Congregabunt se mihi.* Felinus: *Mihi collecti sunt.* Reliqui vel *obediendi*, vel *obsequendi* verbum vsurparunt. LECTIO. *Vers.45.*

Filij alieni contabuerunt.] Ebr. יבלו. Græc. ἐπαλαιώθησαν. Vulgata Latin. *Inueterati sunt.* Sic reddidit & *Vers.44.* Hieron. Felix Prat. *Inueteraſcent.* Chald. יסתרעך: id est, *Consumentur.* Iustinianus: *Defluent* Pagninus: *Deficient.* Munsterus: *Deficient.* Tigurina: *Marcessebant.* Zuingliús: *Notis pertæsum est.*

Et trepidarunt in munitionibus suis.] Ebr. וירחרו ממסגרותיהם Græc. καὶ ἐχώλανεν ὁδὸν τρυβίων αὐτῶν. Vulg. Latina: *Et claudicauerunt à semitis suis.* Ad hunc modum & Hieron. vertit. Iustinianus: *Et cingentur à clausuris suis.* Campensis: *Et abdent sese in latibulis suis.* Reliqui recentiores verbum *trepidandi*, vel *timendi*, vel *expauescendi* posuerunt.

Hactenus de victorijs, iam de eo canit, quòd in regem à Deo euectus, & in caput gentium exalta- EXPLA-
tus erat. Versu 34. Deum ob id primùm glorificat, quòd à contentionibus populi ipsius fuerat ope NATIO.
ereptus. Intelligit autem dictione *populi*, populum Israëlem, cui fuerat à Deo rex datus. id quod 2. *Vers.43. 44.*
Sam. 22. patet, vbi non simpliciter עם: id est, *populi*: sed עמי: id est, *populi mei*, legitur. Erat Israël po- 45.
pulus Dauidis, primùm quòd esset ex ipso natus. Sic solemus eam gentem, vnde prognati sumus,
» vocare nostrum populum. Ruth. 1. nurus viduæ Noëmi dicebat: Ibimus tecum ad populum tuum:
» id est, ad Israëlitas. Et Noëmi vicissim ad alteram. En reuersa est cognata tua ad populum suum, va-
» de cum ea. cui illa: Populus tuus, *inquit*, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. Et Ester cap. 7.
» cùm pro se & filijs Israël oraret, dicebat: Dona mihi animam meam pro qua rogo, & populũ meum

pro

pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur & iugulemur. Hoc sen- A
su de Dauide dicebat Achis rex Geth: Multa mala operatur est contra populum suum Israël: erit
igitur mihi seruus sempiternus. Et Pilatus ad Christum: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua, &
Pontifices tui, tradiderunt te mihi: Ioan. 18. Deinde etiam hoc nomine erat Israël populus Dauidis,
quòd esset rex illius à Deo constitutus.

Contentiones huius populi, à quibus se diuinitùs ereptum dicit, primùm Saulis ac satellitum illius, & Zipheorum: deinde & eorum qui fuerint ipsi reluctati post mortem Saulis sub Isphiboseth & Abner: tertiò vniuersi quoque populi insidias intelligit, quibus ab Absalomo filio pulsus impetitus fuerat: ad quas & ea seditio pertinet ac defectio, quæ à Syba filio Bochri excitata fuerat 2. Sam. 20. Has insidias omnes, rebelliones, factiones ac defectiones, contentiones vocat populi sui: canitq; primùm ex illis se solius Dei auxilio ereptum. Non exaggerat quidem eas, dum contentiones, vel rixas appellat: haud tamen obscurè significat, fuisse eas tam acerbas & atroces, vt pereundum sibi fuerit nisi cœlesti fuisset auxilio seruatus. Non est autem simpliciter intelligendum, quòd se dicit à contentionibus populi sui ereptum, & quòd auxilio diuino in vita sit, ne occideretur, conseruatus: sed quòd regnum ipsi sit supra Israëlem, repulsis omnibus aduersariorum conatibus, plenum ac firmum assertum.

Sic Christus dicturus est: Nunquã nouit vos: id est, nũquam vos pro meis habui.

Deinde addit de exuberantia illa diuinæ virtutis erga se declarata, qua non modò supra Israëlẽ, sed & vicinas alias gentes exaltatus erat. Hanc extollit tribus hisce versibus: *Constituisti me*, inquit, *in caput gentium*, &c. Erat enim reuera vehementi admiratione dignum, quòd is quem populus Israël eiecerat, ad mortem quæsierat, & mille modis opprimere sategerat, nõ modò Israëlis, sed & reliquarum & alienarum gentium rex fuerat affectus. vt hanc virtutem Dei extollat, subijcit: *Populus quem non cognoui*: id est, quem non pro meo populo reputabam olim, cuius tanquam alieni ab Israële nullam rationem habui, *is iam seruit mihi*: id est, agnoscit me Dominum ac regem suum. Intelligit autem Idumæos Ammonitas, Moabitas, Philistæos, & Syros, quos omnes dominio suo subiecerat.

Vers. 44.

Ad auditum auris obediunt mihi.] Vt populi sui peruicaciam & obstinationem notet, promptam gentium obedientiam commendat, dicens: *Ad auditum auris obediunt mihi.* Nihil aliud hac loquutione significat, quàm alacrem & promptam gentium obedientiam, qua sine vlla contradictione imperatà faciebant, perinde atque seruulus ad vocem heri sui & accipiendam & exequendam indefinenter paratus. Sunt qui aliter legant & exponant. Verùm hic mihi sensus & simplicior videtur, & menti Prophetæ accommodatior.

Filij alieni mentiti sunt mihi.] Quæ hoc 44. & sequenti 45. versu dicuntur, haud concorditer exponuntur. Alij intelligunt ea de gentibus extraneis, quas iam populum sibi incognitum vocauit: vt ijdem sint populus ignotus, & filij aleni. Hoc sensu, *mentiri filios alenos*, idem est quòd seruiliter ac B
simulatè, præter animi sententiam, fieri supplicem & obaudientem: sicut fieri consueuit, quando victoribus, ij qui violenter subacti sunt, humillimam foris obedientiam, non modò seruiendi, sed & muneribus & assentationibus, non ex animo, sed per hypocrisim offerunt. Vnde est quòd Scriptura hac loquutione ad hoc vtitur, vt omnimodam & coactam subiectionem exprimat. Vide Psalm. 66. 81. & Deuter. 33. Alij verò *per filios alienos* populum Israëlis intelligunt. Vt Israëlitæ fuerint quidem filij regni, sicuti & à Christo vocantur, verùm alieni, propter inobedientiam & rebellionem: quemadmodum etiam à Hieremia c. 2. aliena vitis tametsi à Deo plantata, vocantur. Et hic mihi sensus arridet. Apparet enim. Prophetam per collationem Israëlis & exterarum gentium, virtutem Dei in eo commendare voluisse, quòd licet à suo populo reiectus esset, nihil tamen minus vsque adeò contra rebelles diuinitùs adiutus fuerit, vt non modò suæ gentis, sed & exterarum factus esset rex & caput. Seruit etiam hic sensus mysterio regni Christi cuius typus in regno Dauidis præcessit. Quod itaque dicit, *Filij alieni mentiti sunt mihi*: idem est atque, Populus meus non respondit spei meæ, quam de illo conceperam: corde fuit erga me falso & perfido, gesserunt se non tanquam genuinos, sed tanquam alienos regni filios.

Vers. 45.

Filij alieni contabuerunt.] Notat hoc versu pertinacis ac degeneris populi primùm inuidiam, quam erga successum regni sui corde fouebat: deinde & metum, quo sibi propter maliciæ suæ ac perfidiæ conscientiam ab illo plurimùm metuebant. Perstringit itaq; eos potissimùm, qui primores fuerant sub Saule, & præ alij aduersum se insanierant. Horum corda & inuidebant rebus prosperis huius regis & ab illo sibi metuebant, conscia eorum quæ aduersus ipsum gesserant. Hanc inuidiam verbo *contabescendi*, & metum illum quo tenebantur degeneres regni filij, verbo *trepidandi* Propheta expressit.

Quid verò per מסגריה: id est, *clausuras*, vel *munitiones*, vel *custodias* intelligat Propheta, cùm filios alienos expauisse in munitionibus suis canit, obscurius est quàm vt certò possit exponi. Si legas, *Et trepidarunt à clausuris*, vel *conclusionibus*: siue, vt Pagninus habet, *à carceribus suis*: intelligendum videbitur de carceribus, quibus se vel conclusos iudicarunt, vel concludendos metuerunt, videntes Dauidem à se tanta pertinacia reprobatum, in regnum plenum ac firmum diuinitùs extolli. Si legerimus, *Et expauerunt*, vel *trepidarunt in munitionibus suis*: fortè intelligendum est loqui Dauidem de munitionib. illis, quas sibi primores regni ac magnates regno ipsius inuidentes pro consuetudine seculi in terra Israëlis extruxerant. Sed nihil affirmo. Scio quò alij spectent: verùm nolim temerè quicquam in re obscura affirmare.

OBSER. *Vers.* 43. 44. 45.

Eripuisti me de contentionibus populi.] Considerandi sunt hi tres versus bifariam. Primùm, quod magistratus concernit, quibus imago quædam in Dauide præsenti loco proponitur. Deinde, quod regnum Christi attinet

1. Princi-

A 1. Principiò, pius magistratus obseruet hoc loco, quam sortem expectare debeat in hoc seculo, si cuncta ad diuini nominis gloriam & populi concrediti salutem, sicuti conuenit, instituere & exequi voluerit. Pius hic rex, cùm ex animo gloriam Dei & commoda populi quæreret, quid vicissim ab hoc ingrato populo reportauit? Contentiones scilicet, easq; tam graues & pertinaces, vt necesse habuerit diuinitùs ex illis eripi. *Eripuisti me*, inquit, *de contentionibus populi mei*. Sic mala pro bonis accepit. Eandem sortem & Mosi & Samueli obtigisse legimus. Qui Ethnicorum historias legunt, cõsimilia magnos viros & patriæ patres passos esse vident. Huius admonendi sunt principes, magistratus ac seniores populi, non vt animum despondeant: sed, vt exempla sanctorum respicientes, munera sua inoffenso gradu obeant: nec se populi ingratitudine absterreri sinant: sed cogitent, non deberi sibi meliorem sortem quàm Mosi, Samueli, Dauidi, &c. *Eripuisti me de contentionibus populi.*

2. Deinde & illud obseruandum est, quòd dicit: *Constituisti me in caput gentium*. Agnoscit pientissimus rex, honoris sui authorẽ Deum: à quo se regem constitutum esse dicit. Tribuit ergo Deo hãc gloriam, quòd ipse reges constituat. & quoniam non dicit, *Constituisti me in caput Israëlis*, quòd tamẽ & ipsum verum erat: sed, *Constituisti me in caput gentium*: admonemur, Deum esse qui etiam in gentibus prouidentiam suam exerceat, & gentium regna disponat ac mutet. Hæc consideratio plurimùm seruit & principibus & subditis. Principibus, vt dum sciunt à Deo in id esse honoris exaltatos, in omnibus illi sese subijciant, agnoscentes se illius esse ministros. Locum hîc non habent, qui à Deo non sunt ordinati, sed porpria temeritate regnant. de quibus per Prophetam Deus queritur dicẽs: » Ipsi regnarunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Subditis ad hoc valet ista cõsideratio, vt fide diuinæ prouidentię obediant magistratibus & eam obedientiam non hominibus, sed ipsi Deo exhiberi sciant: essęq; illam non arbitrariam, sed debitam. *Constituisti me in caput gentium.*

3. Tertiò: *Populus, inquit, quem non cognoui, seruit mihi.*] Cogitandum hîc est, de admirabili dispositione Dei, qua subinde fit, vt dum cognati, gentiles, & noti prorsus reluctantur, & in hostes mutantur: alieni & extranei benignè accipiant, & humanitatis officia exhibeant. Sic accidit Dauidi, quem suus populus auersabatur, & contentionibus irremissis fagitabat: alienus verò, quem antea non cognouerat, promptissima obedientia complectebatur ac suspiciebat. Fugatus Dauid à suis, apud gentem alienam inueniebat vbi quiesceret. Sic Ioseph & Maria cum puero Iesu è terra Israëlis profligati, locum manendi inueniunt in Ægypto. Diuinitùs ista geruntur, nec cœlesti sine numine fiunt. *Populus quẽ non cognoui, seruit mihi.*

4 Quartò. *Ad auditum auris obediunt mihi.*] Obseruandum est hîc exemplum rectæ obedientiæ, cuius hæ sunt partes. Primum est, attentum esse ad vocem iubentis ac præcipientis. Vera obediẽtia non est, quę non audit, & ad vocem præcipientis sese accommodat sed suopte arbitratu deligit, in quibus seruire se simulet potiùs, quàm seruiat. Vera obedientia requirit verbum cui obediatur. B Deinde requiritur, vt absit omnis tergiuersatio & cunctatio: adsit verò obsequendi & optemperandi alacritas & prõptitudo. Vtrunq; expressum est hisce verbis, cùm dicit Propheta: *Ad auditum auris obediunt mihi.* *Ad auditum auris obediunt mihi.*

Simul & illud considerandum est cùm dixisset: *Populus, quem non cognoui, seruit mihi*: cõfestim subdit: *Ad auditum auris obediunt mihi*. Pulchrè innuitur, quid sit verè ac ritè seruire: & quæ sit vera & inculpabilis seruitus. quod obseruandum est hoc præsertim nostro seculo, in quo plures sunt qui de seruitute Dei contendant, quàm Deo verè ac ritè seruiant. Seruire Deo, est obedire voci eius; & ad auris auditum animo esse parato & prompto. Seruire Deo, est aurum ad audiendum verbum præcipientis Dei, mentem ad intelligendum, cor & animum ad consentiendum, omnes corporis vires ad exequendum & obediendum adhibere. Quapropter, vbi non est obedientia ista ad auditum auris accommodata, non poterit dici, quòd Deo ritè seruiatur.

5. Quintò. *Filij alieni mentiti sunt mihi.*] Primùm obseruandum est duplicis generis esse in populo ac regno Dei filios: veros videlicet, & falsos, quos hîc Spiritus sanctus vocat *alienos*. Erant illi, de quibus Propheta queritur, nõ alieni carne ac sanguine à veris regni filijs, sed mente ac spiritu. Horum משובה est, vt secundum Christi sententiam foràs eijciantur. Viderint hîc, qui se gloriantur esse Ecclesiæ filios. Haud quaquam satis est, externo conuictu & sacramento tenus duntaxat accẽseri Ecclesiæ Christi, nisi simus mente ac spiritu de veris fidelibus & Ecclesiæ filijs. *Filij alieni mentiti sunt mihi.*

Illud quoq; expendendum est, quale sit hoc regnum in quo ciues filiorum loco habentur. Amplissima est hæc gratia, qua regno Dei asciti, in ius filiorum assumimur. Quid aliud proponitur, quàm regnum hoc, esse regnum patris in filios longè diuersum à regnis huius Mundi, in quibus subditi vix seruorum habentur loco? Hanc gratiam & gloriam susq; deq; facere, & ab illius sese cõsortio alienum reddere, quis non videt quàm sit æterno exitio dignum?

Deinde in eo quòd dicit: *Mentiti sunt mihi*: duorum admonemur. Primùm non esse verorum filiorum, sed alienorum, mentiri: hoc est fallere, & non respondere gratię Dei, per quã in gloriam filiorum assumimur. Ergo verorũ filiorum est, exprimere veritatem spiritus, mentis, & cordis: & ostẽdere reipsa, quòd sint veri filij: id quod sine regeneratione fieri nequit. Quotquot igitur in regno Christi carnales, & huius seculi filij veris & electis admixti sunt, mendaces sunt, & plerunq; hypocritæ, adeoq; non Dei, sed satanæ regni filij: in regno Dei alieni, in regno satanæ veri filij. Deinde, cùm non simpliciter dicit, *Mentiri*: sed, *Mentiti sunt mihi*: satis ostendit, veritatem se quęsisse à subditis, inuenisse verò mendacium in filijs alienis: idq; ipsum habere pessimè. Ad hoc exemplum animati sunt omnes pij cùm magistratus, tùm verbi ministri. Cooperatores Dei sunt in regno illius: plãtant & rigant, & fructum quærunt à subditis. Vbi verò spe sua frustrantur, non possunt non cognoscere alienos filios, deq; illorum degeneratione & malicia conqueri.

Filij alieni cõtabuerunt, & trepidarunt, &c.

6. Sextò. *Filij alieni contabuerunt, & trepidarunt,* &c.] Habemus hîc exemplum malæ conscientiæ, qualis eorum est, qui corde sunt erga seruos Dei prauo & peruerso. Vt illi exhilarantur, dum pios magistratus opprimi & adfligi cernunt: ita rursus contristantur, contabescunt ac trepidant, dum illos prospero rerum successu potiri, & potestatem plenam & inoffensam in malos obtinere vident. Bona conscientia gaudium ac securitatem in bonis & veris regni Dei filijs, in alienis verò mala cõscientia cor tabescens & trepidans gignit.

DE REGNO CHRISTI.

Alteram præsentis loci cõsiderationem de regno Christi esse diximus. Respiciunt haud immeritò non veteres modò sed & recẽtiores in Christum. Est enim homini Christiano admodum iucundum, ex huiusmodi typis, quales in Dauide multi præcesserunt, Christi contueri veritatem.

1. Principiò, sicut Dauidi datum erat à Deo, vt non Israëlis duntaxat: sed & gentium rex fieret & caput: sic, imò verius multo ac plenius Christo datum est à patre, vt rex sit supra Sion mõtem sanctum, & super reliquas gentes, vsq; ad fines terræ: suprà Psal. 2. & Esa. 49.

2. Deinde, quemadmodum Dauidi populus Israël sub Saule, sub Absalamo, & sub Siba cõtentiosè restitit: sic Christo idem populus sub Caiapha, Herode, Pilato, & reliquis magistratibus ac senioribus pertinacissimè aduersatus est, id quod Christus ipse in parabola significauit, dicens: Et ciues eius oderant eum, & legationem miserunt dicentes: Nolumus hunc regnare super nos: Luc. 19. Et sicut Dauid hîc ereptum se dicit ex cõtentionibus populi sui, ita & Christus ex illis creptus & in regno confirmatus est.

3. Tertiò, sicut Israëlitis cor tabidum erga Dauidem tribuit Spiritus S. ita etiam aduersus Christum posteri illorum contabuerunt: quo morbo etiamnum miseri laborant.

4. Quartò, quòd immorigeros Israëlitas, vocat *alienos filios*: ita & Christus incredulos Iudæos, gentem prauam & peruersam vocat: dicitque illos esse nec ex patre Abraham, nec ex Deo, sed ex patre diabolo: minaturq; illis, quòd sint è regno Dei abijciendi.

5. Quintò, quòd de gentibus dicit, *Populus quem non cognoui, seruit mihi, in auditu auris obediunt mihi.* innuuntur ista imò præfigurantur. Primùm, gentes alienas fuisse à Christo, ac regno Dei incognitas. Admonet huius Paulus Eph. 2. Vide etiam Oseæ 2. & Rom. 9. Deinde ad Christum fuisse conuertendas, qui ipsis caput esset & seruator: qua de re Psal. 2. & Esa. 49. Tertiò, quod gratiam regni Dei in Christo Iesu auidissimè essent amplexuræ, illiq; promptissima fide obedituræ: qua de re videre est Actor. 13. vbi sic legimus: Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificauerunt Deum, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam. Vbi & illud notandum est, quòd Spiritus sanctus dum de fide gentium erga Christum prædicit, vocat eam obedientiam ad auditum auris promptam & alacrem. ad quem modum & Paulus Rom. 1. loquitur, cùm se muneris Apostolici functionem εἰς ὑπακοὴν πίστεως in omnes gentes accepisse dicit. Credere enim voci Christi, veri Dauidis & capitis gentium nihil est aliud, quàm Christo ad auditum verbi illius obedire: hoc est, toto illi sese corde submittere, proq. Rege vnico & Seruatore agnoscere. Sic Petrus Act. 5. Spiritũ sanctum à Deo omnibus sibi obedientibus datum esse dicit: id est, credentibus Nam de illis loquitur. Huiusmodi loquutione vtitur Paulus Rom. 15. & 16.

46. Viuat Dominus, & benedictus propugnator meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

47. Deus ille, qui dedit vindictas mihi. & subdidit populos sub me.

48. Liberator meus de inimicis meis: insuper & ab insurgentibus in me exaltasti me, à viro iniquo eripuisti me.

49. Propterea celebrabo te in gentibus Domine: & nomini tuo psallam.

50. Qui magnificauit salutes regis sui: & fecit bonitatem cum Christo suo Dauid, & semine eius vsq; in seculum.

LECTIO. *Propugnator meus.*] Ebr. צורי. quæ dictio inter alia significata, significat etiam *petram, vel fortitudinem*: quam supra hoc Psalmo vers. 2. Græcus reddidit: Βοηθός μου, & vulgata Latina: *Adiutor meus* hîc verò, ὁ θεός μου, *Deus meus.*

Deus salutis meæ.] Ebr. אלוהי ישעי 2. Sam. 22. partieula hæc sic legitur, אל חי צורי ישעי: id est, *Deus petra, fortitudo, vel propugnator salutis meæ.*

Vers. 47. *Qui dedit vindictas mihi.*] Ebr. est הנותן id est, *dans.* Vulgata Latina legit in secunda persona: *Deus qui das vindictas mihi.* Sic legit & Hieron. Recentiores verò legunt in tertia persona: *Qui dat, vel qui donat vindictas mihi.*

Vers. 48. *De inimicis meis.*] Et Græcus, & vulgata Latina & Arabs, addunt hîc, *iracundis.* Dictionem אף quæ in Ebræo sic legitur: מפלטי מאויבי אף מן קמיי: id est, *Eripiens me de inimicis meis, quin & ab insurgentibus in me,* &c. præcedentibus coniungunt, & pro ira sumunt, eò quòd plerunque iram & furorem significat. Verùm illis nec Chaldæus paraphrastes, nec Hieronymus, nec recentiores astipulantur, qui omnes hanc voculam sequenti particulę coniungunt, & per *insuper*, vel, *etiam*, vel *quin* exponunt Secundo Sam. 22 sic legitur: Et educens me de inimicis, & ab insurgentibus in me, &c. Reliqua satis conueniunt.

EXPLANATIO. His quinq; postremis versibus Propheta Psalmũ hunc, vt magno affectu & ardore cœptũ, ita & magna animi gratitudine per laudis sacrificiũ, cõcludit. atq; ita rectissimo ordine post cõmemoratas tribulationes, implorationẽ auxilij diuini, prædicata Dei dona & beneficia in laudem nominis

Dei

A Dei erumpit, iuxta illud Psalm. 50: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, &c.

Habent autem hi quinq; versus breuiter omnia, quę ad formulam laudandi Deum pertinent: vtpote exclamationem animi gestientis, & in laudem Dei prorumpentis, cùm versu 46. dicit: Viuit Dominus, & benedictus propugnator meus, &c. Deinde commemorationem acceptorum beneficiorum Dei, cùm vocat eum *propugnatorem suum*, ac *Deum salutis suæ*, & quæ sequentibus versibus 47. 48. & vltimo canit. Tertiò pollicetur, ac votum facit in ipsa ἀοξολογία, non in præsenti modò, sed & in posterum beneficentiam se Domini celebraturum ac prędicaturum. Sic enim comparatus est animus studio gratitudinis accensus, vt nequeat satis benefactoris celebrare bonitatem, sed cupiat illam in sempiternum extollere. Sic versu 49. dicit: Propterea celebrabo te in gẽtibus Domine, & nomini tuo psallam.

Viuat Dominus, & benedictus, &c.] Translata est hæc acclamandi forma à consuetudine seculi ad Deum cœlestem regem. Nam ad hunc modum regibus acclamabatur, sicuti videre est 1. Reg. 10. 3. Reg. 1. 44. Reg. 11. Et Christo ipsi, Matt. 21. Lucæ 19. Ioan. 12. Primùm apprecatur Deo vitã, veluti regi, dicens: *Viuat Dominus*. Sic solemus optare, vt quos amamus, & ex animo complectimur, diu viuant. Nisi ista acclamatio per antropopathiam, & animi exultantis raptum excusaretur, planè ridiculum videretur, vitã apprecari Deo: quasi fieri possit vt non viuat, vel non diu viuat, qui tamen solus verè viuit, & à quo cuncta viuentia habent vnde viuant. Deinde quoniam parum est diu viuere, nisi adsit & omnis generis opulentia & benedictio, vnà cum excellentia & maiestate addidit: *Et benedictus sit propugnator meus & exaltetur Deus salutis meæ*. quibus verbis vtranq; & felicitatem, & excellentiæ gloriam Deo apprecatur. *Verſ. 46.*

Deus ille qui dedit vindictas mihi.] Per vindictas Dauidi diuinitùs datas, quidam vltionẽ illam intelligunt, qua iudicio Dei contra hostes suos vindicatus est. Alij verò, quod mihi magis probatur, intelligunt hîc Dauidem canere de victorijs, quas ab hostibus suis retulit, quibus ex officio regio vltus est, quicquid per aduersarios impios contra Deum ac populum eius præsumptum fuerat. Hoc sensu prædicat à Deo sibi datum esse, vt vltionem sumpserit de hostibus suis. *Verſ. 47.*

Et subdidit populus sub me.] Hac particula veluti exponit, quis fuerit ipsi vsus vindictarum, & de quibus vindictas sumpserit: nempe de illis qui impedire conabantur, ne populis præesset, quibus tamen diuinitùs fuerat prẽfectus. Itaque postquam dixit: *Deus ille qui dedit vindictas mihi*: subiecit: *Et subdidit populus sub me*: hoc est, qui dedit mihi vt repressis & protritis aduersarijs, subijceretur mihi populi.

Liberator meus de inimicis meis, &c.] Refricat summatim protectionem illam Dei, qua de manu inimicorum suorum, & de manu Saulis, quem vocat virum iniquitatis & violentiæ איש חמסים, vel vt B est 2. Sam. 22. איש חמסים: cuius etiam in ipsa Psalmi epigrapha facta est mentio, ereptus, & hostium suorum victor constitutus fuerat. *Verſ. 48.*

Propterea celebrabo te in gentibus Domine, &c.] Votum facit diuinæ laudis in futurum. Idem autem bis dicit. Nihil enim aliud est celebrare Deũ, quàm psallere nomini eius: hoc est, laudes illi canere, quibus nomen illius extollatur, ac celebre reddatur. Quod verò non simpliciter dicit, *Propterea celebrabo te*: sed addit, *In gentibus*: respicere videtur ad singulare illud donum Dei, quò erat in caput gẽtium constitutus, ita vt בגוים in gentibus, idem sit atq; בעבורי חגוים: id est, *propter gentes*. Hoc sensu celebrare Dominum in gentibus, est omnem illam gratiam, virtutẽ & gloriam, qua victor & caput gentium factus fuerat, non sibi, sed Deo adscribere. Aut certè curaturum se promittit, vt & gẽtes in cognitionem Dei deducantur. quo sensu videtur hæc particula ab Apostolo Rom. 15. ad confirmandum suum propositum vsurpata. *Verſ. 49.*

Qui magnificauit salutes regis sui.] Vt Psalmum concludat, in summa omnia illa beneficia diuinitùs sibi tanquam regi & victo Dei impensa, complectitur & refricat, illaq; primùm plurimi facit, tanquam ampla & magnifica. *Qui magnificauit*, inquit, *salutes regis sui*: hoc est, qui regem suum sæpenumerò magnificè è medijs & magnis periculis seruauit. Deinde illa non suis meritis, sed diuinæ bonitati adscribit, dicens. *Et fecit bonitatem cum Christo suo Dauidi*: hoc est, beneuolentiam ac bonitatem suam vbertim erga Christum suum Dauidem ostendit. Vocat autem se regem & Christum Dei, propterea quòd à Deo esset in eam dignitatem ministerio Samuelis sublimatus. Tertiò, ob id etiam illa celebrat, quòd non sibi duntaxat, sed & semini suo magnificè, idq; in seculum benefecerit. Hac de re 1. Paral. 17. sic legimus: Annuncio ergo tibi, quòd ædificaturus sit tibi Dominus domum. Cumq; impleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsque in æternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: & misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. Et statuam eum in domo mea, & in regno meo vsque in sempiternum, & thronus eius erit firmissimus in perpetuum. *Vide quæ ibi sequuntur.* Non possunt ista de Salomone intelligi, sed necesse est, vt ad Christum referantur. Vnde & hæc verba: *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*, Ebr. 1. Christo adaptantur. *Verſ. 50.*

Viuat Dominus.] Obseruandum est hoc versu, quàm pulchrè Dauid ea quæ ipse diuinitùs ex gratia acceperat, vitam scilicet, ex multis periculis seruatam, rerum benedictionem ac prosperitatem, & regiæ maiestatis gloriam, de quibus & infrà Psal. 21. canit, vicissim benefactori suo Deo gratulabundus apprecetur. *Viuat*, inquit, *Dominus, & benedictus sit propugnator meus, & exaltetur Deus salutis meæ.* Admonentur ergo hoc loco, quotquot ex periculis diuinitùs erepti, inque vita seruati sunt vt vitam apprecentur Deo, à quo vitam acceperunt, & à quo nisi è periculis liberati essent, vitam retinere nequiuissent. Item quibus datum est nõ solùm viuere, sed & cum benedictione viuere. bene- OBSERV. *Verſ. 46.*

dictionem optent Deo à quo benedictionē acceperunt. Denique quibus à Deo concessum est, in honore & gloria viuere, gloriā optent & quęrant nomini Dei, vnde ipsi gloriā sunt cōsequuti: quę- rant aūt nō verbis duntaxat, sed & reipsa & viribus omnibus. Expende & illud, quā cōcinne cōiun- xerit hîc Propheta *vitam benedictionem & exaltationem.* Sensit ista tria electis à Deo vbertim prouenire, sic vt in sempiternum habituri sint & vitam & benedictionem & gloriā. Quid enim aliud expectamus in futuro illo seculo, quàm primùm veram ac sempiternam vitam: deinde copiosissimā & infinitam benedictionem: id est, inexhaustam felicitatem: & tertiò, gloriam filiorum Dei.

OBSER. *Verſ.47.* *Deus ille, qui dedit vindictas mihi.*] Obseruandum hîc est, quo affectu Dauid glorietur, quòd vindictas de hostibus sumere potuerit. Vltionis affectus ex corruptione naturæ inest carni nostrę, adeò vehemens, vt vix aliquid sit, quod magis animū nostrū mordeat. quàm si non liceat ex animi sententia vlcisci. Hunc damnat in nobis sacra Scriptura, admonens, vt Deo vindicandi ius & munus permittamus. Est enim vindicta malorum res adeò magnifica, & ipsissimum iustitiæ opus, vt soli Deo propriè competat: qui solus ita iustus est, vt in ipsum nemo queat animaduertere, ipse verò in omnes. Nihil enim in illo mali est, quod vindictam promereatur: inest verò plurimùm mortalibus omnibus. Deinde non est inordinatis φιλαυτίας affectibus perinde atq; mortales, obnoxius: quibus ad vindicandum propendamus, non vt iustitiam lęsam, sed vt nos ipsos vindicemus. Neque enim ideò vlcisci nos cupimus, quòd peccatum est, sed quòd nos lęsi sumus. Rectè ergo Dauid non simpliciter hoc loco de eo gloriatur, quòd vindictas sumpserit de inimicis suis: sed quòd à Deo sibi datū sit, vt vindictam sumeret. Quapropter nemo se ingerat in hoc munus, vt vindictam sumat de malis vel suis vel aliorum hostibus, nisi ad hoc diuinitùs vocetur, vt & ipse cum Dauide dicere queat: *Deus est, qui dedit vindictas mihi.* Legimus quidem de nonnullis, qui nō manifesta vocatione, sicut hîc Dauid, sed occulto quodam zelo rapti, vindicandi munus vsurparint: vtpote de Mose antequam fugeret ex Ægypto: item de Pineas, Numeri 25. verùm ista exempla selectorum ac magnorum sunt spirituum, haudquaquam cuiuis imitabilia. Et hoc nostro seculo vidimus, quàm infeliciter cesserit simulatus quorūdam zelus. Deinde, quibus à Deo datum est, vt ad gloriam illius & populi sancti assertionem, vindictam sumant de malis, faciant hoc magno zelo, & magni ęstiment, religioseq; exequantur. Leuitæ & Pineas propter vindictæ zelum, sacerdotij dignitatem sunt assequuti. Exod. 32. Num. 25. Saul. verò, quoniam impositū vindicandi munus haud fideliter est exequutus, proiectus est à Deo, regnoq; priuatus. 1. Samuel. 15. Tale quid & de Achab, 1. Reg. 20. legitur. Locus hic diligenter est expendendus magistratibus ad hoc à Deo ordinatis, vt de malis vindictam sumant. Rom. 13. & 1. Pet 2.

Interea tamen, quoniam & ipsi homines, & multis reprehensibiles existunt, arduumque est administrare munus eius rei, quæ solius Dei est: nulli peccato obnoxij curent, vt munus hoc cum timore Dei exequantur: & dum alios, puniunt, de proprijs ipsorum peccatis admoneantur. Hoc volebat scilicet Christus, cùm ad pharisæos Ioan. 8. diceret: Qui ex vobis sine peccato est, primus in illam lapidem mittat, quibus verbis non hoc agebat, vt legem Dei de puniendis adulteris tolleret: sed vt hypocritas illos & confidentes iustitiarios peccatorum suorum admoneret, ac supercilium illorum deijceret: quo propriorum peccatorum respectu repercussi, aliorum delictis condolerent: ac communem peccandi procliuitatem corruptæq; naturæ miseriam deplorarent: quam in se ipsis non obseruātes, aliena tantùm damnabant, sua negligebant: cùm tamen & ipsi coram Deo adulteri ac morte digni essent: Matth. 5. Rom. 2.

Et subdidit populos sub me.] Notabis hîc, quòd in Ebręo dicit: וירבר עמים תחתי: id est, *Et decreuit*, dixit, *verbo suo iussit, vt populi mihi subsint.* Seruitur hac dictione fidei piorum, tàm magistratuum quàm subditorum. Significatur enim, à decreto & oraculo Dei pendēre, vt populi subsint magistratibus. Admiramur subinde quî fiat, quòd tot mortalium myriades vni principi subsint, illiusque parent imperio. Audimus hîc fieri illud ex dispositione diuina. Admonentur ergo principes & magistratus, vt eum præ oculis habeant, cuius est potentiæ, vel subijcere populos, vel rursus ipsorum potentiæ eximere. Inexcusabilis est illorum dementia, qui cùm perpetuò timeant, ne qua in subditis oriatur seditio ac rebellio, nihilo tamen magis ad eum respiciunt qui totum Orbem vnico momēto seditionibus exagitare, & populos inter se cōmittere potest. Nisi ille aspirauerit, nemo adeò potens est, vt populos sibi subijciat. Notum est exemplum Pharaonis, qui quò magis populum Israëlis opprimere, sibiq; subijcere conabatur, hoc minus quod volebat efficiebat. imò hoc magis semetipse deijciebat ac perdebat. Et Ieroboam quoq; 1. Reg. 12. & Philistijm, 1. Sam. 13. peruerso consilio ad subijciendos sibi Israëlitas vsi leguntur. ad quem modum etiam inter Christianos solent hi, qui ambitione dominandi laborant: quorum aliqui vsque adeò insaniunt, vt Euāgelio Christi locum in subditis suis permittere detrectent, quò magis eos sub se retineant: quasi regnare nequeant, nisi Christo filio Dei repugnent: cuius tamen est, populos subijcere principibus.

Subditi quoq; admonentur, vt sentiant se non humana, sed diuina dispositione subiectos esse magistratibus: videantq;, ne illis reluctentur, nisi Deo reluctari velint. Et prętera fieri non potest, vt sese ex ista subiectione liberent, & in libertatem asserant, nisi liberentur ab eo per quem sunt in conditionem ac sortem subditorum coniecti. Etenim Domino subijciente, quis tantæ poterit esse potentiæ, vt liberos reddat eos, quos ipse vult esse seruos?

OBSERV. *Verſ.48.* *Liberator meus de inimicis meis.*] Quæ de hoc versu notanda sunt, vide suprà in titulo Psalmi. Illud hîc adijciam: Videmus Dauidē hoc loco, cùm Domino δοξολογίαν parat, & illius gratia inimicorum suorum & Saulis mētionem facit, Saulem vocare איש חמס: id est, *virum iniquitatis & violentiæ*: quem tamen 1. Sam. 24. cùm nactus esset illius copiam & potestatem in spelunca, in ipsa persequutione,

& postea

A & postea 1. Sam. 26. cùm reperisset eum in castris dormientem, neciq; dare posset vtrobiq; nec virum iniquum, sed Christum Domini vocauit: nec manum in illum misit, sed illæsum abire permisit: ac dixit: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Viuit Dominus, quia nisi percusserit eum Dominus, aut dies eius venerit vt moriatur, aut descendens in prælium perierit propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini. Est itaq; hoc loco notandum, quàm sibi cauerit religiosissimus Dauid, ne Saulem virum iniquum, suopte consilio & arbitrio, cùm posset, è medio tolleret, quamuis eum iniquum & violentum esse sciret: imò ne iniquum quidem nominaret, sed Christum Domini, & Dominum suum: tantisper, dum ille iudicio Domini sublatus è medio & occasio celebrandi DOMINUM data esset, qui ipsum è manu illius liberasset: vbi vt beneficium & iudicium Dei celebraret, non potuit amplius dicere, *A Christo tuo eripuisti me*; sed, *A viro iniquo eripuisti me*. Ingenium hoc religiosissimi viri obseruandum est omnib. pijs, qui ne hactenus quidem affectui carnis indulsit, vt virum iniquum, etiam in ipso iniquitatis opere comprehensum, iniquum vocaret (tanta illi inerat regiæ maiestatis reuerentia) nisi cùm id gloria iusti iudicij Dei Psalmo hoc celebranda exigebat.

Propterea celebrabo te in gentibus Domine.] Quæ notanda sint hoc versu, admonemur iudicio Spiritus sancti, qui nobis mysterium illius, per Apostolum Roma. 15. aperit, vbi sic legimus: Illud autem dico, IESVM CHRISTVM ministrum fuisse circuncisionis, pro veritate DEI, ad confirmandas promissiones patrum: cæterùm, vt gentes propter misericordiam glorificent DEVM. sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Concernit itaq; versus huius consideratio nostram, qui ex gentibus sumus, salutem peculiariter. Vnde & peculiariter admonemur, quàm debeamus istam misericordiam DEI, qua CHRISTO filio eius, tanquam capiti ac seruatori subditi sumus, totis viribus deprædicare & extollere tantum, sed & curare, ne nos illa reddamus indignos, sicuti faciunt increduli & ingrati: Huius admonet Apostolus Ephes. 2. & alijs locis. Cogitemus hîc: Si Dauidis animus consideratione huius gratiæ, idque in typo tantùm, vsq; adeò exultauit, vt se DEVM propter illam celebraturum dixerit, cùm ipse non ex gentib. esset, sed ex Israële: quomodo nos, qui ex gentib. sumus, de tantam stupiditate & ingratitudine excusari possimus. OBSER. Vers. 49.

Qui magnificauit salutes regis sui, &c.] Principiò obseruandum est hoc loco, animi grati ingenium: quàm soleat illud accepta beneficia, qualiacũq; illa sint extollere & magnificare. Poterat dicere, *Qui seruauit regem suum*: verùm quoniam eam beneficentiam plurimi faciebat, sic eam celebrare voluit, vt diceret se magnificè esse seruatum. Sic Loth dicebat ad Angelos: Quæso Domine mi, ecce inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, vt seruares animam meam. Et hic Propheta infrà Psal. 126. Magnificauit, *inquit*, Dominus facere nobiscum. Et beata virgo, mater Domini Seruatoris nostri: Quia fecit mihi magna, *inquit*, qui potens est. Et hic gratitudinis affectus non solùm ex eo, quòd dona & beneficia Dei, pij in se quàm sint ampla & magnifica, sed inde quoq; prouenit, quòd seipsos considerant, quàm sint nihili, quamq; meriti nõ sint vt à Deo respiciantur. Sic Iacob dicebat: Minor sum cunctis miserationib. tuis. Et hic Propheta: Quid est homo, quòd memor es eius, &c. Et 1. Paral. 17. Quis ego sum Domine, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia? Et Maria, Luc. 1. Magnificat, *inquit*, anima mea Dominum, & exultat spiritus meus in Deo salutari meo: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c. Liquet igitur, eos qui propriæ vilitatis & humilitatis sensu destituuntur, hoc ingenio præditos esse non posse, vt beneficia accepta magnifaciant, adeoq; veram ac competentem gratitudinem ostendant. Quantum enim sibijpsis tribuunt, tantùm magnificentiæ benefactoris adimunt. OBSER. Vers. vltim. Genes. 19.

B Deinde illud considerandum est, quòd non simpliciter dicit, *Qui magnificauit salutes meas, & fecit bonitatem mecum*: sed, *Qui magnificauit salutes regis sui, & fecit bonitatem cum Christo suo Dauid*. Considerat ea quę à Deo acceperat beneficia, tanquam non simpliciter sibi vt homini, sed tanquam regi & Christo Dei fuisse impensa. Hoc autem pacto non tàm Dauidi, quàm populo ipsi concredito benefactum fuerat à Deo. Est enim salus regis pij & cordati, salus populi. Benefecerat Dauidi DEVS, non vt priuato, sed vt seruo suo, quem super populum suum constituerat. Et hac se consideratione vocat hîc *regem*, & *Christum Dei*. Discant hic reges & principes, ac reliqui magistratus, quò referre debeant, si quid beneficiorum ac donorum DEI acceperint. Discant etiam, quid de se ipsi sentire, nempe esse se reges Dei, & seruos Dei: & quid ex eo sibi coram Domino Deo suo polliceri debeant.

3. Tertiò: *Et semini eius*, inquit. Admonemur hic eius quòd de seipso Deus in Decalogo prędicat, nempe quòd sit benefacturus piorum posteris in mille generationes. Vide 1. Reg. 11. quomodo se Deus rationem Dauidis etiam post illius obitum in causa regni Salomonis habere dicat. Et aliquoties in Scripturis legimus illud: Propter Dauid seruum meum, & Israël dilectum meum, &c. Itaq; si semini nostro consultum cupimus, simus primùm ipsi obseruantes diuinæ voluntatis: deinde instituamus eos in timore Domini, & assuefaciamus ad imitationem vestigorum nostrorum.

4. Quartò: *Vsq; in seculum*, inquit. Ergo bonitas Dei erga suos, & ipsorum semen, non est temporaria ac transitoria, sed æterna. Duo hæc illi tribuit Spiritus S. hoc vlt. versu. Vnum, quod sit *magnifica* ac *præclara*: hoc est, omnem humanæ rationis captum exuperans: alterum, quòd sit *non caduca*, sed *sempiterna*. Rectè. Est enim Deo digna: qui nec sordidè ac tenuiter, neq; ad tempus duntaxat more seculi, sed magnificè, imò amplissimè, deinde & in sempiternum suis benefacere solet, ipse magnificentissimus, & sibijpsi in æternum simillimus.

Habet etiam hic versus in ipsa medulla occlusum regni Christi mysterium. Primùm in vocibus

regis ac *Christi Dei*, quę propriè Christo filio Dei competunt. Deinde *in magnificentia Dei erga regem & Christum suum*. Ea siquidem quę Dauidi cõrigit, vmbratilis quædam fuit, respectu eius quæ in Christo est declarata: in quo verè magnificè egit Deus, non modò ipsum è manibus inimicorum, & ipsa morte, sed & totum genus humanum ex potestate inferorum liberando, & in regnum suum tâm gentes quâm Iudæos vocando & assumendo. A

Tertiò, in æternitate quoque bonitate erga semen Christi. De hoc semine Christi, quod sunt fideles, vide Esa. 53: Videbit, *inquit*, semẽ longęuum. Et Ioan. 12: Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum adfert. Et Ebr. 2: Ecce ego & pueri mei, &c.

PSALMVS XIX.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO huius Psalmi.

ARdenti Zelo in ea rapitur spiritus Prophetæ de prædicanda & celebranda, quæ gloriã diuinæ maiestatis cum primis commendant & extollunt, adeoq; nos in cognitionẽ illius inducunt. Horum autẽ duo genera recenset. Vnum eorum, quæ gloriam Dei oculis spectandam mortalibus vniuersis exponunt: de quibus canit versibus sex prioribus. Alterũ de eo, quod Iudæis singulariter præ reliquis nationibus diuinitùs est concessum: cuius meminit versibus 7. 8. 9. 10. & 11. Tertia Psalmi parte peccatorum suorũ confessionem, ac remissionis illorum petitionem adjcit, & diuinam erga se beneuolentiam ambit.

VERSVS SEX PRIORES.

Ad præcinendum Psalmus Dauidis.

VRS. I. *COeli enarrant gloriam Dei, & opus manuũ eius annunciat expansum.*

2. Dies ad diem eructat verbum, & nox ad noctem indicat scientiam.

3. Non est sermo, & non sunt verba: nec auditur vox eorum.

4. In omnem terram egreditur sonus eorum, & in fines Orbis verba eorum: soli posuit tabernaculum in eis.

5. Et ipse tanquam sponsus procedens è thalamo suo, exultat vt gigas ad currendum viam.

6. Ab extremo cœli egressus eius, & recursus eius vsque ad extremum illius: nec est qui se abscondat à calore eius. B

LECTIO. *Vers.* 1. *Expansum.*] Ebr. רקיע quam dictionem communiter & Græc. & vulg. Lat. sicut & Hieron. reddunt *firmamentum*. Significat autem *extensionem*: ad quem modum verterunt Iustin. Munsterus, & Tigurina versio. Felinus sic: *Et æther, quæ sint opera eius denunciat.* Campensis vertit, *vastum cælorum ambitum.*

Vers. 2. *Dies ad diem*, &c. & *nox ad noctem*. Ebr. יום ליום ילילח ללילח. Græc. ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ, καὶ νὺξ νυκτί. Vulg. Latina: *Dies diei*, & *nox nocti*. Sic ferè omnes Interpretes legunt: nisi quòd aliqui addunt de suo: *Dies diei succedens.*

Vers. 3. *Non est sermo*, &c.] Ebr. אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם. Græc. & vulg. Lat. sic reddiderunt: *Non sunt loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Hieron. sic: *Non est sermo, & non sunt verba, quibus non audiatur vox eorũ.* Iustin. *Non sunt loquelæ, & non sunt verba, non auditur vox eorum.* Felix. Prat. *Non sunt loquelæ, neq; sermones, vt non audiatur vox eorum.* Pag. *Non est sermo, & non sunt verba, non auditur vox eorũ.* Sic & Tigurina, & Felinus. Zuinglius sic: *Non est sermo aut lingua, vbi non audiatur horum omnium vox.* Cãpensis similiter: *Nullum est*, inquit, *idioma, nec vlli sermones, quibus audita non sit vox illorum: nullus est enim vsquam populus tam barbarus, ad quem horum notitia non peruenerit.*

Vers. 4. *In omnem terrã egreditur sonus eorum.*] Ebr. יצא קום, Græc. & vulg. Lat. & Hieron. reddiderunt: *Exiuit sonus eorum*: quam lectionem retinuit & Apostolus ad Rom. 10. Verùm Ebræa dictio קוֹ *regulam, lineam directoriam*, & *funiculum* significat. Vnde Iustin. sic vertit: *In omnem terram exiuit filum eorum.* Pratensis: *Exiuit cursus eorum.* Pagn. *linea eorum.* Felin. *iudicium eorum.* Munsterus: *directio eorum.* Tigurina: *regula eorum.* Verùm visum est retinere lectionẽ vulgatam, propter autoritatem Apostoli. Zuinglius & Campensis, *orationem* & *doctrinam* reddiderunt.

Soli posuit tabernaculum in eis.] Ebr. לשמש שם אהל בהם, quod & Hieron. & Iustin. & Pagn. cum recentioribus reddunt: *Soli posuit tabernaculum*, vel *tentorium in eis*. Græc. & vulg. Latin. sicut & Arabs, verterunt: *In sole posuit tabernaculum suum.* Reliqua non admodum variant.

EXPLANATIO. *Vers.* 1. *Cœli errant gloriam Dei.*] More carminis idem hoc versu bis dicitur. Nihil est enim *expansum illud* aliud, quàm cœlum hoc visibile: nec aliud *enarrare*, quàm annunciare. Itaq; primo hoc versu gloriam Dei per cœlos enarrari & annunciari: hoc est ostentari, & omnium oculis ingeri dicit. Solet Scriptura gloriam Dei in cœlorum machina spectandam proponere.

Primùm dum dicit *Deum cœlos creasse & extendisse*, opus adeò illustre, magnificum & immensum, vt Psal. 8. 96. 136. Huius admonet etiam hoc versu, dum *expansum opus manuum Dei annunciare & ostendere* dicit. Cogitemus hîc, quàm sit opus hoc cœli vastum, amplum, latissimè extensum, aspectu iucundũ, ornatu speciosum, tempore diurnum, ac robore firmum. Licet nobis hęc omnia ad gloriam Dei expendere, etiamsi occultiora cœlorum miracula ignoremus. Deinde dum dicit: *Deum cœlos condidisse solum*: Hoc prędicat Iob cap. 9, & inter ea connumerat, quæ ad magnificẽtiam Dei faciunt,

Tertiò,

A Tertio, quando de Deo prędicat, quòd *cœlos fecerit ex nihilo*. Magnum est, egregij quicquam ex apta quapiam materia facere. Quantum est verò, ex nihilo tantam constituere machinam? Quartò, cum
» Deo tribuit, quòd *cœlos solo verbo fecerit*. vt Genes 1. vbi dixisse legitur: Fiat expansum, vel firmamẽ-
» tum. & infrà Psal. 33: Verbo Domini cœli facti sunt. His quatuor modis Scriptura gloriam opificis cœlorum considerandã proponit: quòd videlicet ipse *cœlos* condiderit, quòd *solus* cõdiderit, quòd ex *nihilo*. & *verbo* duntaxat condiderit.

Quòd autem vocat *expansum opus manuum Dei*, cùm tamẽ sit opus verbi Dei, ad hoc facit, vt cœlos non aliena vel industria, vel opera factos esse sciamus. Potest enim fieri, vt & videmus, vt imperantis cuiusdam verbo opus quoddam magnificum & eximium fiat: verùm non imperantis, sed aliorum operantium industria & opera. Hîc verò virtus Dei inuisibilis & omnipotens ita verbo suo cœlos condidisse dicitur, vt prorsus aliena ad facturam illorum vel industria, vel opera haud quaquam accesserit. Ob hanc causam tribuitur cœlis, quòd sint opus manuum ac digitorum Dei. Aliàs siquidem potior gloria redundaret in opifices, vel angelos, vel alias creaturas, quarum opera opus tam eximium & stupendum esset perfectum

Dies ad diem eructat verbum, &c.] Prædicat hoc 2. versu admirabilem illam & constantem dierum ac noctiũ vicissitudinem, quæ certè ex ineffabili illo cœlorum & ornatus illius opificio prouenit. Quod itaque dicit: *Dies ad diem eructat verbum, & nox ad noctem indicat scientiam*: nihil est aliud meo iudicio, quàm successione illa dierum & noctium tam certa, constanti & commodissima alternantiũ inter se vicissitudine ac reciprocatione, manifestissimè opificis Dei gloriam celebrari, gloriam, inquam, omnipotentię & scientiæ Dei, vt hunc sensum exprimerem, reddere visum est ad hunc modum: *Dies ad diem eructat verbum, & nox ad noctem indicat scientiam*, vt, si Germanicè dicas, Ein tag nach dem andern. ein nacht nach der andern. *Vers. 2.*

Quidam hunc versum sic exponunt, vt *diem ad diem*,, intelligant esse singulos dies: & *noctem ad noctem*, singulas noctes: sentiuntq; Prophetam dicere, nullum esse diem, nullam noctem, quibus non aliqua re pręcipuè gloria Dei illustretur, & scientia Dei augeatur. Verum est si quis obseruet. Non est aliqua dies, aliqua nox, quibus non adferatur aliquid noui, vnde gloria Dei illustretur. Et ipsa quoque quotidianæ renouationis facies gloriam Dei renouare videtur.

Illud incertum esse apparet, de quo *verbo*, & qua *scientia* loquatur hic versus. An *de verbo Dei*, quo conditi sunt cœli: & *scientia Dei*, qua sapientissimè cõditi sunt: vel an de *verbo cœlorũ*, aut *dierum & noctium*, & *gloriam Dei prædicantium* loquatur: vt sicut cœlis primo versu *enarrationem & annunciationem* tribuit, ita hoc sequẽti versu tribuat illis *verbum*, quod dierũ ac noctium vicissitudine eructetur. Posterior hic sensus mihi videtur esse simplicior: sic tamẽ, vt dictione *scientiæ*, quam indicari dicit non eã qua nos Deũ cognoscimus, sed qua Deus cœlos summa sapiẽtia cõdidit ac disposuit, intelligamus.

B *Non est sermo & non sunt verba: nec auditur vox eorum. In omnem terram egreditur sonus eorum*, &c.] Auxesim gloriæ Dei in opificio cœlorum, & dispositione dierum ac noctium relucentis, duobus hisce versibus prędicat Propheta ad hunc modum: *Dico cœlos, dies ac noctes, enarrare ac prædicare gloriam Dei*. At qui nec vocem habent, nec verba, quibus gloriam Dei deprædicent, & opificẽ suum extollant. Verum est, *inquit*, non est illis sermo, non sunt verba, nec auditur vox eorum: & tamen quamuis voce ac verbis destituantur, gloriã Dei adeò sonora voce deprædicant, vt sonus ac verba prędicationis eorum terram vniuersam ad fines vsque totius Orbis penetrent ac repleant: quod nulla alia re faciunt quàm excellentia opificij, quam cunctorum oculis passim per Orbem vniuersum ingerunt. Est enim horum operum Dei tam admirabilis machina, tam cõstans vigor, tam certus ordo, tamq; ineffabilis intelligentia, vt licet muta sint, quod vocem attinet & verba, nihilo tamen minus gloriam Dei, quauis sonorissima etiam voce, clarius sic deprędicent, vt non sit angulus aliquis Orbis, vbi vocalissima eorum concio non audiatur. *Vers. 3. & 4. Quæ sint verba prædicãe, hipocrisis cauent.*

Soli posuit tabernaculum in eis. Et ipse tanquam sponsus procedẽs, &c.] Hisce verbis Propheta ad celebrandum illustrissimum illud Solis opificium digreditur, quo & cœlorum machina splendissimè ornatur, & totus Orbis illustratur. Loquitur autem de illo longe maiore animi incunditate, quàm nostri philosophi, qui magna scientiæ opinione de Solis magnitudine & altitudine disputant quorum vanitate relicta, certa quędam, & ad gloriam opificis Dei plurimùm facientia, simulq; cunctis manifesta adducit. *Vers. 5. & 6.*

1. Primùm commendat hoc opus Dei ab ornatu iucundissimi splendoris, pręcipuè quod ipsius ortum concernit, quòd solet esse splendidissimus: quem comparat sponso, è thalamo suo in ornatũ nuptiali progredienti, & omnium in sese oculos cõmouenti. Ad hunc Solis ortum non modò Dauid hoc loco, contemplandæ gloriæ Dei gratia nos rapit, sed & Christus ipse paternam nobis bonitatem in eo considerandam proponit, cùm Matth 5. dicit: Vt sitis filij Patris vestri, qui Solem
» suum producit super bonos & malos.

» 2. Deinde gloriam Dei in Sole à velocitate commendat, qua summo miraculo vastos illos cœlorum campos vnius diei spacio percurrit: & quum id quòtidie faciat, nihilo tamen lassatur. Et hoc nomine comparat eum heroi pedibus forti ac veloci.

3. Tertiò celebrat Solem etiam à virtute calefaciendi, quam à Deo effundat circunquaque, vt cuncta per illam foueantur: quæ sanè tanta est, vt & metalla in ipso telluris gremio concoquat. Atq; hoc est quod dicit: *Nec est, qui se abscondat à calore eius.*

Sunt qui hos sex versus per allegoriam exponant, sic, vt *cœli* significent Apostolos, per quos veluti cœlos, gloria Dei enarretur, & in quibus Sol Christus tabernaculum suum habeat, ex quo tãquam sponsus egressus, verbi prædicatione in Orbem vniuersum excurrat: ad quam expositionem

versu quarto moueri videntur, quo Apostolus ad Romanos 10. vtitur. Mihi verò simplex illorum A
expositio, quam posui, certis de causis probatur. Prima causa in primo versu est, cùm dicit: *Et opus manuum eius annúciat expansum.* quibus verbis satis indicat, de quibus cœlis loquatur. Est enim רקיע *expansum*, firmamentum illud, vt vocatur, quod oculis nostris quotidie videmus, in quo Sol, luna & stellæ relucent. Secundam habet versus secundus, vbi dicit: *Et nox ad noctem indicat scientiam.* quod si velis ad allegoriam rapere, non video quomodo per *noctes* intelligi possint Apostoli & electi, quos Apostolus dicit non esse *noctis*, sed *diei*. Hieronymus sic allegorizat hoc loco: Nox Iudas, nocti Iudæis, indicat scientiam, quando dixit, Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Huc torquentur, qui omnia ad allegoriam trahenda esse putant. Tertia in eo est, quod versu tertio legitur: *Non est sermo, & non sunt verba, nec auditur vox eorum.* Vbi manifestè videre licet, de illis gloriæ Dei præconibus canere Dauidem, quibus nec sermo est, neque vox, neque verba. Apostoli quidem & ipsi maiestatem gloriæ Dei annunciant: verùm non muto, sed vocali præconio.

Atque hos versus etiam Chrysostomus simpliciter hoc sensu quem assignauimus, accepit. Vide Sermone 3. super Epist. ad Rom. ibi: Inuisibilia ipsius ex creatione Mundi. Item super Genesim hom. 5. Idem facit & Basilius, in principium Prouerbiorum Salomonis scribens.

Quartum versum vsurpat Apostolus Rom 10. ad hunc modum: Sed nunquid non audierunt? "
Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terrarum verba eorum. Ostendit in- "
credulitatem Iudæorum haudquaquam excusare posse, quasi prædicationem Euangelij non audierint, cùm prædicantium sonus & verba in vniuersum Orbem exierint: vt verè de illis dici possit, quod Dauid de *cœlis, die, nocte*, ac *Sole* cecinit: nempe sonum ac verba eorum ad fines Orbis vsq; personuisse. Sic solent Apostoli locos Scripturæ ipsorum instituto conuenientes adducere, vt historiæ sensum non infirment & tamen ostendant, non minus verè ab ipsis iam dici posse, quod tum secundum historiæ seriem de re alia dictum est. Tale est, quod 2. Cor. 8. ex cap. 16. Exodi, de collectione Man adducit Apostolus: Qui multum, *inquit*, ei nihil redundabat: qui parum, ei nihil deerat: "
accommodans ea verba ad institutum eleemosynæ, sicuti patet: & adhortans, vt quæ diuinitùs alimenti gratia data sunt, sic inter se diuidant & coæquent fideles, vt verè possit in ipsis impleri quod tum temporis in deserto Man colligentibus vsuuenit. Consimile & illud est Matth. 2: Ex Aegypto vocaui Filium meum: quod Osea Propheta de Israële scripsit. Quapropter, meò iudicio, causam "
non habent ex Apostolo, qui versus istos sic ad allegoriam trahunt, vt sensum Prophetæ prorsus "
negligant.

OBSER. V. 1. Principiò obseruandum est in hisce versibus piorum ingenium, quàm soleant illi magna cum voluptate ac dilectione gloriam opificis Dei in operibus illius contemplari id quod animum resipit gloriæ Dei studiosissimum, ac magnificè de Deo sentientem, ac per illustria illius opera ad maiestatem eius considerandam ac celebrandam sese erigentem. Hac in re multus est hic Propheta: id quod Psalmis quibusdam videre licet. Huius exemplum imitari debebant, qui vsum imaginum ad hoc in Ecclesias Christi induxerunt, vt aspectu suo aspectantes ad nescio quam deuotionem vt loquuntur, permoueant. Si externæ mouent imagines, vt planè mouent: qui fit, quòd cœlestes illæ gloriæ ac maiestatis Dei non admouent? Imago hominis, mortui opus est hominis, mortuum mutum, surdum, cæcum, immobile & ἄψυχον: cœlum verò, Sol, luna, stellæ & reliqua opera sunt opificis Dei, viua, & hoc ipso quòd viuunt, viuentem & viuificantem opificem suum celebrantia. Imagines opera cùm sint hominum, nihil aliud, quantum sint opera manuum hominũ quàm gloriam hominis artificis: cœlum verò, & reliqua opera Dei præclara & eximia, gloriam Dei omnipotentis extollunt. Et reuera maior est gloria Dei, quàm quæ per opera manuum hominum dignis modis prædicari possit. Nec opus habet illis ad hoc Deus, vt ipsius apud nos gloria innotescat. Omnia suis ipsius operibus repleuit, magnis, stupendis, & innumerabilibus, quę nusquam non occurrunt, imo in quibus omnes mouemur & sumus. Atq; ita opera manuum Dei gloriam illius, non in templis lapideis tantùm, & alijs consimilibus latebris, sed per vniuersum Orbem palàm ac luculenter prædicant, omniumque mortalium oculis passim ingerunt & illustrant, quod de operibus hominum haudquaquam dici potest. Ingens itaq; stupiditas eorum sit oportet, qui conspectu operum Dei, ad considerandam diuinæ maiestatis omnipotentiam, sapientiam & prouidentiam non mouentur: & interea ad mortuas & mutas mortalium imagines quouis saxo stupidiores, religionis gratia procumbunt. B

2. Deinde cogitandum est, qua ratione Prophera non angelos, cœlestes spiritus, vel mare illud immensum, aut alia insignia opera Dei inducat, cùm tamen & ipsa gloriam Dei enarrent: sed cœlos, visibiles illos, deinde diem & noctem, ac Solem, quæ tamen nec sola, nec omnem opificis Dei gloriam deprædicant. Non caret hoc diligenti ratione. Vt aspectus cœlorum, & Solis, deinde & vicissitudo illa dierum ac noctium, per Orbem vniuersum nemini non patent, ita & gloriam Dei passim omnibus considerandam proponunt. id quod non potest ab omnibus illius operibus præstari. Verùm quia quæ & quotidiana sunt, & vbiuis locorum nemini non exposita, hoc ipso quòd & quotidiana sunt, & passim obuia, vilescunt: ob id visum est Spiritui sancto, pios & electos admonere, vt in illis potissimùm gloriam diuinæ, maiestatis considerent ac deprædicent, in quibus illa vulgo vilescere consueuit.

Vers. 2. 3. Tertiò, *Dies ad diem eructat verbum.*] Quoniam hoc versu Propheta vicissitudini dierum ac noctium adscribit, quòd verbum ac scientiam Dei eructent & indicent: cogitandum erit pijs animis, quanta hìc sapientia ac prouidentia Dei non in splendore duntaxat diurno, sed & in caligine nocturna reluceat, in quam prætereuntis diei splendor desinit, & quam rursus vicibus suis terminat. Splen-

A tat. Splendor diurnæ lucis magno vsui est operantibus: verùm non minus vtilis est caligo nocturna, dierum splendorem & molestiam laborantium interrupens, & quietis commoditatem fessis mortalium membris exhibens.

Et hinc vertendus est animus ad metaphoricam considerationem, quam offert vicissitudo ista dierum ac noctium. Sicut dies in noctem, ac rursus nox in diem desinit: ita habent & humanarum
" rerum vices. Lætæ in tristes, tristes rursus lætas mutantur. Vnde illud est: Post tenebras spero *Iob.*
" lucem. Vtrobique magnam occasionem consolationis accipiunt pij quoties considerant, quàm sapienter instituta sit ista reciprocatio dierum ac noctium, rerumque lætarum ac tristium. Inamœna quidem est noctis facies, præsertim ijs qui splendore diurno delectantur (nam sunt, qui noctis tenebras magis amant quàm lucem diei, eò quòd opera ipsorum opera sunt tenebrarum, & non lucis) verùm vsus nocturnæ caliginis haud minus necessarius est laborantibus & iucundus, quàm vsus diei. Terra ipsa post Solis ardorem refrigeratur & humectatur, animantia post diurnam fatigationem recreantur, vires corporum nostrorum beneficio somni reparantur, animus posita curarum molestia refocillatur: & ipse Solis ac lucis vsus, ne perpetuitate quadam molestus sit & intolerabilis, interstitio nocturno quotidie renouatur: & non tolerabilis modò, sed & iucundus redditur. Et illud quoque sapientiam Dei commendat, quòd æstate dies sunt prolixæ, noctes breues, quo & fruges terræ matureſcere queant: & quoniam mortalibus in cultu terræ æstate magis quàm hyeme operandum est, vt diuturniore luce, operantib. necessaria, potiamur: rursus quoniam post ardorem præcedentis æstatis terra gelu & niuibus refrigeranda, & ad subsequentem æstatem præparanda est, commodum sic est diuino consilio constitutum, vt hyeme noctes sint longiores, dies breuiores. Innumera sunt huiusmodi, quę animus operum Dei studiosus considerare, illorumque consideratione in scientia Dei sese exercere & oblectare poterit.

Et illud considerandum est, quòd *verbum* & *conscientia* coniunguntur hoc versu. *Verbum* quid est aliud, quàm expressio quædam rerum aliàs absconditarum & secretarum? *Scientia*, est perspicua rerum cognitio. Tolle verbum, præsertim in rebus diuinam maiestatem, sapientiam ac bonitatē cōcernentibus, & vnde dabitur scientia Pulchrè igitur hoc versu *eructationem verbi* & *scientiam* coniunxit, dicens: *Dies ad diem eructat verbum, & nox ad noctem indicat scientiam.* Vis verbi est, vt indicet & manifestet. Vt hoc faciat, opus est vt eructetur. Verbum eructatum indicio suo generat scientiā. Est enim instar lucis. Qui scientiam Dei extinctam cupiunt in terris, eructationem verbi Dei vel opprimunt, vel obscurant, vel inuertunt. Malunt enim regnare in tenebris ignorantiæ, quàm in luce scientiæ Dei cum reliquis fidelibus diuinæ maiestatis adorare sapientiam ac bonitatem.

Vers. 3. Tanta est opificis nostri maiestas, vt hanc etiā silentia prædicent.

Quartò. *Non est sermo, & non sunt verba*, &c] Nequeo hîc non deplorari humani generis corru-
B ptionem. Quę nec sermonem, nec verba habent, & quorum non auditur vox, verbum eructant ad prædicandam opificis gloriam & maiestatem: & homo, cui datum est non solùm esse opus Dei, & verbis intelligibilibus animi sui cognitiones enumare & declarare, prorsus mutus est erga gloriā Dei creatoris sui deprædicandam: aliàs ad quęuis vana, imò nefanda, & gloriam Dei obscurantia, loquacissimus. Sic videlicet creaturæ mutæ, ratione quoque ac sensu destitutæ seruiunt glorię Dei: dum ratione præditi mortales vel muti sunt, vel, quod peius est, dedecorosi creatori suo.

Vers. 4.

Quintò. *In omnem terram egreditur sonus eorum*, &c.] Notanda venit hoc loco cōmunis illa & generalis erga quosuis mortales beneficentia, qua diem, noctem, cœlos, Solē, & quæ alia sunt huiusmodi communiter omnibus vbiq; totius Orbis nationib. impertit, cuius Matth. 5. ad hoc admonemur, vt illā tanquā sinceri filij Dei imitemur. Simul etiā cogitādum est, quàm nulla relinquatur excusatio omnib. illis qui Deū creatorē suū nō agnoscunt, quasi prorsus sit abditus, obscurus, & mutus. Loquitur omnibus etiam in extremis Orbis finibus constitutis: nec loquitur obscuris verbis, quę intelligi neqeant, sed operib. quauis voce clarius insonantibus. Hęc attigit Apostol⁹, Rom. 1.

In eo quòd Apostolus versum hunc quartum ad propositum suum accommodat, vt admoneat tum temporis adeò vocem Euangelij per vniuersum Orbem insonuisse, vt nulla posset excusatio incredulitatis relinqui Iudæis: admonemur primùm, quanta sit bonitas Dei, quæ voluerit: dinde, quanta virtus, qua potuerit per homines indoctos & imbecilles, doctrinam vitæ Orbi incognitā, inter tot impios leones, serpentes ac dracones, vsque ad fines Orbis frustrà renitentibus inferorum portis propagare, vt Apostolus suo iam tempore hunc versum verè citare potuerit. Tertiò, quàm sint inexcusabiles quæcunque nationes terrę, quamuis remotę & extremę. Nulla est autem religio, cui versus iste accōmodari queat, nisi vna illa, & in sempiternum vera, & totius humani generis saluti destinata, quæ est de Christo Iesu vnico Seruatore toti Mundo proposita: id quod & ipsum plurimùm facit ad illius commendationem.

Vers. 5. & 6.

Soli posuit tabernaculum in eis.] Obseruandum hîc est, quanta nos debeamus iucunditate Spiritus gloriam ac dispensationem Christi veri Solis contueri ac deprędicare, ad exemplùm hoc Prophetæ, qui singulari gaudio Solis illius visibilis cōmemorationem cantico suo inseruit. Primùm dicit: *Soli tabernaculum locatum in cœlis*, vnde prodeat, ac terrā illuminet. *Tabernaculum* habitatio est. Hanc habebat in cœlis Christus, verus ille & vnicus Sol, vnde ad terras descēdit, & genus mortalium illuminauit, & hodie quoq; illuminat. Deinde cōparat *Solem sponso è thalamo suo progredienti.* Sponsus Christus est, sponsa Ecclesia: sicuti & ipse, & Ioannes, & Apostolicę literæ loquuntur. Imago Sponsi huius & sponsæ, in Sole & luna proponitur. Tertiò dicit, *Solem instar gigantis indefessi exultare ad currendam viam.* Prolixum iter Solis, ab extremis finibus cœlorum egressum habens, ac reditum rursus ad extremos cælorum terminos. Prolixum iter Christi è summo cœlo in terras istas inferiores, in quas tanquam gigas ad expugnandum Mundi principem satanam descendit, ac rursus ad summitatem

mitatem cœlorum vnde excurreret reuersus est. Quartò, dat *Soli* generalem quandam *calefaciendi vim*. Et Christus vt illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, ita & corda eorum quos illuminat, ardore spiritus sui calefacit & accendit. Hæc considerandа veniunt homini Christiano in imagine illà visibilis Solis, quam hîc Propheta carmine suo proponit. A

7. Lex Domini perfecta, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

8. Mandata Domini recta, lætificantia cor: præceptum Domini lucidum, illuminãs oculos.

9. Timor Domini mundus permanens in secula: iudicia Domini vera, iustificata per omnia.

10. Desiderabilia super aurum & lapidem precio sum multum: & dulcia super mel & fauum destillantem.

11. Etiam seruus tuus admonetur in illis: in custodiendis illis retributio multa.

LECTIO. *Perfecta.*] Ebr. תמימה Græc. ἄμωμος. Vulg. Lat. *Immaculata.* Sic & Felix, & Hieron. Pagninus & Iustinianus legunt: *Perfecta*: reliqui vel *Integra*, vel *Perfecta*, aut *Absoluta* vertunt,

Vers. 8. *Mandata Domini.*] Ebr. פקודי יהוה Græc. τὰ δικαιώματα. Vulgat. Lat. *Iustitiæ.* Hieron. Pagninus, & Iustinianus legunt: *Præcepta* Felix, Campensis, & Felinus: *Mandata.* Tigurina versio: *Decreta.* Zuinglius: *Castigationes*, siue *Mulctæ.* Munsterus: *Commissiones.*

Vers. 9. *Timor Domini Mundus.*] Ebræ. טהורה. Græc. reddidit: ἁγνός. Vulgata Latina: *Sanctus.* Reliqui legunt: *Mundus.*

Iustificata per omnia.] Ebr. צדקו יחדיו. Græc. ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod legi potest, *Simul*: vt est in Ebræo. Vulgat. Lat. *In semetipsa.* ad quem modum legit & Hieron. Pagninus: *Pariter.* Iustinianus & Felix: *Simul.* Campensis: *Modis omnibus.*

Vers. 11. *Etiam seruus tuus.*] Ebr. גם Græc. καὶ γάρ. Vulg. Latina: *Etenim.* Hieron. & Iustin. *Vnde.* & Campensis: *Certè.* Pagninus, Felix, & Tigurina: *Etiam.*

Illud, *Admonemur in illis*: Ebr. est: נזהר בהם. Græc. φυλάσσει αὐτά. Vulg. Lat. *Custodit ea.* Hieronym. *Docebat ea.* Pagninus: *Illustratur in eis.* Iustinianus: *Sollicitus est in eis.* Cãpens. *Docetur per ea.* Felix: *Cautus fuit in ipsis.* Tigurina & Felinus: *Admonetur illis.*

EXPLANATIO. His quinque versibus Propheta magna animi gratitudine ac pietate beneuolentiam illam Dei prædicat, qua populo Israëli singulariter id præstitit, quod reliquis gentibus omnibus negauit, doctrinam videlicet legis suæ: per quam non modò veri Dei cognitionem ac sapientiam acquireret, B sed & mundo corde ac mẽte alacri cognitum Deum coleret & obseruaret. Et hoc beneficium cũ primis populo Dei considerandum à Mose proponitur, Deut. 4. Et ab hoc ipso Propheta, Psalm. 147. & ab Apostolo, Rom 9. Apparet autem voluisse Prophetam ad extollendam singularem hanc gratiam Dei Israëli concessam ea præmittere, quæ communiter omnibus totius Orbis nationibus ob oculos ponuntur: nempe prędicationem cœlorum, dierum, noctium ac Solis, per quam vbiuis terrarum gloria diuinæ maiestatis illustri quidem, haud tamen vocali indicio, sicuti per legem Israëli contigit, extollitur ac celebratur. Ad eum modum & infrà Psal 24. cùm vellet eam commendare singularem gratiam Dei, qua in Israële, monte videlicet Zion, habitationem suam instituit, de eo præmisit, quòd vniuersa terra & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi qui in illo habitant, Domini sunt, tanquam conditoris omnium: admonens interim, quamuis vniuersa terra Domini sit, non tamen illum elegisse sibi vllius loci habitationem, præter vnius montis Zijon: id quod ob eam causam, quemadmodum & hoc Psalmo cantico suo complexus est, vt populum Dei ad considerandum singularem eam gratiam, & ad animi gratitudinem adhortaretur.

Expendimus, qua ratione iam videamus, quomodo legem Dei Propheta extollat. Tribus versibus, 7. 8. 9. primùm illam varijs nominibus appellat, secundum quod etiam variæ sunt illius partes. Vers. 7. vocat eã תורת יהוה: id est, *doctrinam Domini*: eò quòd per illam Israël in cognitione Domini, quidquè agere, & quid vitare deberet, instruebatur. Deinde vocat eam עדות יהוה: hoc est, *testimonium Domini*: propterea quòd de voluntate Domini testatur, & contestationem contra inobedientiam impiorum adiunctam habet. Vers. 8. appellat eam פקודי יהוה: id est, *mandata Domini.* Germanicè. Befelch. Habet enim ea quæ Israëli diuinitùs seruanda mandabantur. Denique vocat eam מצות יהוה: id est, *præceptum Domini*: quòd quædam facienda præcipiat, quædam vetat. Vers. 4. nominat eã יראת יהוה: id est, *timorem Domini*: vel ob id, quòd timorẽ ac cultum Dei docet ac requirit, qui in eo potissimùm est, vt præcepta Dei custodiãtur. Eodẽ versu vocat eam etiã משפטי יהוה: id est, *iudicia Domini*: vel ob id, quòd iura Deo debita inculcat, vel quòd iudicia Domini cõtra trãsgressores cõminatur. Et Psal. 119. præterea vocat legem Dei דרך יהוה: id est, *viam Domini*: & חקי יהוה: " id est, *statuta* vel *ceremonias Domini*: & חדבר יהוה id est, *verbum Domini*: & אמרת יהוה: id est, *eloquium* " *Domini*: & צדקת יהוה: id est, *iustitiam Domini.* Secundo loco, addit hîc epitheta & elogia. Vtpote versu 7. vocat *eam legem perfectam*, vel *integram, absolutam & consummatam*: item *testimonium fidele*: id est, certum, verum ac firmum, cui tutissimè credi possit: *mãdata recta*: id est, nihil minus quàm obliqua, sed plana & æqua: ad similitudinem viæ, quæ plana est & recta. Hinc Iudæi מישור *planiciem* vocant. Præceptum ludicum, quòd nihil habeat obscuri: *timorem mundum*: id est, sincerum, eò quòd Deum puro ac simplici corde timere ac colere doceat: *iudicia vera*: id est, æqua, nihil iniqui habentia. His elogijs Propheta legem Dei tanquam absolutam, fidelem, certam, planam, lucidam, mundam &

A dàm & veracem deprædicat, & perinde extollit atque Paulus, qui eam vocat *sanctam, spiritualem, iustam, & bonam*: Rom 7. dubio procul ad hunc Prophetæ locum respiciens.

Tertiò, & eam legis D. laudē adijcit, quam illa meretur, a b affectu. Est enim illa duplici nomine commendabilis. Primùm in seipsa, tanquam perfecta, certa, plana, Munda, vera, lucida, sancta, spiritualis, iusta & bona: deinde propter illius efficaciam. Enumerat autem operationes illius quatuor. Vers. 7. dicit, *quòd animas conuertat*. Exponitur ista animarum conuersio bifariam. Primùm de resipiscentia, qua mentes nostræ ad Deum conuertuntur. Deinde de recreatione ac refocillatione animi tribulati. quasi idem sit hoc loco *conuerti animas*, atque pacatas reddi. Videtur autem hæc dictio משיבת infrà Psal. 23 hoc sensu accipi. cùm Vates dicit נפשי משובב: id est, *Animam meam restituit & recreauit*. Verùm nihil refert, vtrouis modo legas & intelligas. Nam nec ista animarum recreatio sine resipiscentia nec resipiscentia, modò vera sit, sine hac ratione animarum contingit. *Efficacia legis.*

Deinde eodem versu legem ob id commendat, quòd paruulos erudiat, ac sapientes efficiat. Intelligit autem non ętate, sed & animo & intellectu paruulos. Nec de sapientia Mundi loquitur, sed de ea quæ est ex cognitione Dei. Hac de re Salomon in Prouerbijs suis aliquot capitibus diligenter agit, & Hierem. cap. 9. & Moses Deut. 4.

Tertiò, dicit *legem Dei lætificare corda*: hoc est, animum pij hominis ad ea quæ Deo probantur, promptum reddere & alacrem. Delectantur enim pij lege ac verbo Dei sui, inque eo quo delectātur, magna animi incunditate noctes ac dies meditantur, ac meditantes exhilarantur. *Vers. 8.* *Psal. 1.*

Quartò, dicit *illam illuminare oculos*; mentes videlicet: hoc est, intellectum dare, & cognitionem cùm Dei, tùm nostri ipsorum: id est, tàm D. voluntatis, quàm nostræ corruptionis: & prętera dat etiam rerum agendarum intellectū, ne homo sit sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Paulus nescisset concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset: *Non concupiscas*. *Rom. 7.*

Hactenus efficaciam legis commendauit, consequenter versu 9. redit ad ea quæ legem primùm propter perpetuitatem, deinde iustificationem commendāt. Timorem Dei, quam lex docet & requirit, dicit esse permanentem in secula: hoc est, requiri eum ab omnibus mortalibus vsque in seculum. Sicut & Salomon dicit: Deum time, & mandata eius obserua: hoc est, omnis homo. *Vers. 9.* *Eccles. vlt.*

Deinde & Deo perpetuò probari, si timeatur ab hominibus, quicunque illi sint. Vnde & Petrus dixit, Act. 19: In omni gente qui timet Deum, acceptus est illi.

Eodem versu dicit, *iudicia Domini per omnia*, vel (vt quidem legunt) *simul esse iustificata*. Hoc est, omnia ea quæ lex Deo tribuit iura & iudicia, nihil in se prorsus habere iniqui, sed esse talia, quę cuncta summam iustitiam & æquitatem spirent. Hinc est, quòd Paulus legem Dei iustam esse dixit, & bonam: Rom. 7.

B Vers. 10. commendat legem Dei ab vtilitate pariter & incunditate. Ad vtilitatis commendationem pertinet, quòd extollit precium illius super aurum & lapidem precioſum multum Aur & lapidum precioſorum æstimatio reliquis terrenis bonis prætertur in seculo. Vt igitur legis D. thesaurum supra cuncta terrena extollat, dicit eam esse talem, quæ magis debeat appeti, quàm vel aurum vel lapides precioſi. Sic & infrà Psal. 119. dicit: Lex oris tui super mille thesauros auri & argēti. & Salomon Prouerb 3: Melior est acquisitio eius negociatione auri & argenti. Ad iucunditatem ac suauitatem legis D. quam spiritus hominis pij in meditatione D. legis experitur pertinet quod dicit: Et dulcia super mel & fauum distillantem. Quid dulcius melle? *inquiunt illi* Iudic. 14. qui problema Samsonis soluebant. Igitur Propheta, vt legem Dei diceret menti piorum omnium esse iucundiſsimam, supra id eam extollit, quo nihil ori comedentis dulcius esse poterit. *Vers. 10.*

Vers. 11. seipsum ponit exempli vice, vt qui sit vtranque istam & vtilitatem & suauitatem legis D. expertus: ne putetur præter experientiam de rebus adeò magnis disserere. Et vt exprimat cordis sui affectum, quem erga ipsum legislatorē Deum habebat, sermonem ad ipsum conuertit, dicens: *Etiam seruus tuus admonetur in illis, in custodiendis illis retributio multa*. Sed videamus iam, quæ sint in hiſce quinque versibus obseruanda. *Vers. 11.*

Lex Domini perfecta.] Quæri poterit hoc loco, quomodo legem Propheta dicat esse perfectam, cùm illam Apost. nihil ad perfectionem adduxisse scribat. Verùm legis perfectio dupliciter consideranda est. Primùm in seipsa, vt intelligamus omnia contineri in illa quæ ad perfectam ac solidā pietatem pertinent. Sic vtiq; lex perfecta est, etiam quatenus est in litera occidente. Hactenus etiā sancta, iusta & bona est. Deinde & in efficacia legis consideranda est ista perfectio, an discipulos suos perfectos reddat. Hìc planè verum est quod Apostolus dicit, legem nihil ad perfectionem adduxisse. Per carnem enim infirmatur, quæ in se firma est, & perfecta. Et aliud est, non esse perfectum: & aliud nihil ad perfectionem adducere: sicut aliud est, esse musicum imperfectum: & aliud, neminē ex discipulis perfectum reddere musicum: id quod etiam perfecto musico accidere potest. Errant illi plurimùm, qui putant Christum Matth. 5. legi adijcere quædam tanquam imperfectæ: cùm nihil illi adijciat, sed sensum ac spiritum illius contra Pharisæorum deuterosim exponat. Sed hac de re in Matthæo nostro. OBSERV. *Vers. 7.* *Lex perfecta, & tamē ineffica.* *Ebr. 7.* *Rom. 8.*

Conuertens animas.] 1. Principiò notandum est, quòd non dicit, *Conuertēs ora, facies, vestitus*: sed, *Conuertens animas*. Hæc enim vera demum est resipiscentia, qua corda conuertūtur. Per hanc enim homines verè mutantur, & alij redduntur.

2. Deinde & illud notandum est, quòd dum legi Dei *conuersionem animarum, sapientiam paruulorum, exhilarationem cordium, & illuminationem oculorum* tribuit, satis indicat, extra verbum Dei omnes omniū animas à Deo esse auersas, stultas, expertes veri gaudij, & prorsus cęcas: atq; ita fortiſsimè omnem huius Mundi iustitiam, religionem, sapientiam, intelligentiam, & quascunq; delicias reijcit.

igitur

Quæ igitur insania est, quòd cùm nemo non cupiat esse verè felix, sapiens ac intelligens, non ibi A
quærimus ista, vbi sic sunt reposita diuinitùs, vt alibi inueniri nequeant?

3. Tertiò, oritur hîc quæstio, quomodo ista legi Dei Propheta adscribat, quòd corda immutet, animos exhilaret, paruulos erudiat, & oculos illuminet: cùm tamen diuersum in Israële populo legis huius appareat. *Act. 7.* Nemo enim obstinatior eo populo fuit vnquam, qui semper Spiritui sancto restitit, & non præter rationem duræ ceruicis populus, & Deo perpetuò contradicens vocatus est. Et Moses ipse Deut. 29, dixit ad eum vsque diem non dedisse Deum populo illi cor intelligendi, oculos videndi, & aures audiendi: cùm tamen illi legem suam dedisset. *Rom. 4. 7.* Et Apostolus legi Dei operationem iræ tribuit: *1. Cor. 15.* & peccatum per legem reuixisse dixit, *2. Cor. 3.* & eã ob causam legem hanc legem mortis, & alibi virtutem peccati, literam occidentem, ac ministerium illius, ministerium mortis & condemnationis vocat. Videntur ista parùm conuenire cum istis prophetæ huius elogijs, quibus legem Dei ab operationis suæ efficacia commendat: nisi dicturi sumus, de alia lege Patrem, ac de alia Apostolum loqui.

Respondeo. Primùm Propheta non loquitur hîc de alia lege Dei, quàm de qua loquitur Apostolus: nempe, quam populo suo Deus per Mosen, tanquam precios̃issimum thesaurum dedit. Et hoc satis indicant voces illæ משפטיו ירא מצוה תורה עדות מקודיו.

Deinde, loquitur Propheta de ea legis efficacia, quę reperitur in regeneratis, ad quam etiam data est nempe ad vitam Rom. 7. In illis operatur lex Dei, per spiritum Dei, hæc omnia: non quatenus in litera est & tabulis lapideis, sine spiritu, sed vt est cordibus credentium digito Dei inscripta. Hactenus videlicet in istis operatur, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis, lætificans corda, & illuminans oculos: hactenus vtilissima est, & iucundissima. Quæ verò Paulus legi Dei tribuit, de quibus nõnulla attigimus, respiciunt eam efficaciam, quam operatur in hominibus carnalibus, spiritu Dei vacuis, vbi nihil aliud est quàm litera occidens. Illis scilicet lex Dei, quantumuis sancta, bona, recta, iusta, delectabilis in se ac pijs, dura est & grauis. Hosce excæcat, obstinatos reddit, & in conscientijs angustiatos. Si inciderit in hominem hypocritam & iustitiarium, illum reddit arrogantem, superbum, seuerũ, immisericordem erga delinquentes infirmos, & obstinatissimum Euangelicæ gratiæ hostem. Si nacta fuerit peccatorem, aliquo saltem conscientię sensu præditum, hunc mirum in modum grauat, terret ac deijcit, licet sit & mitissima & optima At hactenus Apost. legem Dei contra hypocritas & iustitiarios gratiæ & iustitiæ fidei hostes extenuat, vt efficaciam spiritus per legem fidei sese exerentem extollat, tam non diuersus à sententia Propheta huius, vt planè ad eundem scopum collimet. Itaque diuersitas operationum legis Dei tàm non facit legem in se diuersam, quàm Sol diuersus non est, licet aliorum oculos lædat, aliorum contrà illuminet: B
nec medicina diuersa est, quamuis quibusdam ęgrotis bene, quibusdam verò malè conueniat: nec Christus alius atq; alius in se est, tametsi alijs ad ruinam, alijs contrà ad resurrectionem faciat. Nec dissident à seipsis Apostoli, propterea quod alijs sunt odor vitæ ad vitam, & alijs odor mortis ad mortem.

4. Quartò, obseruandum est, quòd legem Dei vocat *testimonium Domini*. Hoc loco debet & nobis esse quodcunq; verbũ Domini, per quod & diuinæ erga nos voluntatis testimonium accipimus, & conscientiæ nostræ omni excusatione priuãtur. Si testimonium viri veracis ac fide digni, magni censetur momenti: quantò magis testimonium Dei, qui solus ita verax est, vt mentiri nequeat, digniss̃imum est, quod fidem in cordibus nostris inueniat. Vnde & adiectum est elogium, quòd sit fidele. Est itaque singularis hic diuini verbi vsus, vt de volũtate & gratia Domini erga nos, tanquam certiss̃imo omniũ testimonio in cordibus nostris persuasi, certi reddamur: id quod & prorsus hîc vsuuenit apud eos, qui fide verbo Dei adhærent. Procul igitur adijcienda est detestabilis illa dubitationis doctrina, quam sophistæ ecclesijs Christi obtruserunt.

5. Quintò: *Sapientiam*, inquit, *præstans paruulis.*] Considerandum hîc est, quæ sit, & vnde, & quorũ, vera sapientia. De sapientia multis disputant huius Mundi sapientes: sed si rem ipsam rectiùs introspicias, habent illi non veram sapientiam, sed magis spectrum quoddam sapientiæ, omnium inaniss̃imum, ante oculos, cui omnem, eam laudẽ tribuunt, quæ veræ sapientiæ debetur: perinde facientes, atque si quis honestæ matronę encomia tribuat vaniss̃imo scorto. Videmus hîc sapientiam veram esse in eo, vt custodiamus ea quę verbũ Dei fideli nobis testimonio proponit. Ea sunt autem, fides, dilectio Dei & proximi, timor Dei, cultus Dei, inuocatio diuini nominis, & si quæ sunt alia huiusmodi Deinde hęc sapientia non oritur ex humanę rationis industria, sed ex diuino testimonio. Tertiò, non est magnorum, potentum ac sapientum huius Mundi, sed paruulorum, infirmorum ac stultorum. Vnde hic nõ dixit simpliciter, *Sapientiam præstans*: sed adiecit *Paruulis*. Vide Matth. 11: Quoniam abscondisti hæc à sapientibus ac prudentibus, ac reuelasti ea paruulis. Et 1. Cor. 1: " Non multos nobiles, &c. Et Esa. vlt. Super quem requiescam, nisi super humilem, &c. Si hæc vera " sunt, certa sunt, theologica sunt: quid aliud sequitur, quàm nihil esse minus, quàm sapiẽtes eos qui in hoc Mundo videntur esse sapientiss̃imi: & tam non debere mirum videri, quòd qui iuxta seculum magni sunt & sapientes, sapientiæ verbi Dei repugnant: vt magis admiratione dignum esse debeat, si ex illis quispiam veritati verbi Dei fauere deprehendatur.

OBSERV. *Mandata Domini recta*: item, *Præceptum Domini lucidum.*] Obseruandũ est hoc loco, quòd legem Dei
Vers. 18. rectam: id est, planam & æquam, & lucidam vocat. Ergo proditur & culpatur naturę nostræ corruptio, propter quam fit, vt lex plana videatur difficilis ac torta: & lucida cùm sit, videatur obscura. Illic dicimus: Mandata Domini sunt difficilia & molesta, non possumus in illis ambulare. Vox hæc podagricorum est, quibus via plana etiam, molesta est ad ambulãdum. Hîc dicimus, Lex Dei ob-

scura

A scura est, superat captum nostrum, non intelligimus eam. Vox ista cæcorum est, claritatem cœlestis præcepti non videntium. Contra istorum sententiam Spiritus S. in regeneratis dicit: *Mandata Domini recta: & Præceptum Domini lucidum.* Deinde vocib. istis: *Lex Domini, Testimonium Domini, Mandata Domini, Præceptum Domini,* admonemur paternæ prouidentiæ ac diligentiæ, qua populum suum Deus ad se conuertit, sapientem reddit, exhilarat & illuminat. Quid enim aliud volunt hæ voces, quàm diuinam erga nos beneuolentiam exprimere, qua secundum dictum Prophetæ manus suas tota die ad populum suum docens, testificans, mandans, & præcipiens, expandit?

Tertiò expendamus etiam hic qualitatem tàm mandatorum Dei, quàm piorum hominum, in eo quòd mandata Dei corda exhilarare dicit: *Mandata Domini recta,* inquit, *lætificantia cor.* Mirabile sanè mandatorum genus, quib. corda mortalium lętificantur: & mirabile genus eorum hominum est, qui non mandando, sed mandata accipiendo exhilarantur. Sic enim naturâ comparati, imò corrupti sumus, vt magis delectemur alijs mandando, quàm mandata à quoquam accipiendo: magis exhilaremur imperando, quàm imperantib. obediendo. Imperare siquidem, augustum & glorioſum: obedire verò, seruile ac miserum esse iudicamus. Qualia sunt igitur ista mandata, quib. mortalium corda cum gaudio sese submittunt? & quales illi sunt, qui mandatis acceptis exhilarantur?

Primùm, mandata ista talia sunt, vt per ea diuina possit intelligi beneuolentia: talia sunt, vt ad vitam faciant. sicut Apost. dicit: Et mandatum mihi datum erat ad vitam. Hoc ipsum enim quòd DEVS mortalib. mandata præscribit, φιλανθρωπίας ipsius est indicium. Nisi enim diligeret, non præciperet. Deinde & talia præcipit, quæ perinde sunt, atque medicorum præcepta, quorum finis est vita. Tertiò electi ac pij, quorum corda mandatis Dei lætificantur, conuersi sunt, sapientes sunt, oculos habent apertos, vt & qualitatem mandatorum Dei, & simul mandantis consilium & beneuolentiam intelligant. Itaq; hisce de causis videmus non esse mirum, quòd mandata Dei corda piorum lætificant: sed id potius insolens & mirum debere videri, quòd tam multi sunt, qui mandatis Dei non lætificantur, sed magis grauantur.

Conferenda sunt etiam hoc loco mandata hominum ac traditiones, ad istam mandatorum Dei qualitatem & efficaciam. Mandata Domini sunt recta, ac plana: hominum, obliqua, intricata, perplexa & contorta: mandata Dei lætificant cor, hominum verò contristant ac perturbant: præcepta Dei lucida sunt, hominum obscura & caliginosa: præcepta Dei illuminant oculos, humana præcepta hypocrisi & vana specie & opinione excæcant. Quòd si quis ista negat, reliquum est, vt eandem gloriam tribuat humanis præceptis ac traditionibus, quæ mandatis Dei debetur. quisquis hoc facit, reipsa verum esse declarat, quòd traditiones ac præcepta humana non illuminare oculos, sed excęcare dico. id quod illis quoq; contigit, ad quos Christus dicebat: Vos irrita facitis mandata DEI, propter traditiones vestras.

B *Timor Domini mundus.*] Quærendum hîc, quomodo timorem Domini deputet eorum obseruantiæ præceptorum, quæ versu præcedenti *corda lætificare* dixit. Videntur ista parùm inter se conuenire, gaudium videlicet cordis, & timor eâdem in re & erga eundem legislatorem. Sic habet in rebus humanis, vt ij potissimùm timeant, qui conscientiam peccati sentiunt in corde: diligant verò, qui cum gaudio imperata faciunt. At hîc videmus non solùm diligere pios, quorum corda mandatis Dei lætificantur, sed & timere. Verùm vt significetur timoris huius qualitas, adiectum est, quòd sit *mundus,* ad discernendum ab eo qui immundus est: i. e. seruilis: qui prorsus in eo pectore locum non habet, quod obseruantia mandatorum Dei delectatur. Sed hac de re vide suprà Psal. 2. ibi: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. OBSER. *Vers.* 9.

Deinde & illud expendendum est, quòd *timorem hunc* perpetuò permanere dicit. Iterum discriminatur inter *timorem seruilem,* & hunc quem *purum* vocat. Qui seruiliter timet, tamdiu timet, quamdiu periculi ac pœnæ manet respectus: vbi verò nihil amplius putauerit esse periculi, timorem mox abijcit, & securitate quadam præpostera commutat. Qui verò non seruiliter timet, sed timore casto, puro, ac sincero præditus est, qualis est castæ matronæ erga maritum, & filij ingenui erga parentem: quia non metu pœnæ, sed spiritu charitatis DEVM timet, illius sanè timor constans est. Sic populus Dei per secula DEVM suum tàm prosperis quàm aduersis rebus timet: id est, colit & obseruat.

Sed videtur Apostolus diuersum sentire, cùm Romanos 8. dicit: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Apparet eum timorem hunc deputare veteris Testamenti populo, ac seiungere ab illis qui sub noui sunt Testamenti gratia. *Respondeo.* Spiritus ille timoris, de quo loquitur Apostolus, eorum est, qui adhuc sub lege sunt tanquam pædagogo, & nondum sub gratia, de quo non loquitur hîc Propheta. Hic certè non permanet diutiùs, quàm tantisper dum spiritus CHRISTI & filiorum DEI pectora adflauerit. At timor ille Mundus, de quo canit Propheta, nihil aliud est quàm sincera & pura obseruantia cœlestis Patris, qua prædita sunt vtriusque Testamenti conuersorum, lætificatorum & illuminatorum corda. Quapropter nulla est inter Prophetam & Apostolum discrepantia.

Tertiò, nec illud transeundum est quòd de *iudicijs Dei* prædicat, esse *vera,* & per omnia *iustificata.* Obseruandum hîc est, quid requirendum sit à iudicijs: hoc videlicet, vt sint vera, & per omnia iusta. Reijcitur ergo omnis falsitas & iniquitas. Quapropter nemo minus aptus est ad iudicandum, quàm ij qui vel per ignorantiam, cognitionem rerum de quibus iudicandum est, non habent, vt verè & rectè iudicare possint: vel cognitam veritatem fraude & iniquitate pessundant, & data opera iniustè iudicant.

Ad hæc, quod DEVM concernit, videmus hîc illi tribui, quòd sit gnarus reum omnium, de-

inde & iustitiæ amans ac studiosus. Nisi enim talis esset, nec verè, nec iustè iudicare posset. Et illud A
obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, *iustificata esse iudicia Dei*: sed addit, *Per omnia*. Ergo iustitia Dei non est temporaria, non est particularis, non est imperfecta, & inconstans: sed perfecta, plena, & perpetuò sibijpsi constans. Habent ista iudicia Dei peculiaria præ omni humano iudicio. Licet enim reperias iudicem, qui aliquando verè ac iustè iudicet, talem tamen nunquam reperias inter homines, cuius iudicia per omnia vera sint ac iusta.

OBSER. Verſ. 10. *Desiderabilia super aurum*, &c.] Expendamus hoc versu iudicium ac sententiam pij hominis, quàm ille diuersum sentiat à iudicio non vulgi modò, sed & eorum qui videri volunt admodum sapientes. Hic dicit, legem ac verbum Dei præstare non auro modò, sed & lapidibus preciosis admodum. Qui secundum seculum sapiunt, omnes suas diuitias collocant in auro, & lapidib. preciosis id quod ferè faciunt huius seculi principes, qui subinde subditis expilatis, pro exiguo lapillo ingentem pecuniarum summam expendunt, imò profundunt. Pius verò sine vlla pecunia thesauros colligit, omnibus huius Mundi opibus præstantiores. Sic fit, vt pauperculus aliquis iuxta seculum maximis regibus sit opulentior. Habent enim illi opes perituras, iste perpetuas: illi terrenas, iste cœlestes: illi quas fur vel latro quisquam auferre, iste quas nemo, ne portæ quidem inferorum, abripere potest. Verùm hunc diuinæ legis thesaurum nemo agnoscit, nisi possideat: possidetur autem non nisi à fidelibus, ac regeneratis. Carnales vt illius sunt expertes, sic eum agnoscere non possunt, quia sensu spiritus ac fidei destituuntur. Quapropter accidere videmus, vt qui acquisito cœlesti thesauro, fastidio terrenarum opum afficiuntur, à sapientibus ac prudentibus huius Mundi quasi inepti ac stulti rideantur.

Deinde & illud cogitemus: *Et dulcia*, inquit, *super mel & fauum*. Extollit suauitatem interni hominis, è gestu diuinæ legis conceptam, supra suauitatem externi oris, quam adferunt ea quæ videntur esse dulcissima. Hanc collationem non potuisset facere Propheta, nisi vtriusq; dulcedinis periculum fecisset. Ita nemo poterit excellentiam cœlestis ac spiritualis dulcedinis, item & opulentiæ, supra terrenam terrenarum rerum suauitatem extollere, nisi & illius imperfectionem, & huius perfectionem per experientiam cognouerit.

OBSER. Verſ. 11. *Etiam seruus tuus admonetur in illis.*] Primùm notandum est, quòd non dicit, *Iustificatur in illis*: sed, *Admonetur in illis*, cautus per ea redditur. Non discrepat à seipso Spiritus sanctus in scripturis Propheticis & Apostolicis. Apostolus disertè dicit, non esse iustitiam ex lege. Alioqui CHRISTVS inaniter fuisset mortuus, & vana esset omnis promissio. Rectè itaq; nec Propheta legi tribuit, quòd in illa sit iustificatus.

Deinde obseruandus hic vsus mandatorum DEI, quo se admonitum fuisse, ac cautum factum esse dicit. Erant illi studium diuinæ obseruantiæ, & verę pietatis & iustitiæ. Verùm quoniam adhuc B
agebat in carne, accidebat subinde, vt sibijpsi excideret, & nonnihil à tramite viæ DEI declinaret. Hîc succurrebat illi vsus verborum ac mandatorum DEI, vt admoneretur, & velut è somno quodam excitaretur. Primus vsus verbi DEI est, vt doceantur ignorantes. Alter est, vt scientes ea quæ Dei sunt, subinde admoneantur, ac delinquentes corrigantur, & ad viam reuocentur. Sic Apost de S. Scripturis loquitur 2. Tim. 3.

Tertiò, nec illud præter rationem est, quòd non simpliciter dicit, *Et ego admoneor in illis*: vel, *Omnes admonentur in illis*: sed, *Seruus tuus admonetur in illis*. Non enim mox omnes vel lectione, vel auditu, siue quacunq; recordatione mandatorum DEI admonentur, & ad viam reducuntur: sed ij tantùm, qui vt serui Dei, timore & obseruantia Dei tenentur.

Quartò, consideremus etiam hîc personam Prophetæ. Erat rex populi Israëlis, & hactenus quoque seruus Dei. Agnoscit hoc, cùm se *seruum Dei* vocat: & tam abest, vt se putet propter regiam maiestatem ab obseruantia mandatorum DEI exemptum, vt fateatur se esse seruum Dei, & mandatis illius plus quàm cæteros obstrictum. Vide Deut. 17. quid regi hac de re præcipiatur.

Quintò: *In custodiendis illis*, inquit, *retributio multa*. Obseruanda hîc est Ebræa dictio עקב, quæ omne illud significat, quod finem vel operis alicuius, vel studij perinde atq; fructus quidam consequitur, siue illud studio quæratur, siue non quæratur: imò etiamsi operans nolit, vt sequatur: ad quem modum fructus mali operis, etiam non quæsitus, sic sequitur, vt vitari nequeat sed inuitos quoq; apprehendat. Ad hunc modum & illorum studium, qui mandata Dei diligunt & custodiunt, fructus: i.e. vtilitas non mediocris, sed ingens sequitur, etiamsi illi respectum retributionis alicuius non habeant, sed simplici ac sincero corde in via mandatorum Dei currant, vnum hoc spectantes, vt Domino Deo suo gratificentur.

12. Delicta quis intelligit? ab occultis munda me.

13. Etiam à temerarijs cohibe seruum tuum, ne dominentur mihi: tunc integer ero, & mundabor à transgressione magna.

14. Complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo, Domine rupes mea, & redemptor meus.

LECTIO. Verſ. 12. Verſ. 13. *Delicta quis intelligit?*] Ebr. שגיאות. Græc. παραπτώματα. Vulga. Lat. *Delicta*. Hier. Iustin. Pag. Felix, & Tigurina, legunt, *Errores*.

Etiam à temerarijs cohibe seruum tuum.] Ebr. גם מזדים חשוך עבדך Græc. καὶ ἀπὸ ἀλοτρίων φεῖσαι τοῦ δούλου σου. Vulg. Lat. *Et ab alienis parce seruo tuo*. Hieron. *A superbis quoq; libera seruum tuum*. Iustin. *Ab arrogantijs quoq; libera seruum*. Pag. *Etiam à superbijs prohibe seruum tuum*. Felix: *Etiam à superbis contine seruum tuum*. Tigurina: *Quin & flagitia auerte à seruo tuo*. Sic legit & Felinus.

Ne do-

A *Ne dominentur mihi: tunc integer ero.*] Sic habent Ebr. Græc. verò & vulg. Lat. sic legunt: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero,* &c. ad quem modum legit & Hier.

Et mundabor à transgressione magna.] Ebr. וְנִקֵּיתִי מִפֶּשַׁע רָב: i e. *Et innocens ero* aut si sic dicere liceret: *Innocentificabor à transgressione magna.* Sic Tigurina: *Et innocens ero.* Reliqui verò omnes, Græc. quoq; & vulg. Lat. & Arabs etiam per verbum *mundandi* vertunt. Cæterum illud: *A' transgressione magna,* Græc. vertit: ἀπὸ ἁμαρτίας μεγάλης. i.e. *A' peccato maximo.* Vulgat. Lat. *A' delicto maximo.* Sic & Hier. Iustin. *A' culpa multa.* Pag. *A' præuaricatione magna.* Felix: *A' transgressione maxima.*

Complaceant eloquia oris mei.] Ebr. יִהְיוּ לְרָצוֹן. Græc. ὡς ἔστω εἰς εὐδοκίαν. Vulg. Lat. *Et erunt vt complaceant.* Hier. *Sint placentes sermones oris mei.* Iustin. *Sint ad placendum.* Pag. *Erunt ad voluntatem.* *Vers.* 14.

Quoniam præclara & insignia quædam de lege Dei cecinit. videlicet, quòd sit perfecta, fidelis, recta, lucida, munda, vera & iustificata, deniq; animas conuertat, corda lętificet, paruulis sapientiam prętet, oculos illuminet, super aurum & lapides pręciosos desiderabilis, & melle quouis dulcior sit, quodq; per hanc admoneatur & cautus reddatur, & quòd custodientib. illam magna retributio cõtingat: rectè iam de propria infirmitate & corruptione admonitus, qua fiebat vt legis diuinæ perfectioni haudquaquam responderet, peccatorum suorum, delictorum, iniquitatum ac transgressionũ, non modò quarum conscius sibi ipsi erat, sed & occultarum remissionem orat, dicens: *Delicta quis intelligit?* q. d. Lex quidem DEI perfecta in se est, &c. Verùm quis adeò perfectus est, vt contra illam non peccet? imò quis adeò cautus & suijpsius obseruans est, vt delicta sua, quib. quando, & quomodo ab hac D. legis perfectione præuaricetur, intelligat? Q. d. Talis ego non sum. Scio me plura delinquere, quàm ipse intelligam. Quapropter obsecro Domine, velis ignoscere peccatis meis, & ab illis quoq; mentem meam repurgare, quorum conscientia & sensu non tangor. Hoc sentio esse occultum quoddam virus in me, cuius maliciam nunquam satis obseruare possum. EXPLANATIO. *Vers.* 21.

Versus 13. cùm dicit: *Etiam à temerarijs cohibe seruum tuum:* auxesim habet confessionis propriæ corruptionis. Q. d. Quid de occultis loquor? Scienter, prudenter, ac temerè pecco, ac mandata tua enormiter transgredior. Etiam hinc me Domine libera, ne tam grandi malicia perdar. succurre, ne illa mihi dominetur. Si me ab illa liberaueris, integer ero, & enormi transgressione liber. *Vers.* 13.

Versu postremò commendat se gratiæ ac beneuolentiæ Dei, orans vt eloqu'a oris sui Deo probentur. Et ne de verbis obiter in ore natis loqui videatur, quorum nulla apud Deum habetur ratio, subiungit: *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo.* quib. verbis significat, se non hypocritarum more verbis cum DEO ludere, sed intimis cordis sui affectib. loqui. Subijcit: *Domine rupes mea, & redemptor meus.* His verbis fontem aperit omnis studij sui erga Deum, & precationis huius, qua delictis suis ignosci petit. Omnia hæc promanabant ex fide ac fiducia erga DEUM, qua credebat se DEUM habere rupem ac redemptorem: & hac fide totus ab illo, vt à tali, pendebat. *Vers.* 14.

Delicta quis intelligit?] Principiò notandum est, quòd delictorum suorum admonetur Propheta, vbi de diuinæ legis perfectione, puritate, & efficacia loquitur. Sic solent pij, quoties vel in Deo, vel lege Dei, aut in iusto aliquo homine veræ iustitiæ puritatem contemplantur, confestim propriæ infirmitatis, impuritatis & corruptionis admoneri. Cùm Petrus diuinam quandam virtutem in Christo expertus esset, mox peccatorum suorũ admonitus dicebat: Exi Domine à me, quia homo peccator sum. Paulus Roma. 7. cùm de lege Dei disputaret, quàm illa sit sancta, iusta, & bona, statim subijcit de carnis suę corruptione & querimoniam & confessionem. Verùm pharisaica hypocrisis longè aliter comparata est. Ille repetit vbiq; vnde supercilium propriæ iustitiæ erigat & iactet. Deinde obseruandum est, quòd non dicit, *Quis non delinquit?* vel, *Delicta quis non habet?* sed, *Delicta quis intelligit?* Notatur hic occultum illum malum, peccatum sc. ex origine generis humani contractum, latès in viscerib. nostris, & ipsam naturæ nostræ medullam, & intimos abstrusissimosq; recessus ac reconditam affectuum sedem ac matricem occupans, vnde cogitationes cordiũ nostrorum sic inficiuntur clanculùm & impurantur, vt dum nostro iudicio, nescio quę bona mente concipimus, si rectè inspiciantur, errare ac delinquere deprehendamur, antequam errare nos intelligamus. Agnoscit hoc in se ipso Propheta, ac deplorat in conspectu Dei. Nec simpliciter in se agnoscit ac deplorat, q. priuatim quoddam malum: sed tanquam omnib. mortalib. commune. Neq; enim dicit, *Delicta non intelligo:* sed, *Delicta quis intelligit?* Admonemur ergo omnes, vt quisq; in se exemplo hoc Dauidis, corruptionem cordis ac renum suorum obseruet, certus inesse sibi occultum hoc venenum, quo omnia cogitata, dicta & facta citiùs inficiantur, quàm obseruari possit. Hæc persuasio reddit animum cautum, & sui ipsius studiosissimè obseruantem: sic vt omnes suas cogitationes perpetuò suspectas habeat: ne dũ nimium placent, incautum fallant, & à vera iustitia abducant. Tertiò, nec verbum *intelligendi* prætergrediendum est. Nam illo Propheta innuit, eiusmodi se studio cauere ne quid peccet, vt nolit scienter delinquere: atq; ideo de hoc queri, quòd peccata præter scientiam non intelligenti obrepunt. Qui hoc studio præditus non est, haud admodum ea quoq; peccata cauebit, quæ scienter ac prudenter committuntur. Sic animati sunt illi, qui verè & ex animo quod malum est & noxium, vitare cupiunt, vt non modò à manifesto sibi, sed & ab occulto malo timeant. Qui verè sanus esse cupit, non modò manifestam, sed & occultam valetudinis suæ læsionem timet. Qui bonis suis priuari non vult, magis aliquanto fures occultos quàm manifestos deprædatores timet. Sciunt enim tales non minus lædi se occultis detrimentis, quàm manifestis. Non potuit videre Dauid quantum peccaret numerando populum: nec Ezechias intelligebat delictum suum, cùm nuncijs Chaldæorum thesauros suos ostenderet: nec Saul, cùm regem Amalechiarum: neq; Achab, cùm Benadab regem Syriæ viuum seruaret: nec Oza, cùm extensa manu arcam Dei nutantem teneret. Verùm ipsa experti sunt, quòd deliquissent in Dominum. OBSER. *Vers.* 12. 2. *Sam. vlt.* 2. *Reg.* 20. 1. *Sam.* 15. 1. *Reg.* 20.

Quartò: *Ab occultis*, inquit, *munda me.*] Primùm illud obseruandum est, quòd non dicit: Cùm ergo nemo delicta intelligere queat, sed in omnib. illa clanculùm sic obrepant, vt vitari nequeant, quomodo ergo illa cauere potero? Quid mihi impingeretur, quod & omnib. communiter accidit, & à nemine mortalium caueri potest? Longè aliter animatus est vir Dei. Agnoscit sibi meritò etiam occulta delicta imputari, perq; illa effici, ne planè innocens esse possit. Ideo non simpliciter dicit, *Ab occultis libera me*: sed, נקני: id est, *Innocentem me redde.* Ergo & occulta delicta innocentiam adimunt, Non erat innocens Saul. cùm Ecclesiam Dei per ignorantiam persequeretur. Et nihil facit ad extenuationem peccati, quòd communi omnium morbo laboramus. Deinde notandum & hoc est, quòd Deo tribuit scientiam *occultorum delictorum*, quæ nos ipsi intelligimus. Vocat *delicta* quædam *occulta*, eò quòd ipsi delinquenti sunt incognita: & tamen orat Deum, vt illa condonet: quod absurdè diceret, nisi Deum secretorum cognitorem esse sentiret. Hic in Scripturis vocatur cordium ac renum scrutator. Cogitemus itaq;, non posse nos celare eum consilia nostra, quantumuis secreta, cui etiam ea nota sunt, quæ nos latent. A

OBSER. Vers. 13. *Etiam à temerarijs*, &c.] 1. Principiò obseruemus hîc, neminem esse adeò sanctum, iustum, ac singulari dono spiritus præditum, qui nequeat non simpliciter modò, sed & enormiter ac temerè peccare. Agnoscit hoc Propheta, ideoq; non hoc tantùm orat, vt ab occultis mundetur, sed simul & illud petit, vt cohibeatur, ne in temeraria peccata & enormem aliquam transgressionem incidat. Et res ipsa declarat, quàm non frustrà fuerit hoc metu præditus. Incidit enim in satis enormia crimina, adulterij & homicidij. Simul & illud cogitemus: Si vir iste, tanto studio cauendorum scelerum præditus, quamuis magnopere orauerit, vt cohiberetur per diuinam gloriam à temerarijs peccatis, imò ab occultis quoq; & ignotis mundaretur, nihilo tamen minus in tam grandia & enormia scelera incidit: quid putabimus nobis euenire non posse, quantumuis temerarium & flagitiosum, qui tam nullo cauendorum peccatorum studio præditi sumus?

2. Deinde & *cohibendi* verbum notandum est: *cohibe*, inquit, *seruum tuum.* Aliud est, obiter per infirmitatem vel ignorantiam in peccatum labi: & aliud, propendere, & quasi impetu quodam ferri ad peccandum. Sic habet autem naturæ nostræ corruptio, vt necesse habeamus coerceri à peccatis: perinde atq; phrenetici & mente capti cohiberi solent, ne seipsi vel in aquam, vel in ignem, aut aliàs præcipites abijciant.

Ioan. 8. 3. Tertio: *Dominentur*, inquit, *mihi.*] Videmus hîc, quid metuendum sit peccantibus. Non simplicem aliquem lapsum metuit Propheta, sed durissimam peccati seruitutem. Contra hanc orat, dicens: *Ne dominentur mihi.* Sic Christus dicit: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Ad huiusmodi seruitus malè conuenit seruo DEI. Vnde rectè non dicit, *Cohibe me*: sed. *Cohibe seruum tuum, ne dominentur mihi.*

4. Quartò: *Tunc integer ero*, inquit, *& mundabor à transgressione magna.*] Obseruandum est hoc loco, quæ sit, & vnde constet electorum iustitia, integritas & innocentia. Non est ipsorum propria, neq; ex ipsorum viribus. sed hæc est illorum iustitia, quòd per gratiam DEI mundantur, cohibentur, ac liberantur à peccatis. Tunc innocentes sunt & iusti, quando per gratiam DEI gratis accepta peccatorum remissione iustificantur. Rectè igitur postquam dixit: *Ab occultis munda me, & à temerarijs cohibe seruum tuum*: subiecit, *Tunc integer ero, & mundabor à transgressione magna.* B

OBSER. Vers. vltim. *Complaceant eloquia oris mei*, &c.] 1. Primùm illud notemus, quòd canticum & rationem suam in conspectu DEI probari cupit. Nemini gratificatur vel cantando, vel orando, præter vni Deo. In huius se conspectu & canere & orare credit, illiq; vnicè commendari & placere gestit. Longè aliter animati sunt, qui DEVM labijs honorant, & corde aliud spectant.

2. Deinde consideremus, qualia sint illa eloquia oris Dauidici, vt DEO placere possint. Quod hunc Psalmũ attinet, primùm videmus illa duo complecti. Vnũ est, quòd gloriam Dei extollit, idq; duplici nomine: primùm propter maiestatẽ operum illius: deinde propter singulare beneficium legis, Israëli præstitum. Alterum est, quòd de corruptione ingenij sui conqueritur, & gratiam Dei implorat, qua à peccatis mundetur & cohibeatur. Secundo loco & illud accedit, quòd non sunt nuda & inania verba in ore obiter nata, sed ex corde promanantia. Vnde & subijcit: *Et meditatio cordis mei.* Huiusmodi cùm sint eloquia Dauidis, meritò sperari potest, quòd Deo probentur.

3. Tertiò, & *meditandi* verbum expendamus. Non simpliciter dicit, *Et cogitatio cordis mei*: sed, *Meditatio*, inquit, *cordis mei.* Aliud est simpliciter, obiter ac semel aliquid cogitare, id quòd frequenter in corde humano accidit (quale genus cogitationum, mox euanescentium, Germanicè fliegende Gedancken vocamus:) & aliud meditari. Meditatio est, qua rem aliquam seriò, diu ac frequenter in corde versamus, ore proloquimur, & si fieri queat, opere quoq; adimplere gestimus. Hac meditatione commendanda sunt Deo, quæ illi probari volumus: cui haudquaquam placere possunt illorum orationes, qui euanidis ac obiter natis cogitationib. ad orandum prosiliunt, quamuis sibi ipsi admodum seriò, & vt loquuntur, deuotè precari videantur.

Postremò. Nec illud transeundum est, quòd Psalmum claudens dicit: *Domine rupes mea, & redemptor meus.* Sic aperit, qua fiducia Deum glorificet, & opem illius imploret: nempe quòd credat, imò sciat, esse illum rupem ac redemptorem suum. Sine hac fide laudare & orare Deum, nec laudare est, nec orare, sed vel irridere, vel tentare.

Considerandum etiam est, quid his verbis de Deo suo prædicet. Vocat eum *rupem suam*: hoc est, sustentatorem omnium firmissimum: deinde & *redemptorem*: i. e. liberatorem & ereptorem. Qui extra periculum sunt sustentantur, in aduersis & periculis constituti redimuntur & liberantur. Vtrunque necessarium, & vtrunq; in vno Deo quærendum, qui solus & conseruare potest, & eripere.

PSAL.

A

PSALMVS XX.

AD PRÆCINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

PRecationem habet hic Psalmus, & certam fiduciam populi Dei. Primis quatuor versib. ad Deum orant pro rege suo, iamiam ad conflictum contra hostes impios profecturo: reliquis propter spem accipiendi diuinitùs auxilij certam fiduciam exprimunt. Videntur autem haud abludere à scopo, qui putant hunc Psalmum de eo bello compositum, quod Dauid contra Ammonitas gesit. de quo videre est 2. Sam. 10. & 1. Par. 19. Coniectura hinc sumi potest, quòd in eo bello 4000. equitum, & 7000. curruum casa leguntur. Vt appareat ad id versu septimo respici, quo canit populus Dei ad hunc modum: Hi in curribus, & illi in equis: nos autem nominis Domini DEI nostri recordati sumus.

PRECATIO VERS 1.2.3.4.

VERS. 1.

REspondeat tibi Dominus in die tribulationis, exaltet te nomen Dei Iacob.
2. Mittat auxilium tuum de sancto, & è Sijon fulciat te.
3. Memor sit omnium libaminum tuorum, & holocaustum tuum pinguefaciat.
4 Tribuat tibi secundùm cor tuum, & omne consilium tuum adimpleat.

LECTIO

Respondeat.] Ebr. יענך. Græc. ἐπακούσαι σοῦ. Vulg. Lat. *Exaudiat te.* Sic & Hier. & Pag. & Tigurina. Felix & Iustin. legunt: *Respondeat tibi.* Felin. *Annuat tibi.* *Vers. 1.*

Exaltet te.] Ebr. ישגבך. Græc. ὑπερασπίσαι σε. Vulg. Lat. *Protegat te.* Sic & Hier. & Felix. Arabs: *Adiuuet te.* Pag. *Eleuet te.* Iustin. *Fortem te faciat.* Tigurina: *In tuto collocet te.* Sic vertit & Felin quem multis in locis Tigurina sequitur.

Fulciat te.] ישעדך. Græc. ἀντιλάβοιτό σε: i.e. *Adiuuet te.* Vulg. Lat. *Tueatur te.* Hier. *Roboret te.* sic & Iustin. Pag. Felix, & reliqui reddunt: *Fulciat te.* *Vers. 2.*

Omnium libaminum tuorum.] Ebr. כל מנחתיך. Græc. vulg. Latin. & Hier. & Iustin. *Omnis sacrificij tui.* Felix: *Omnium munerum tuorum.* Sic legit & Tigurina. *Vers. 3.*

Pingue faciat.] Ebr. ידשנה. Græc. πιανάτω. Vulg Lat. *Pinguefiat.* Sic & Hier. Tigurina: *Pingue æstimet.* Pag. *Incineret.* Felix: *In cinerem conuertat.* Iustin. *Cinis fiat.* Felin. *Approbet.* Arabs: *Accipiat.* *Vers. 4.*

B *Adimpleat.*] Ebr. ימלא. Græc. πληρώσαι. Vulg. Lat. *Confirmet.* Chald. ישלם. i.e. *Perficiat.* Sic & Iustin. & Tigurina. Hier. Pagn. Felix: *Impleat.*

EXPLANATIO.

Respondeat tibi Dominus.] Apparet ex verbis compositum hunc à Dauide Psalmum, interea esse à cantoribus decantatum, dum ille prælium aduersus impios initurus, ad DEVM oraret & sacrificia præmitteret. Fit enim mentio *sanctuarij* & *Zijonis*, deinde & *libaminum* & *holocausti.* denique orationem ad DEVM factam innuit illud, quod statim initiò canunt: *Respondeat tibi Dominus.* Astipulantur igitur votis, orationi, & sacrificijs regis sui, orantque vt à DEO exaudiatur, exaltetur, adiuuetur, fulciatur, & ad impletionem consilij sui consequatur. Hæc est summa eorum, quæ quatuor hisce versibus canuntur, in quibus planè nihil est obscuri. *Diem tribulationis & angustiæ*, vocant tempus belli. *Exaltationem*, regis sui victoriam: & quæ ex victoria est, gloriam intelligunt. Et aliàs superior esse dicitur, qui vincit, & inferior, qui vincitur. *Nomen Dei Iacob*, intelligunt vel virtutem & potentiam DEI Iacob: vel causam belli, quod tum propter DEVM Iacob, inque illius nomine à Dauide contra impios populi DEI oppressores gerebatur: vt exaltari à nomine DEI dicatur, qui in causa DEI, quam propter Deum administrat, exultatur, id quod tum accidit, quando causa Dei, quæ periclitari videbatur, vincit & illustratur: perinde ac si dicas, eos ab Euangelio CHRISTI IESV exaltari, qui propter Euangelium susceptum & illustratum, cùm illius sint ministri, in precio habentur, & supra aduersarios veritatis extolluntur: rursus eosdem deprimi, & ignominia affici, quando Euangelium deprimitur, & probro afficitur. Vocant Dominum *Deum Iacob*, vt promissionum Dei Israëli factarum sese admoneant, & beneuolentię illius recordentur, qua Iacobi ac posterorum illius Deus esse ac dici voluit. *Vers. 1.*

Mittat auxilium tuum de sancto.] Idem orant hoc versu, quod & præcedenti & sequentibus. Quòd autẽ non simpliciter dicunt, *Mittat auxilium tuum, & suffulciat te*: sed addunt, *De sancto*: id est, sanctuario, & de Zijon, quod idem est: non ob id faciunt, quòd credant DEVM loco terrestri alligatum: sed quòd respiciant ad promissiones Dei, quibus se in medio populi sui habitaturum, videlicet in tabernaculo suo, & tum erat in Sijon, pollicitus est, quas postea Salomoni post tẽplum ædificatũ renouauit. *Vers. 2.*

Memor sit omnium libaminum tuorum.] Lex præcipiebat, ne quisquam in conspectu DEI vacuus appareret. Hinc est, quòd veteres peccatoribus suis, sacrificia, libamina, & holocausta coniunxerunt: id quod adeò solenne erat, vt & Saul, cùm irruentibus Philistæis Dominum inuocaret, Samuel verò nondum aduenisset, ne sine sacrificijs discederet, per seipsum sacrificare præsumpserit, cùm tamen id illi non liceret. Iudicabat enim, infeliciter se conflicturum cum hostibus, Domino nondum sacrificijs placato. Quod autem Saul modo illicito fecit, id Dauid licitè: hoc est, secundum legis præscriptum obseruauit. Ideo recordantur hîc *libaminum* & *holocausti* illius, orantque Dominum, vt in ipso conflictu memor esse velit sacrificiorum regis, & *holocaustum illius pingue facere*: id est, selectum & eximium: qualia solebant ab illis offerri, qui ex animo optima quæque offe- *Vers. 3.* *1. Sam. 13.*

rebant: atq; ideo dimicanti adsistere, & victoriam aduersus impios conferre. Qui legunt: *Et holocaustum tuum in cinerem conuertat*: respiciunt ad id, quòd holocausta tum Deo probari iudicabantur, si quando penitùs igne absumebantur, & in cinerem redigebantur. A

Vers. 4. *Tribuat tibi secundum cor tuum.*] Q. summam quandam habet hic versus eorum, quæ populus pro rege suo petebat à Domino: nempe, vt illi obuenirent omnia quæ corde meditabatur & proponebat. Intelligunt autem de præsenti causa. Idem verò bis dicunt. Nihil enim aliud est, quod dicunt, *Tribuat tibi secundum cor tuum*: ab eo quod subiungunt, *Et omne consilium tuum adimpleat.* Orant itaq; his verbis, vt plena & consummata victoria Dauidi diuinitùs concedatur, sic vt nihil eorum desit, quæ ille optabat, & à Deo petebat.

OBSER. *Vers. 1.* *Respondeat tibi Dominus.*] 1. Principiò obseruanda venit cordatissimi regis pietas, qua, cùm prælium initurus esset aduersus impios, nullis suis virib. confisus est, sed ad Dominum DEVM suum confugit. Hoc ab illo factum innuit, quod orant vt Dominus illi respondeat, nimirum vt ad se clamanti. Admonentur ergo principes, vt primùm coram Domino contra hostes pugnare discant, si quid feliciter efficere & obtinere cupiunt.

2. Deinde & illud notandum est in Dauide, quod non est sua tantùm in oratione contentus, sed & populum instituit, vt vota sua coniungat, & Dominum pro se interpellet. Nec immeritò. Nouit enim pijssimus rex haud grauatim audire Dominum populi sui preces, ad se in dieb. angustiæ clamantis. Deinde sciebat etiam id illius interesse plurimum, vt à Deo audiretur. Erat enim maximè populi causa in angustijs illis bellicis constitutus.

3. Tertiò: *In die*, inquiunt, *tribulationis.*] Admoneantur hîc qui præsunt populis, quam sortem expectare debeant. Maxima illorum pars dignitates vnà cum delicijs sectatur, putatq; magistratus sublimitatem causam esse duntaxat magnarum dignitatum: cùm reuerà, si rem rectè reputent, hic status plenus sit tribulationum diebus.

4. Quartò, obseruandum etiam est, quàm suaui affectu afficiatur pius populus erga regem suum: non in eo modò quòd ad DEVM pro illo orat, sed & quod per apostrophen verba ad ipsum conuertunt. Non enim dicunt, *Respondeat illi Dominus, exaltet eum nomen Dei Iacob*, &c. sed, *Respondeat tibi Dominus, exaltet te nomen Dei Iacob. Mittat auxilium tuum de sancto*, &c. quo sanè loquendi modo satis innuitur, quo affectu populus erga magistratus suos præditus esse, proq; illorum salute & successu orare debeat.

5. Quintò. *Et exaltet te nomen Dei Iacob.*] Et hoc notandum est cordatis hominib. quod populus ista petit, vt rex suus exaltetur, superior cunctis ac sublimior fiat. Decet hic candor populũ regi suo fidelem, vt ex animo optet illum reddi glorioſissimũ, illustrissimũ, & inuictissimũ omnium. Verùm id tum demum rectè optare possunt subditi, quando talis est princeps, quem nomen Dei gloriosũ & illustrem reddere queat. Vix hîc mihi à lachrymis temperare possum, quando de præsentium temporum miseria & immedicabili corruptione cogito: qua fit, vt qui causam Christi promotam cupiũt, magis optare coguntur, vt principes ipsorum ignominiæ & contemptui subijciantur, quàm vt exaltentur, quoniam illorum gloriam & sublimitatem veritati & gloriæ Christi obesse vident. Quàm essemus autẽ felices, si principes sic se gererent in Ecclesia Christi, vt intelligentes, & Christo Domino cum timore seruientes per nomen illius supra cunctorum regum terræ fastigia exaltarentur, quem illis honorem cuncta fidelium pectora ex animo gratularentur? Fuerat & Sauli rex populi Dei: verùm quoniam tyrannus esse maluit, quàm bonus ac pius princeps, fieri non potuit, vt eo erga illum affectu essent subditi, quo postea fuerant erga Dauidem. B

OBSER. *Vers. 2.* *Mittat auxilium tuum de sancto.*] Primùm obseruandũ est hoc versu, quòd regi suo auxilium de sanctuario ac domo DEI in Zijon existente, mitti orant. Admonemur ea in re, vnde debeamus auxilium petere: nempe ex eo loco, in quo est habitatio Dei, sanctuarium Dei, ciuitas ac sedes Dei. *Sion* tum temporis habebat sedem DEI typicam: nos verò post Christum reuelatum scimus sedem ac sanctuarium Dei non esse in manufactis, sed in cœlestib. quo admonente Spiritu sancto vocamur, vt illic gratiam opportuno tempore quæramus, & impetremus. Ebr. 5. 9. 10. 12.

Deinde mysterium illud inenarrabile considerandum est, quòd in terris DEVS, inter homines locum sibi delegit, in quo sedem pararet nomini suo. Stupendum planè est, quòd DEVS ille infinitus, optimus, potentissimus, iustissimus, &c. appropinquat hominib. & vel aliquid cum illis talibus, ipse talis, habet commercij, vt & Moses Deut. 4. monet. Quid hinc aliud colligendum est, quàm ingenium philanthropiæ in Deo, quo delectatur hominib. quos ad imaginẽ suam condidit? Iam tum euidenter ostendebatur, fore aliquando, vt verè habitaret cum hominib. DEVS: hoc est, redderet sibi homines proximos & vnitissimos, & humanam naturam suæ coniungeret: id quod in Christo IESV ab æterno prædestinatum erat, ac postremis tandem temporib. præstitum, donec eueniat illud, de quo Apost. 1. Cor. 15. loquitur, dicens: Vt sit Deus omnia in omnib. Interea verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, &c. Et Baruch 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominib. conuersatus est. Iam habitat in cordibus nostris per spiritum suum, vt simus templum ac domus Dei. 1. Cor. 6. 2. Cor. 6. 1. Tim. 3.

Memor sit omnium libaminum tuorum.] 1. Principiò, ex eo quòd legalia illa sacrificia Dauid tam studiosè ac religiosè iuxta legis præscriptum Deo obtulit, cùm tamen sciret ea per se non placere Deo sed aliud genus sacrificiorum ab illo requiri, nempe iustitiæ contriti cordis ac laudis, id quod & Psalm 40. 50. & 51. disertè canit: admonentur pij, vt quæ à DEO singulis sunt tradita & præscripta temporibus, quantumuis carnalia & externa videantur, nec principaliter ab illo ac per se requirantur, non contemnant, sed religioso & pio fidei exercitio custodiant, inque ea dispensatione maneant,

A neant, qua Deus pro tempore populum suum in studio pietatis exercere & instituere voluit. Viuebat Dauid veteris Testamenti temporibus, sub vmbris rerum futurarum, inter eos quibus legales ceremoniæ, perinde ac pueris prima elementa præscriptæ erant. Decebat ergo, imò ita requirebat vera pietas, vt illis vteretur & ipse, quamuis per illas Deo, externo opere, ritè seruiri non posse, neq; peccatorum remissionem & veram salutem acquiri sciret, quam in venturo Christo cum reliquis pijs dubio procul exaltabat. Quid de Dauide loquor? Christus ipse, an non idem agebat, cùm ad Ioannem diceret: Sine modò. Sic enim decet nos adimplere omnem iustitiã? Quo ducuntur ergo spiritu, qui symbola gratiæ à Christo proposita, propterea contemnunt, quòd videntur esse res externæ? Et illi quoque, qui ministerium prædicationis velut externum verbum respuunt?

2. Deinde in eo quòd orant, vt memor sit Deus libaminũ Dauidis, idq; in die tribulationis, huc seruit nobis, vt cogitemus talem esse Deum, qui pietatis & votorum fidelium suorum in tempore tribulationis recordetur, & laborantibus succurrat. Innuit enim hoc Spiritus sanctus, dum orationem hanc in cordib. fidelium fingit & producit. Huius rei multa sunt in Scripturis exempla vt Gen.
» 19. Recordatus est Dominus Abrahæ, & liberauit Loth. Et Act. 10. dicebat angelus ad Cornelium:
» Orationes & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam Dei. Et Christus Matth. 25. hoc indicat,
» cùm dicturum se in extremo iudicio prædicat: Venite benedicti Patris mei, &c. Esuriui, & dedistis
» mihi cibum. Excitet hæc consideratio studium pietatis in animis fidelium, certosq; reddat non esse illius boni operis obliuionem coram Deo, cuius & Paulus admonet Ebr. 6. cùm dicit: Non enim
» iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & laboris cum charitate suscepti, &c.

3. Tertiò. Et illud obseruandum est, quòd dicunt: *Et holocaustum tuum pingue facit.* Tametsi nullas iam offerimus pecudes, vt pingues offerre queamus: admonemur tamen, vt quicquid Deo damus, pingue sit: id est, selectum: vt videlicet Mammonæ ac ventri non seruiemus pinguia, & Christo in pauperibus demus quisquilias. Notus est locus Malachiæ 1. qui etiamnum obseruandus est. Quid enim sunt eleemosynæ nostræ, nisi oblationes quædam, quibus Deo gratificari volumus? Quales autem demus eleemosynas, & quantum insumamus in studium ventris, non est quidem opus vt admoneam: dignum tamen, quod omnes pij deplorent. Nam hoc veluti certo indicio proditur, qua fide demus eleemosynas.

Tribuat tibi secundum cor tuum.] 1. Obseruandum est hîc, quàm conuenienter, postquam orarunt dicentes: *Memor sit omnium libaminum tuorum*, &c. subiungant & dicant: *Tribuat tibi secundum cor tuum*; In- OBSER. *Vers.* 4.
» nuitur enim, in omni precatione & oblatione cor à Deo respici, non externa vel verba vel facta.
» Alioqui queritur Dominus, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.
B Sed quæso, quot habemus hodie principes, quibus hoc tuto & cum gloria Christi apprecari possmus, ac dicere: Det vobis Dominus secundum corda vestra: & non magis, Conuertat Dominus corda vestra, & consilia vestra vel infringat, vel immutet?

2. Deinde & illud notandum est, quod dicunt: *Et omne consilium tuum adimpleat.* Consilia tribuunt Dauidi regi suo, adimpletionem verò illorum agnoscunt non esse regis, sed Dei: ideoq; illam à Deo impetrare orando conatur. Ergo quantumuis sint reges terræ, non sunt tamen illorum consilia alia
» conditione, quàm communi mortalium omnium: quæ talia sunt, vt rectè de illis dictum sit: Homo
» proponit, Deus disponit. Et alibi: Cor regis, *inquit*, est in manu Dei admonemur itaque, vt tàm nostra, quàm magistratuum nostrorum consilia agnoscamus esse inania & inefficacia, nisi diuinitùs adimpleantur: atque eam ob causam bonorum consiliorum adimpletionem petamus à Deo, malos verò malorum conatus firma fide contemnamus, scientes nihil eos efficere posse, nisi consensus Dei accedat.

5. Lætabimur in salute tua, & in nomine Dei nostri vexilla erigemus: implebit Dominus petitiones tuas.

6. Nunc cognoui quòd saluum faciet Dominus Christum suum: respondebit illi de cœlo sancto suo, in potentia salutis dexteræ suæ.

7. Illi in curribus & isti in equis: nos autem nominis Domini Dei nostri recordamur.

8. Ipsi incuruabuntur, & cadent: nos autem stabimus, & confirmabimur.

9. Dominus seruabit regem: respondet nobis, quo die innocauerimus eum.

Lætabimur.] Ebr. נרנן Chald. נשבחח: id est, *Laudabimus.* Sic & Hieron. Iustinian. *Cantabimus.* Alij: *Exultabimus.* Græcus: ἀγαλιασόμεθα. LECTIO. *Vers.* 5.

Vexilla erigemus.] Ebr. נדגל. Chald. נטקס: id est, *Signum explicabimus.* Hieron. *Ducemus choros.* Iustin. Pagn. & Felix: *Vexillum erigemus.* Tigurina: *Signa triumphantes erigemus.* Græc. μεγαλυθησόμεθα. Vulg. Lat. *Magnificabimur.* Illi legerunt נגדל pro נדגל.

Implebit Dominus. Ebr. ימלא יהוה. Alij legunt modo optandi: mihi magis arrisit simpliciter legere in futuro, vt sit verbum spei ac fiduciæ. Variant interpretes in sequentibus. Alij enim in futuro, alij in præterito legunt. Mihi visum est, formam spei, de futura victoria loquentis retinere. Pelinus hîc sic vertit: *Cùm præstiterit Autophyes, quæcunq; optauerit.*

Recordamur.] Ebr. נזכיר. Iustinianus reddidit: *Thura ponemus.* *Vers.* 7.

Ipsi incuruabuntur.] Ebr. כרעו Græcus: σωτηροδιοθησαν: id est, *Simul impegerunt*, vel *offenderunt.* Vulgata Lat. *Obligati sunt.* *Vers.* 8.

Nos autem stabimus.] Ebr. ואנחנו קמנו Græc ἀνέστημεν. Vulg. Lat. *Surreximus.* Sic & Hieron. & Pagn. & Felix, & Iustinian Felin. verò, *Stamus* & Tigurina, *Perstitimus.*

Dominus seruabit regem.] Hic versus variè legitur. Græc. & Vulg. Lat. sic: *Dominus saluum fac regẽ & ex-* *Vers.* 9.

audi nos in die quæ inuocauerimus te. Sic legit & Arabs. Tigurina: *Dominus seruabit regem: quo die inuocauerimus, exaudiet nos.* Chald. *Verbum Dei redime nos: rex fortis accipe orationem nostram, in die inuocationis nostræ.* Hieron. ad hunc modum: *Domine salua, rex exaudies nos in die qua inuocauerimus te.* Pagn. *Domine serua, rex exaudiet nos,* &c. Iustinianus: *Deus salua, rex responde nobis,* &c. Felix: *Domine saluum fac, rex respondebit nobis* &c. Felinus: *Autophyes seruauit nos, ille rex noster annuit nobis, cùm inuocaremus.* At Ebræa simpliciſſimè ſic habent: הושיעה יהוה המלך יעננו ביום קראינו. Quòd autem tam variè redditur hic vreſus, cauſam dedit qui Ebræa punctis diſtrinxit. A

EXPLANATIO. *Lætabimur in ſalute tua.*] Hæc eſt altera Pſalmi pars, qua populus precationi præmiſſæ qua regi ſuo auxilium, ſalutem ac victoriam apprecatus eſt, ſpem ſuam de futura victoria, quam rex ab hoſtibus impijs, diuino auxilio adiutus, reportaturus eſſet, ſubijciunt, dicentes: *Lætabimur in ſalute tua,* &c. q. d. Eſt iam dies tribulationis, verùm certi ſumus ad futurum breui diem lætitiæ & exultationis, in quo propter ſeruatum ac triumphantem noſtrum regem lætitia & exultatione perfundemur. Sic ſalutem regis ſui non eam vocant, quam ipſe operaturus eſſet, ſed quam à Deo accepturus erat. *Verſ. 5.*

Addunt: *Et in nomine Dei noſtri vexilla erigemus. Vexilla erigere,* eſt conflictum parare, & ad illum accingi. Significant igitur, niti ſe ſpe ac fiducia diuini nominis, & ea ſpe fretos parare ſe ad prælium, vt qui ſciant ſe conflicturos propter nomen Domini Dei ſui, contra illius hoſtes ac blaſphematores: ideoque haudquaquam dubitare ſe, non defuturum illum regis ſui petitionibus, tam iuſtis, pijs & ſanctis. Sic ſubdunt: *Implebit Dominus omnes petitiones tuas.*

Verſ. 6. *Nunc cognoui, quòd ſaluum faciet Dominus Chriſtum ſuum.*] Sic quiſque pius è populo Dei inducitur, vt ſingularem ſpem ſuam ac fiduciam exprimat. Q. d. Quiſq; certò lætabimur in ſalute tua. Implebit enim Dominus omnes petitiones tuas, & hac ſpe vexilla erigemus. Scimus enim quòd Chriſtum ſuum Deus ſeruaturus ſit, illiq; cœlitùs reſponſurus: hoc eſt, potenter, veluti dextera ſua auxilium & opem laturus. Non eſt autem ocioſum, quòd perſonam mutant. Cùm dicendum videretur. *Quòd ſaluum faciet Dominus:* dicunt, *Quod ſaluum faciet Dominus Chriſtum ſuum.* qua conſideratione, nimirum quòd rex ipſorum, pro quo orabant, eſſet Chriſtus: id eſt, vnctus Domini, ſpem de futura victoria conceptam confirmabant.

Verſ. 7. *Illi in curribus.*] Vt terrorem illum, quem hoſtes multitudine curruum & equorum inferre & incutere, indeq; & victoriam reportare moliebantur, reprimerent, imò contemptibilem eſſe admonerent, opponunt illi ſpem ſuam, quam in nomine Dei ſui conceperant, dicentes: *Illi,* id eſt, Ammonitæ cum auxiliaribus ſuis copijs, veniunt contra nos armati & inſtructi curribus & equis, pollicenturq; ſibi victoriam è brachio carnis: nos verò, qui ſcimus victoriam eſſe à ſolo Deo, multitudine equorum & curruum haudquaquam terremur, ſed bona & inuicta cum fiducia nominis Dei noſtri memores ſtabimus in fracti & confirmati. Vnde & ſubdunt: B

Verſ. 8. *Ipſi incurruabuntur, & cadent.*] Vt præcedenti diuerſitatem apparatuum, ſui videlicet & hoſtium, inter ſe oppoſuerunt, ſic præſenti hoc verſu diuerſum prælij exitum, & longè alium ab eo quem ſibi pollicebantur hoſtes, ſubijcunt. Illi, *inquiunt,* quamuis multis ſint equorum & curruum millibus inſtructi, nos verò ſolo nomine Dei noſtri confiſi, prælium ingrediamur: certi tamen ſumus, caſuros eos ante conſpectum Domini Dei noſtri, nos verò firmos ac victores futuros.

Verſ. 9. *Dominus ſeruabit regem.*] Quia dixerunt: *Illi incuruabuntur & cadent, nos verò ſtabimus, & confirmabimur:* ne virium ſuarum fiducia hunc ſibi belli exitum polliceri videantur, repetunt id quod verſu ſexto ſcire ſe cecinerunt, nempe quòd Dominus ſeruaturus ſit regem, ipſiſq; reſponſurus, quo die ipſum inuocauerint: ſignificantq;, ex eo ſe certos eſſe, quòd proſtratis hoſtibus ipſi ſint futuri firmi & immoti. Sic quinque poſtremis iſtis verſibus diſertè ac luculenter ſpem ſuam in Deum conijciunt, & ex illa confidenter de euentu belli huius pronunciant. nec, vt in hiſtoria videre licet, ſpe ſunt fraudati.

OBSER. *Verſ. 5.* *Lætabimur in ſalute tua.*] Sunt quædam hoc verſu de ſpe obſeruanda. 1. Primùm quomodo illa fideli ac ſedula oratione alatur & confirmetur. Sic videmus hoc Pſalmo, poſt precationem ſubiecta eſſe verba ſpei, ac conſtantiſſimæ fiduciæ: id quod & alij quamplurimi Pſalmi oſtendunt. Hanc orationis efficaciam non experiuntur, niſi quibus datus eſt ſpiritus fidei reliquorum precationes inanes ſunt, & inefficaces.

2. Deinde, quod ſit ſpei ingenium, Quod hunc verſum attinet, ſpes primùm, in ipſo tribulationis tempore animum ſperantis propoſito futuro gaudio erigit & confirmat. Sic proſpiciunt & iſti in futuram lætitiam, cùm dicunt: *Lætabimur in ſalute tua.* Admonemur itaque hoc loco, vt in die tribulationis animum prouehamus ad futura gaudia, ac ſpe illorum corroboremur. Sic ad diſcipulos Chriſtus dicebat: Triſtitia vertetur in gaudium. Et ipſe quoq; propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Et Rom. 8. ad eundem ſcopum collimat Apoſtolus, cùm dicit: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et Iob cùm ſe poſt tenebras lucem ſperare dicit, planè idem facit. Deinde non ſolùm ad futura gaudia ſeſe ſpes protendit, ſed & præſentia pericula intrepidè aggreditur. Hoc oſtendit populus iſte fidelis, cùm ſubiungit: Et in nomine Dei noſtri vexilla erigemus. Deſperatio contrà, vel hæſitatio, cunctanter ſeſe gerit, & cum trepidatione facit quicquid facit.

OBSER. *Verſ. 6.* *Nunc cognoui.*] 1. Et illud hîc ad commendationem ſpei obſeruandum eſt, quòd ſpei ſuæ certam præſcientiam rei futuræ tribuunt, cùm ſe ſcire dicunt, quod ſeruaturus ſit Dominus Chriſtum ſuum, illiq; de cœlo ſancto ſuo reſponſurus. Erant ea verba animi nullam aliam certitudinem habentis, præter eam quam ſpes gignit in corde credentis: & tamen de certa cognitione gloriantur. Hęc ſpes quia non fallit, nec pudefacit, meritò certæ ſcientiæ loco habetur.

2. Deinde

A 2. Deinde notandum est, quòd non dicunt, *Quòd saluum faciet Dominus regem nostrum*: sed, *Quòd saluum faciet Dominus Christum suum*. Duo significantur hac loquutione. Vnum, quomodo sentiant de rege suo pij: sic nimirum, vt agnoscant eum esse vnctum Domini. Hæc cogitatio fons erat debitæ obseruantiæ & obedientiæ, quæ tanquam seruo ac Christo Dei præstanda, & non tàm in hominem regem, quàm in Deum ipsum dirigenda erat. Alterum, vnde spes illa futuræ victoriæ concepta fuerit, nempe ex eo, quòd celebrant non deserturum Deum Christum suum, pro ipsius nomine & populo periclitantem. Sic fidem ac beneuolentiam Dei erga seruos suos, non suam ipsorum iustitiam & dignitatem hîc considerant.

3. Tertiò: *De cœlo sancto suo.*] Suprà versu 2. dixerunt: *Mittat auxilium tuum de sancto, & è Zijon fulciat te.* Iam dicunt *responsurum*: id est, missurum auxilium de cœlo. Declarant igitur, quatenus Deo sedem tribuerint in Zijon, & illius sanctuario. Hactenus fidelicet, vt interim auxilium è cœlo sperauerint, tanquam è veriori illius sanctuario & habitaculo. Senserunt igitur, sanctuarium illud quod in Zijon erat, typicam esse Dei habitationem, non veram. Hoc discrimine & hodie vtendum est, quoties de sacramentis ac mysticis rerum cœlestium imaginibus mentio incidit.

4. Quartò: *In potentia salutis dexteræ suæ.*] Notandum hîc est quomodo Deus de cœlo inuocantib. se adflictis respondeat. *Respondit illi*, inquiunt. Vnde? *de cœlo sancto suo.* Quomodo? *in potentia salutis dexteræ suæ.* Hoc est, respondere factis, non verbis: dum adiuuando & liberando, declarat, quòd inuocationem illorum audierit ac susceperit. Respondet etiam interna spiritus sui consolatione, antequam auxilium mittat. Verùm hoc genus responsionis vt est occultum, & paucis cognitum, ita non tam ad illustrandam D. maiestatis gloriam facit, atque dum opere salutis ac liberationis respondet. Est autem illud planè iucundum pijs, quòd Deum tribuitur potentia saluificæ dexteræ, qua cum in cœlis habitet, nihilo tamen minus in terra periclitantes pios liberare ac seruare, impios verò perdere potest. Mirabilis scilicet dextera, quæ desuper è cœlis ad terram vsq; demittitur. Ergo in cœlis esse Deum, non est esse remotum, aut absentem, sed esse omnipotentem, & tam vicinum omnibus, vt
" potenti dextera nusquam non quiduis efficere queat. Sic alibi Propheta dicit: Dominus noster in
" cœlo, quæcunq; vult facit.

Illi in curribus, & illi in equis.] Videmus hoc loco discrimen impiorum & piorum in rebus arduis. Impij, quoniam fide nominis Dei & fiducia bonitatis illius destituti sunt, aliter se, vbi res graues ac difficiles tentandæ veniunt, gerere non possunt, quàm vt iuxta humanæ rationis consilium, rebus visibilibus ac sensibilibus instructos sese reddant quàm optimè. Sic impij isti Ammonitæ cùm Dauidem bello essent impetituri, tum se victuros iudicabant, si & plures aduersum paucos, & instructiores contra minus instructos in prælium descenderent: ideoque & equis & curribus, & multitudine militum instructissimi ad certamen venerunt. Sic perpetuo legimus gentes aduersus popu-
B lum Dei ad confligendum his rebus confisos veniisse. Pij contrà, quoniam & potentiam & bonitatem Dei agnoscunt, ac fide nominis illius præditi sunt, fiducia D. auxilij magis quàm viribus carnis instructi, periculis sese committunt. Sic dicunt hoc versu: *Illi in curribus, & isti in equis, nos autem nominis Domini Dei nostri recordamur.* Q. d. Fides nominis Domini Dei nostri, erit nobis loco curruum & equorum. Freti auxilio Dei nostri, prosternemus hostes nostros, quantumuis armatos & multos. Et hoc erat illis etiam Deut. 17. præceptum, ne rex ipsorum multiplicaret sibi currus & equites, sed librum legis sedulò inspiceret. Et cap. 20. ne sibi timerent, si quando hostes multos curribus & equis instructos aduersum se venire cernerent. His præceptis quid exigebatur aliud, quàm vt magis fide nominis Dei, quàm armis, curribus & equis confisi, prælium inirent? Sic fortes extiterunt pij fide, & per hanc bella gesserunt, regna vicerunt, castra exterorũ subuerterunt, &c. Ebr. 11. Ad hunc mo-
" dum armatus pugnbat Dauid aduersus Goliath, excellenter armatum: Tu venis contra me, *aiebat*,
" cum gladio & hasta, & clypeo: ego autem venio in nomine Domini exercituum, Dei agminum Is-
" raëlis, quibus exprobrasti hodie: & dabit te Dominus in manum meam, & percutiam te, & aufe-
" ram caput tuum à te. Itaq; Israëlitæ quàm diu sic fidem nominis Dei armati bella gesserunt, victores euaserunt: postquam verò ad brachium carnis, relicta diuini nominis fiducia, conuersi sunt, & cum gentibus more gentium certarunt, semper infelicter pugnarunt. De Christianorum bellis quid dicendum sit, nemo cordatus non videt ac deplorat.

OBSER. *Vers. 7. & 8.*

Transeamus ad pugnam, quæ geritur inter spiritum mendacij, & spiritum veritatis. Spiritus mendacij armatissimus venit, sapientia, prudentia & viribus huius seculi instructus, habens in exercitu suo Papas, reges, principes, episcopos, & quicquid sublime est in carne. Contrà spiritus veritatis his viribus mundanæ sapientiæ & potentiæ destitutus, ac sola fiducia nominis Dei armatus, pauperes, ignobiles, contemptos, & paucos secum ducens, & ipse dicit: Illi in prudentia, sapientia, & potentia carnis, ego verò in nomine Domini Dei venio: cadent illi, ego firmus persistam.

Sed dixerit quisquam: Ergo damnabilis est armorum & reliquarum creaturarum vsus, sic vt illo reprobato, sperandum duntaxat in nomine Dei existat? *Respondeo*: Non hoc agitur. Nam & illi ipsi, qui hoc Psalmo proponuntur, & reliqui pij reges, armis vsi sunt. Non reijcitur vsus, sed fiducia armorum & creaturarum vsus communis est pijs & impijs: discrimen verò consistit in fiducia quam pij in Dominum Deum suum, impij verò in creaturas collocant. Distinguendum ergo est ad hunc modum, vt vsus creaturis, fiducia verò creatori deputetur. Posset ille sine nostra opera dare omnia: verùm vt certam virtutis ac bonitatis ipsius experientiam capiamus, vult vt conflicturi, vtamur armis: fructib. telluris potituri, in terra operemur: vitam hanc fragilem sustentaturi, comedamus & bibamus: genus nostrum multiplicaturi, matrimonio iungamur: voluntatem ipsius agnituri, verbum veritatis audiamus, ac fide percipiamus. Sic requirit, vt cooperatores ipsius simus:

non

non quòd opera nostra egeat, sed vt operationem ipsius admirabilem & stupendam reipsa experiamur, & in fide ipsius exerceamur & crescamus. Et vt certò cognoscamus, nihil esse plantantem, nihil rigantem, nihil operantem hominem: sic operationem suam dispensat, vt aliquando nihil efficiat qui operatur, sed omnem operam ludat: deinde sæpenumerò ipse solus sine nostra opera, res grandes efficit, & plerunq; operantes nos ita instituit, vt ratio humana sperare effectum nequeat: id quod eò tendit, vt caueatur, ne gloria accedat carni. Sic solet per paucos, infirmos, & contemptos magna quædam & stupenda perficere. Hæc obseruatio ad id spectat, vt in omnibus diuinam prouidentiam cuncta disponentem agnoscamus & suspiciamus. A

OBSER. *Verſ. vlt.* *Dominus seruabit regem.*] Obseruandum est hoc versu, quòd dicunt: *Et respondet nobis quo die inuocauerimus eum:* vbi videmus, qua fiducia opem Dei sui implorent pij. Inuocant Deum sine vlla hæsitatione, secundum dictum Iacobi.

Deinde & illud notandum est, quòd cùm suprà versu 6. dixerint: *Respondebit illi de cœlo sancto suo:* iam, *Respondet nobis,* iniquiunt. Significatur, respondere Deum populo suo, quando regi respondet: sicut & salus regis, populi salus est. Etenim populum veriùs quàm regem ipsum concernunt, quæ rex pius à Deo petit, & accipit.

PSALMVS XXI.

AD PRÆCINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

HAud obscurum est, de eâdem victoria & hunc Psalmum canere, quam præcedenti populus Dei & petijt à Deo, & futuram sperauit: vt videatur esse ἐπινίκιον: hoc est, carmen triumphale & gratulatorium, quo non more mundano prædicantur & celebrantur vires humanæ sed diuinæ: non quæritur gloria carnis, sed Dei, cuius solius est victoria. Sunt autem duæ Psalmi huius partes. Vna, qua septem prioribus versibus ea prædicantur, quæ Dauidi contulit Deus: altera, qua potentia Dei, impios disperdens & consumens, sex reliquis posterioribus celebratur & extollitur.

PRIMA PARS PSALMI.

VERS. I. *DOMINE, in virtute tua lætatur Rex: & in salute tua quàm exultat vehementer.*

2. Desiderium cordis eius tribuisti ei: & petitione labiorum eius non fraudasti eum. Selah.

3. Quoniam præuenisti eum benedictionibus optimis: posuisti in capite eius coronam de auro puro. B

4. Vitam petijt abs te, tribuisti ei longitudinem dierum in seculũ, & in sempiternũ.

5. Magna est gloria eius in salute tua: gloriam splendorem posuisti super eum.

6. Quoniam posuisti eum benedictiones perpetuas: lætificasti eum gaudio cum vultu tuo.

7. Quoniam rex sperat in Domino: & beneuolentiam altissimi non mouetur.

LECTIO. *Verſ. 3.* *Benedictionibus optimis.*] Ebr. ברכות טוב. Græcus: ἐν ἀποδοχαῖς χρηστότητος. Vulg. Latina: *In benedictionibus dulcedinis.* Chald. בדכן טבן: id est, *Benedictionibus bonis.* Hieron. Iustin. & Felix: *Benedictionibus bonitatis.* Pagn. *Benedictionibus boni.* Campensis: *Muneribus optimis.* Felinus: *Omnifarijs beneficijs.* Tigurina: *Benedictionibus optimis.*

De auro puro.] Ebr. פז. Græc. ἐν λίθῳ τιμίῳ. Vulg. Lat. *De lapide precioso.* Chald. *De auro optimo.* Hieron. *De obrizo.* Pagn. *Coronam auream,* Campensis: *Ex auro purissimo.* Felix: *Coronam obrizi.* Felinus: *Coronam gemmeam.*

Verſ. 4. *In seculum, & in sempiternum.*] Ebr. עולם ועד. Græc. εἰς αἰῶνα καὶ αἰῶνα. Vulg. Lat. *In seculum seculi.* Chald. *In secula seculorum.* Hieron. *In seculum, & in æternum.* Pagn. *In seculum & seculum.* Tigurina: *In seculum & vltrà.* Felinus: *Et quidem maximè longæuam.*

Verſ. 5. *Et splendorem.*] Ebr. והדר. Græc. μεγαλοπρέπειαν. Vulg. Lat. Hieron. Pagn. Iustin. & Felix: *Decorem.* Tigurina: *Splendorem.*

EXPLANATIO. *Verſ. 1.* *Domine, in virtute tua lætatur rex.*] Primo hoc versu pij consideratione beneficiorum Dei, quibus Dauidem cumulatissimè affecit, in admirationem rapti, regem suum beatum ac felicem prædicant, dum eum summo & indicibili gaudio propter diuinam virtutem & salutem lætari & exultare dicunt, ad hunc modum ordientes: *Domine quàm vehementer lætatur rex in virtute tua:* id est, propter virtutem tuam, qua ipsi succurristi: *quàm vehementer exultat in salute tua:* id est, propterea quòd ipsum è periculis & ingenti discrimine liberasti & seruasti? Ad eum modum solent ordiri illi, qui propter excellentiam alicuius rei stupefacti, in commendationem ac deprædicationem illius prorumpunt. quale est & octaui Psalmi exordium, vbi Propheta obstupefactus dicit: Domine quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Hæc autem admiratio ac deprædicatio magis concernit diuinæ virtutis & opis Dauidi præstitæ laudem, quàm Dauidis exultationem. Significant enim, tam potenter ac tam luculenter à Domino adiutum esse dauidem, vt nisi plane stupidissimus sit, prorsus in dicibili gaudio gestire eum & exultare oporteat.

Deside-